
DISSERTATIONES HISTORICAE, CRITICAE, CHRONOLOGICAE IN SACRAM...

Mathieu Petitdidier, Josè Maria Fonseca de Evora, Piro




32
3 H
22

Tutto l'ancora considerabile
Città di Francia nella Lorena
della Mosel.

DISSERTATIONES
HISTORICÆ, CRITICÆ, CHRONOLOGICÆ
IN SACRAM SCRIPTURAM VETERIS TESTAMENTI.

AUTHORE D. MATHÆO PETITDIDIER PRESBITERO & Monacho Benedictino è Congregatione SS. Vitoni & Hydulphi.



TULLI LEUCORUM,
Apud ALEXIUM LAURENT, Typographum Regium.
& proſtant.
PARISIIS,
Apud PETRUM EMERY Bibliopolam in Angulo viæ Gille-cœur
ſub Signo Scuti Galliæ. M. DC. XCIX.

Cum Privilegio Regio.



SERENISSIMO
AC REGIO
PRINCIPI LEOPOLDO
PRIMO
LOTHARINGIÆ
ET
BARRI DUCI, &c.



ON Injucundum fore Cel-ſitudini tuæ Regiæ PRINCEPS

*SERENISSIME, quod mihi ſu-
mo ut offeram illi munus, perſuaſum
habeo. Opus eſt elucubratum in ſcri-
pturam ſacram, quæ cum ſit incon-
cuſſa Religionis Chriſtianæ baſis,
Principi Chriſtianæ religionis ita
ſtudioſò, pergratum ſane erit, quid-
quid ad illam ſpectabit. Enimvero
pietas ſincera, quam cum lacte nu-
tricis ſuxiſti, & quam in te mirantur
omnes: ſimul & Religionis amor
quem velut innatum, ab omni ævo
Principes Lotharingi, quaſi hæredi-
tarium poſſident, ei omni qui aut
pietatem promovere, aut Religionem
tueri voluerit, te & probatorem &
patronum præſtant. Neque hiſce tan-
tum diebus, SERENISSIME
PRINCEPS, ſed ab omni ævo*

Lotharingorum familia, tum ſingulari pietate, cum eximio in Religionem Chriſtianam zelo ſpectatiſſima, Eccleſiæ totam ſe addixit, illius hoſtes quocumque locorum debellatura. Vix exorta ſuperiori ſæculo hæreſis, cum Germaniam fere omnem jam inundaret, ac veluti exundans, in Lotharingiam facto exercitu ſe ſe effunderet; Principes proavos tuos in ipſis ditionis ſuæ limitibus in armis invenit, ab iiſque profligata & cæſa, impietatis ſuæ pœnas dedit. Quoties verò proceſſu temporis eadem hæreſis Catholicæ Doctrinæ arma objecit, toties ejus nefarios auſus Lotharingorum familia armis repreſſit, & fidem Catholicam præſtitit illæſam. Neque minus eam doctrinâ

suâ debellarunt Purpurati familiæ tuæ Principes, cum aliis artibus virus suum diffundere infælix hydra tentavit, quam armis fecerant loricati. Jam verò his non fuit satis Ecclesiæ matri funiculum hæreditatis ejus *conservare incolumem, etiam limites ditionis ejus latius protulerunt. Nec opus ad hujus rei argumentum, rem à multis retrò sæculis repetere, aut ea præclarè gesta, in memoriam revocare, quibus nominis tui Heroës, honorificum illud Jerosolimorum regnum, cujus cruces etiam num in insignibus tuis fulgent, armis suis demeruerunt. Unum opus est oculos in te, PRINCEPS SERENISSIME, Et in invictissimum CAROLUM QUINTUM Patrem*

tuum convertere. Illicò enim vrbes, Provincias, regna conspicimus, Christiani nominis hosti erepta, & Ecclesiæ Catholicæ postliminio restituta. Hic ille est spectatissimus Princeps eximius pater tuus, qui eo tempore, quo Turcarum gens Barbara, Romanum Imperium suis copiis inundabat, ac diripiebat, solus cum militum manu omnes ejus impetus sustinuit, & repressit: solus consilia dissolvit, conatus irritavit, artes infregit. Cum hoste ferocissimo quoties se dedit occasio prælium commisit; nec adversus eum pugnavit unquam, quin divino protectus auxilio expugnaverit. Quot prælia, tot trophæa. Dixisses ad eum spectasse divinum illud Scripturæ oraculum: Ego quippe

dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram. Et bellabunt adversum te & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ait Dñs. *Hic ille est Princeps inclitus, qui Viennâ Austriacâ obsidione liberatâ, victricibus armis in hostis terras conversis, Imperii Romani fines ad terminos Pannoniæ, Sclavoniæ & Transsilvaniæ eâ celeritate transtulit, ut nec arces, nec exercitus, nec flumina victorias ejus morarentur. Uno verbo hic Princeps quocum nemo conferendus, simul extitit Imperii salus, Ecclesiæ columen, Asiæ terror, Europæ miraculum, Orbis amor & deliciæ.*

Hujus Herois Christiani victorias, tu PRINCEPS SERE-

NISSIME, tanti Patris non degener filius, perfeciſti. Tu ad illius inſtar adverſus Chriſtiani nominis hoſtes tyrocinia depoſuiſti. In iis ipſis Regionibus, in quibus laudatiſſimus parens tot lauros meſſuerat, viſus es eâ animi firmitate ſumma adire diſcrimina, quæ & ſtrenuum quemque, & in armis exercitatiſſimum percelleret. Medius per tela per ignes furentem hoſtem jamque de victoriâ geſtientem cohibuiſti, fractos in aciem reduxiſti cuniæos, tuaque virtute titubantem ac dubiam victoriam hoſti eripuiſti, & tibi favere coëgiſti. Quid de tam fauſtis initiis, tamque ſtupendis, in tenerâ adhuc ætate, nobis ſperandum non foret, ni Deus optimus

maximus, populorum tuorum felicitati magis quam tuæ gloriæ prospiciens, te illis tandem reddidisset. Verum etsi pax tuos morata est triumphos: at eas in te virtutes magis fulgere dedit, quibus Christianus Princeps, optimo populorum regimine fit commendatissimus. Tuum illud in fidem Catholicam studium, quo ante omnia curasti, hæresim à quibusdam regni tui angulis, in quos irrepserat, & in quibus latebat, eliminandam: Illam in ætate juvenili senilem prudentiam, illam in annis immaturis maturam & summam sapientiam: illam in difficillimis quibusque negotiis ingenii aciem, quam in te stupent quotidie, qui ad te accedunt. Quid loquar morum lenitatem, cle-

mentiam, affabilitatem quibus omnium animos rapis? Quid animi & morum æquiabilitatem, quâ semper serenus es? Quid tantam in subditos humanitatem? Quid benignitatem, quâ tam sollicitè eorum necessitatibus in annonæ penuriâ provides? Quid denique zelum, quo omnia ad ordinem revocas, suum cuique jus reddi curas, ac gratissimam omnibus præstas pacem? Tantas ob animi tui dotes, pietate non fucatâ, sed solidâ sustentatas, subditi tui PRINCEPS SERENISSIME, *tum malorum præteritorum, cum præsentis penuriæ obliti, ob acceptum Principem tam perfectum, Deo sine intermissione gratias agunt. Hæc autem*

eo animo protuli, ut orbi universo demonstrarem, quanta sit subditorum tuorum felicitas; simul & ut aliquod indicium præberem ardentis studii, quo tuo sum devotus obsequio. Tuus cum summa reverentiâ in sempiternum futurus.

CELSITUDINIS TUÆ REGIÆ

Humillimus, observantissimus
& fidelissimus servus & subditus

F. MATHÆUS PETITDIDIER.

INDEX

Dissertationum hujus operis.

DISSERTATIO VIGESIMA SEPTIMA *de annis primorum Patriarcharum. De annis Hebraeorum & Ægyptiorum, simul & de Chronologiæ Sacræ initio usque ad Diluvium.*

§ 1.

De annis primorum Patriarcharum.

§ 2.

De annis Hebraeorum.

§ 3.

De annis Ægyptiorum.

§ 4

De initio Chronologiæ Sacræ usque ad Diluvium.

DISSERTATIO VIGESIMA OCTAVA *de annis chronologicis primorum Patriarcharum, in qua diversorum computorum rationes diversæ referuntur. Et inquiritur potissimùm, utrùm Hebraicus Scripturæ textus versioni Græcæ septuaginta Interpretum, in rebus chronologicis sit anteponendus.*

DISSERTATIO VIGESIMA NONA *de anno Diluvii, & de Meta vitæ hominum post Diluvium.*

DISSERTATIO TRIGESIMA *de secunda mundi ætate, & utrùm ejus duratio meliùs assignetur in versione septuaginta Interpretum quàm in textu Hebraico.*

DISSERTATIO TRIGESIMA PRIMA *de Cainano Arphaxadi filio & de annis nativitatis Tharæ & Abrahæ.*

SECTIO PRIMA *de Cainano Arphaxadi filio.*

SECTIO SECUNDA *de annis nativitatis Tharæ & Abrahæ.*

DISSERTATIO TRIGESIMA SECUNDA *de tertia mundi ætate, ejus initio, duratione & fine.*

DISSERTATIO TRIGESIMA TERTIA *de quarta mundi ætate, ab egressione nimirùm Israëlitarum usque ad Templi Salomonis ædificationem.*

DISSERTATIO TRIGESIMA QUARTA *de quinta mundi ætate ab initio ædificationis Templi ad ejus destructionẽ.*

DISSERTATIO TRIGESIMA QUINTA *de sexta mundi ætate à combustione primi Templi ad Christum.*

Approbatio Regii librorum Censoris.

LEGI librum cui titulus est *Dissertationes Historicæ Criticæ Chronologicæ in Sacram Scripturam.* Datum in Sorbonâ die 15' mensis Junii anno 1692. PIROT.

Summa Privilegii Regii.

AUTHORITATE Regiâ sancitum est ne quis librum cui titulus est *Dissertationes Historicæ, Criticæ, Chronologicæ in Sacram Scripturam,* Authore Domno MATHÆO PETIT-DIDIER Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Sanctorum Vitoni & Hydulphi Presbitero & Monacho, inter octo annos, à primâ operis promulgatione numerandos, typis mandet, aut alibi mandatum in hoc regno divendat, absque consensu ejusdem. Hocque omnibus notum, perspectũ, indictum habeatur, perindè ac si Privilegium ipsum authenticum operis initio præfigatur. Qui secus faxit, pœnis Regio diplomate declaratis mulctabitur. Datum Parisiis die 18. Junii anni 1692.

De Mandato Regis
Sig. BULTEAU.

QUOD quidem diploma in acta Bibliopolarum & Typographorum Parisiensium relatum est die 7. Augusti an. 1692. à PETRO AUBOUIN Syndico.



PERMISSIO REVERENDISSIMI Patris Præsidentis Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.

NOs Præsidens Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi Ordinis Sancti Benedicti viso diplomate Regio quo facultas tribuitur R. P. D. MATHÆO PETITDIDIER ejusdem Congregationis Presbytero & Monacho, typis edendi librum cui titulus est *Dissertationes Historicæ, Criticæ, Chronologicæ in Sacram Scripturam*; eidem R. Patri editionem & divulgationem ejusdem libri per quemcunque Typographum vel Bibliopolam procurandi facultatem impertimur. Datum Nanceii die 20. mensis Januarii an. 1699.

Domnus GABRIEL MAILLET.

De Mandato Reverendissimi Patris Præsidentis
D. FERDINANDUS DORDELU
Scriba.

ERRATA GRAVIORA.

PAgina 7. linea 17. & cæteri, *lege* &c. pag. 13. lin. 13. nullatenùs anteà *lege*, nullatenùs de anteà. ibidem. l. 26. Arabica, leg. Aramica. pag. 32. l. 20. ac, l. at. pag. 36. lin. 21. quos, l. quæ. pag. 37. lin. 11. arbitrati, l. arbitrati sunt. pag. 42. lin. 16. ita uno, l. ita ut, uno. pag. 44. lin. 9. hæc, l. has. pag. 53. lin. 11. non autem, l. sex aut. pag. 56. lin. 12. habeant, l. habent. pag. 73. lin. 32. enim, l. est. pag. 87. lin. 23. authenticam, l. authenticum. pap. 97. lin. 7. recipiunt, l. recipi ut. ibid. lin. 31. adhæserunt, l. adhæserint. pag. 101. lin. 3. potuerunt. l. poterunt. pag. 107. lin. 30. eveni, l. evenit. pag. 108. lin. 12. bucatis, l. fucatis. pag. 110. lin. 21. vel non, l. vel nos non. pag. 112. lin. 31. seu, l. sed. pag. 128. lin. 4. ante, l. ante Aristotelem. pag. 140. lin. 12. Ecclesiasticæ. l. Scholasticæ. pag. 146. lin. 12. cum, l. eum. ibid. lin. 13. apparuisset, l. apparuisse. pag. 149. lin. 17. qui, l. quæ. pag. 153. l. 19. de quâ, l. quam. pag. 157. lin. 4. minus l. majus. pag. 161. lin. 16. referant, l. referunt. pag. 168. lin. 3. conjugi, l. conjugii. pag. 176. lin. 14. Monarchicis, l. Monarchicus. pag. 180. l. 36. 384. l. 3840. pag. 184. lin. 30. altare, l. altari. pag. 188. lin. 9. atque, l. sicque. pag. 191. lin. 18. jacteretur, l. jactaretur. pag. 194. lin. 25. conquiescunt, l. conquiescant. pag. 195. l. 23. eam, l. eum. p. 196. l. 35. demonstrare, l. demonstrari. p. 198. l. 26. ℣. & n. to. l. vet. & nov. Testam. p. 205. l. 24. verborum, dictum, l. verborum dicium. p. 213. l. 5. Samuele, l. Lamuele. p. 216. l. 12. Athan, l. Athanasius. p. 217. l. 22. sit, l. sint. p. 223. l. 37. cum tamen l. tamen. p. 237. l. 5. quælibet, l. qualibet. pag. 238. l. 11. facile, l. facile est.

ERRATA LEVIORA.

QUoties reperitur Hæbræus Hæbraicus &c. Cananæus &c. Caracter &c. toties legendum, Hebræus, Hebraicus &c. Chananæus & Character &c.

Pag. 7. lin. 25. Themisteo, l. Themistio. p. 10. l. 17. haberi, l. Heberi. p. 12. l. 7. nunquam ullam, l. nullam unquam. p. 16. l. 18. & 21. Aben-Eira, Aben-Eiræ, l. Aben-Esra, Aben-Esræ. ibid. lin. 22. & 26. Masorotæ, l. Massorethæ. p. 20. l. 14. lenius, l. levius p. 25. l. 27. interprætantur, l. interpretantur. p. 34. l. 32. nomen, *dele* p. 49. l. 17. Historis, l. historicis. p. 51. l. 8. à quam, l. quam. p. 77. l 19. Cobelcos, l. Obeliscos. p. 78. l. 10. Laciani, l. Luciani. p. 80. Flamminius nobiliùs l. Flaminius Nobilius. p. 88. l. 6. & p. 89. l. 14. Consilii, l. Concilii. p. 92. l. 12. videbrntur, l. videbantur. p. 198. l. 23. Consilio, l. Concilio. p. 112. l. 10. adjudicarunt, l. abjudicarunt. p. 132. l. 29. inisse, l. ivisse. p. 133. l. 8. citam, l. sitam. idib. lin. 11. & 23. Henilath, l. Hevilath. p. 148. l. 22. idonæam, l. idoneam. p. 150. l. 23. Peresium, l. Pererium. p. 152. l. 15. deprehenderet l. comprehenderet. p. 165. l. 20. prohibit, l. prohibita. p. 190. l. 3. historiâ l. historicâ. p. 191. l. 7. Hircænus, l. Hircanus. p. 199. l. 11. ventrilo quâ, l. ventriloquâ. ibid. l. 30. Præpheta. l. Propheta. p. 206. l. 5. Huesius, l. Huetius. p. 210. l. 3. authentitiam, l. authentiam. p. 218. l. 5. ipsum, l. istum. p. 219. l. 36. à Congregatione, l. è Congregatione. p. 220. l. 12. Patribus, l. partibus. p. 229. l. 27. Cliton, l. Clitou. p. 230. l. 33. Tirsi, l. Tisri. p. 231. l. 9. distentâ l. distent a. ibid. l. 18. Consilio, l. Concilio, & lin. 22. Consilii, l. Concilii p. 232. l. 26. Consiliorum. l. Conciliorum. p. 234. l. 3. Calvium, l. Clavium. p. 242. l. 12. Polihistoro, l. Polihistore. p. 253, l. 13. Judaice, l. Judaicæ. pag. 254. l. 1. mutare, l. nutare. p. 261. l. 8. sequentem, l. currentem. ibid. l. 29. lectiones, l. lectionem. p. 263. l. 9. cum l. cum. ibid. l. 14. hac, l. hæc. p. 263. l. 11. Nachor, l. Thare. p. 273. l. 16. conveniant l. conveniunt. idib. l. 17. tractatam, l. jactatam. p. 276. l. 30. apponant, l. opponant. p. 293. l. 4. ut fæculi, l. sæculi. p. 295. In ultimâ chyphrâ annorum mundi, loco an. 261. lege 2619. p. 315. l. 24. incoatos, l. inchoatos. ibid. l. 26. Raboamo, l. Roboamo. p. 316. l. 11. dicatur, l. dicitur. p. 327. l. 6. 78. l. 70. p. 330. l. 12. potestatatem, l. potestatem. p. 333. & 334. reperitur pluries Macab, pro Machab. p. 335. l. 5. pulsus est. An. ibid. est, an. p. 335. l. 24. Cezicenus, l. Cyzicenus. p. 337. l. 20. 3532. l. 3531.



DISSERTATIONES HISTORICÆ, CRITICÆ, CHRONOLOGICÆ IN SACRAM SCRIPTURAM VETERIS TESTAMENTI.

DISSERTATIO PRIMA DE LINGUARUM ET CHARACTERUM ORIGINE.

SECTIO I.

De Linguarum origine.

IRCA Linguarum originem celebris est sententia Diodori Siculi lib. 2. Bibliothecæ Historicæ; cui adstipulantur Vitruvius lib. 2. de architect. c. 1. & Lucretius, asserentes primos homines more belluarum, initio voces

inarticulatas & confusas edidisse; dehinc sonos aliquos articulatos effinxisse; ac postmodum processu temporis, per diversa signa notam sibi invicem fecisse rerum omnium interpretationem, & linguas integras efformasse. Diversitatem vero linguarum seu idiomatum, ex diverso in diversis hominibus rationis usu profluxisse docuerunt.

Quamvis autem hæc sententia sacris litteris contraria videatur, & ante annos plusquam mille trecentos ab Eusebio l. 1. de præp. Evang. c. 4. fuerit explosa; nuperrimè tamen Richardus Simonius hist. crit. vet. test. l. 1. c. 14. & 15. eam tueri aggressus, & cum sacrâ scripturâ conciliare conatus est; hac nimirum ratione, quòd ista opinio fidem nostram cum humanâ ratione, & Theologiam cum Philosophiâ conciliet. Nec valdè movet Simonium quod Scriptura videatur Deo tribuere tam linguarum originem, quam earum multiplicitatem: præterquam enim Gregorium Nyssenum Orat. 12. contra Eunomium in hac sententiâ ducem & authorem habet: respondet Scripturæ verba non esse semper urgenda ad rigorem Grammaticæ: sed plerumque rationi esse accommodanda. Undè infert Scripturæ loca, quæ Deo multiplicitatem linguarum tribuunt, sufficienter salvari, si linguarum confusio ad specialem Dei providentiam referatur.

Sed ut circà quæstionem propositam mentem nostram aperiamus, dicendum est istam sententiam, difficilè cum rectæ Theologiæ principiis; difficiliùs etiam cum Scripturæ verbis posse conciliari: nec tutum esse hac in parte à communi sententiâ, quæ Deo authori linguarum originem tribuit, recedere. Enimvero quod ad primam linguam attinet, quis sibi in animum inducat, Deum, cujus omnia opera perfecta sunt, creasse primum hominem in eo statu, quo suos conceptus absque summo labore uxori suæ patefacere non posset. Ecquid enim tanta imperfectio, cum perfectione in quà creatus est, & tanta in exprimendis cogitationibus molestia, cum statu beatitudinis naturalis conciliari potuisset? Præterea si primus homo linguæ alicujus usum in creatione non accepit, sed processu tantum temporis suo labore acquisivit, quomodo statim à creatione singulis animantibus sua nomina imponere potuit? Quomodo statim Dei colloquio

tisus, & cum suâ uxore familiariter conversatus est? Quomodo tandem homo animal polyticum & ad societatem natum dici posset, si id sine quo societas stare nequit, in creatione non accepisset?

Concludendum est igitur primos homines cum alicujus linguæ scientiâ, ejusque expedito usu creatos fuisse, ac primam linguam Deum authorem habuisse.

Quantum autem attinet ad alias linguas, quæ ex Babelycâ confusione profluxerunt, non erit magis difficile ostendere illas etiam à Deo authore profluxisse; clarior enim est hac de re textus sacer, quàm ut ejus verba in alienum sensum detorqueri possint. Primùm enim expresè notat unicam fuisse linguam in toto orbe, cum cæperunt filii Noë turrim babelycam ædificare. *Erat autem*, inquit Genes. ij. 1, *terra labii unius & sermonum eorumdem.* Et v. 6. *Ecce unus est populus & unum labium omnibus.* Deinde subdit v. 7. *Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguam ipsorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Postea vero subjungit quod factum est his verbis v. 8, & 9. *atque ita divisit eos Dominus in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem, & id circò vocatum est nomen loci illius Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ.* Ex quibus omnibus manifestum est 1.° ante confusionem unicam, ut diximus, fuisse hominibus linguam. 2.° confusionem à Deo fuisse immissam in pœnam, & ut ædificatores turris opus suum imperfectum relinquere cogerentur; quod alioqui non fecissent, ut innuunt ista verba v. 6. *Nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant.* Atqui ista duo sufficiunt ad evertendas responsiones, quibus Symonius scripturæ verba conatur eludere. Nam 1.° quod dicit hinc ortam esse confusionem linguarum, quia in ædificatione turris multa occurrerunt, quæ necdum sua habebant nomina; quis credet linguam, quâ unicâ nepotes Noë ab annis plusquam centum à diluvio elapsis, utebantur, quamque ab ipso Noë sexcentis annis antediluviano didicerant, adeo imperfectam & informem fuisse; ut necdum illis voces ad materiam & instrumenta ædificiis erigendis necessaria exprimenda suppeterent?

Quod vero ſubdit ideò ſcripturam Deo hanc confuſionem tribuere, quia ad ejus providentiam pertinuit, & ab illâ fluxit, nimis etiam à textu ſacro recedit. Quis enim ex ipsâ lectione ſcripturæ ſtatim non perſpiciat, effectum ædificationis eſſe non potuiſſe, quod in ipſius pœnam à Deo immiſſum eſt? Adde quod inficiari nequit Symonius, quin iſta, quibus, in ejus hypotheſi, nulla tribuerant adhuc nomina nepotes Noë, pauciſſima fuerint, in comparatione eorum, quorum nomina omnibus nota erant. At ſi dumtaxat in pauculis iſtis vocibus facta eſt confuſio, Quomodo verum erit, quod ait ſcriptura, talem fuiſſe confuſionem ut non audiret, id eſt, non intelligeret unuſquiſque vocem proximi ſui?

Sed & ſi nulla ſcripturarum ſuppeteret authoritas ad hanc linguarum multiplicationem Deo tribuendam; ſola tamen ratio id abundè comprobaret. Non enim tanta nec tam ſubita linguarum diverſitas, aliundè provenire potuit, quam aut ex Dei voluntate qui illam immiſerit; aut ex Angelorum poteſtate, qui illam produxerint, (ut Origeni & nonnullis Rabbinis viſum eſt) aut ex hominum arbitrio, qui ſpontè & ex deliberata mente tantam linguarum diverſitatem induxerint: atqui per Angelos id fieri non potuit; ſiquidem ſuperat eorum poteſtatem, quâ nec in mentes, nec in voluntates agere poſſunt; ſicut nec omnes ſpecies memoriæ impreſſas in momento delere, aliaſque earum loco ſubſtituere: neq; etiam per homines, cum incredibile ſit eos in tantam linguarum varietatem conſentire voluiſſe. Cur enim voluiſſent ſermonem per tot ſæcula uſitatum, & ad vitæ ſocietatem tam neceſſarium mutare, ſe ſeque tanto unius linguæ omnibus notæ beneficio privare? ſed & ſi id voluiſſent, quomodo tamen perficere potuiſſent? Concipi quidem poteſt plures homines diverſas linguas loquentes aliquam novam ad ſuos conceptus exprimendos excogitare poſſe: ſed nunquam concipi poterit, quomodo multitudo magna hominum, qui linguam eamdem habent, in aliâ novâ ſubitò excogitandâ conſentire poſſit, præſertim abſque notabili prioris linguæ admixtione. Sed iſta ampliori probatione non indigent.

Quæritur vulgò quot linguæ ex babelyca confuſione

prodierint? ad quod unica certa reſponſio eſt id omnino eſſe incertum. Qui Hæbraico textui adhærent ut paraphraſis quæ Jonathani in Geneſ. ij. v. 7. & 8. tribuitur, & Talmudiſtæ tract. Sanhedrim c. j. plerumque ſeptuaginta linguas numerant; qui verò ſequuntur verſionem τῶν ο ſeptuaginta duas ex confuſione ortas ſtatuunt, juxta numerum familiarum, quæ in ſacro textu recenſentur. Hinc eſt, quod ferè omnes Patres tàm græci, quàm latini, qui verſione τῶν ὀ uſi ſunt, ut Clemens Alexandrinus ſtromat. lib. 1. Euſebius l. 1. chron. pag. ij. Epiphanius hæreſi 39. quæ eſt Sethianorum. Auguſtinus lib. 16. de civ. c. 13. Proſper, ſive author libri de vocatione Gentium lib. 1.° c. 9. Author libri de mirabilibus ſcripturæ, & author quæſtionum in utrumque teſtamentum inter opera Aug. Philaſtrius hæreſi 63. & cæteri ſeptuaginta duas linguas ex babelyca confuſione ortas voluerint. Nonnulli tamen authores ut Ephorus & alii quos refert Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromat. ſeptuaginta quinque numerarunt.

Sed ſi res diligentius inſpiciatur, facilè erit animadvertere hunc numerum aut extendendum, ſi tot linguæ quot homines numerentur, cum longè plures fuerint ex Chami & Japheti poſteris quam qui in Geneſi recenſentur: aut potius hunc eundem numerum conſtringendum eſſe; ſiquidem nonnulli eorum quos recenſet Moſes Geneſ. 10. necdum nati erant cum iſta confuſio contigit, & plures eorum qui tunc erant etiam poſt confuſionem primævam linguam loquuti ſunt, ut de Cananæis ex Scripturâ manifeſtum videtur, & de aliis refert Samuel Bochartus Geogr. ſacr. l. 1. c. 15. qui vix triginta linguas ex confuſione ortas concedit.

Porro quamvis incompertum nobis ſit quænam ex linguis hodiernis ab iſta Babelis confuſione originem trahant, inter eas tamen quæ nobis notæ ſunt, nonnullæ quaſi Cardinales, è quibus aliæ multæ pullularunt à viris doctis recenſentur, nimirum Hæbraica, Græca, Latina, Teutonica, Sclavonica, Tartarica & Chinenſis, quæ ſunt omnium quas noverimus, antiquiſſimæ.

Verum cum omnia ſint in perpetuo fluxu, nihilque magis obnoxium ſit mutationi quam linguæ, varias etiam mutationes

hæ, quas modo recensuimus perpessæ sunt. Hæbraicæ nitor jam diu in captivitate Babilonica ex Chaldaicæ commixtione deperiit. Græcæ idem accidisse ex Turcarum in Orientale imperium irruptione cernimus. Sed nec latina lingua seipsam ab hujusmodi corruptione servare potuit, ex quo gens Gothorum Italiam aliasque occidentales plagas occupavit, &c. Harum autem mutationum causa præcipua est; quod sermo in usu & consensu populorum, sicut nummi valor, positus est, ideoque multis de causis, prout vulgus mobile est, immutatur.

SECTIO SECUNDA.

DE LITTERARUM SEU Characterum origine.

QUOD spectat ad litterarum seu characterum originem, duo circa illam inquiruntur. Primum à quibus, secundum vero quo tempore inventi sint characteres.

Hujus inventionis gloriam sibi vendicarunt præcipuæ orbis nationes ut Ægiptii, Phænices, Hæbræi & Assyrii. Ægiptiis eam tribuunt Diodorus Siculus lib. 2. Plutarchus symposiachon l. 20. c. . Cicero lib. 3. de natura Deorum & alii dicentes Deum quemdam ab Ægiptiis coli solitum nomine Teuth, litteras primum adinvenisse, easque Ægytios cultores suos edocuisse. Illum vero Teuth asserunt fuisse Mercurium Trismegistum, à quo libros innumeros conscriptos fuisse docet Philo bibliensis apud Eusebium. Verum hæc omnia dubiæ admodum sunt fidei; prætterquam enim librorum illorum, nemo præter Philonem hactenus meminit; omnes ferè docti hodiè asserunt tam hunc Mercurium, quam quæ de illo feruntur esse fabulosè conscripta, aut si quæ vera conjiciunt circa litterarum inventionem, ea de litteris hieroglyphicis, non de characteribus elementaribus intelligenda statuunt.

Nec magis favet Ægiptiis, quod dicunt Cadmum Ægi-

ptium primum fuiſſe qui Græcis litteras tradidit : nam & ſi res ita ſe habeat, minime tamen ab Ægyptiis, ſed à Phænicibus eas Cadmus acceperat, ut conſtat 1.° ex Herodoto qui id expreſsè teſtatur in Terpſycore, 2.° ex eo quod Græcos litteras non docuit Cadmus niſi poſt ſuum ex Phænicia reditum; ſi tamen ex Ægipto in Phæniciam umquam profectus eſt, plerique enim veteres eum ex Phænicia oriundum faciunt, ut Plutarchus ſympoſiachon lib. 9. problemate 3.° Clemens Alexandrinus ſtromat. l. 1.° & alii apud Voſſium de arte gramm. l. 1. c. 10. & Bochartum Geographiæ ſacræ 2.ª partis l. 1.° c. 20.


Omiſsâ igitur hac ſententiâ quidam ut Eupolemus apud Clementem Alexandrinum ibidem Moſi litterarum adinventionem adſcribunt; ſed hoc omnino gratis; præſertim cum ipſe Moſes decem mandata in tabulis lapideis ſcripta à Deo accepiſſe legatur. Alii ut Plinius l. 5. & 7. Lucanus l. 3. Critias apud Athenæum lib. 1.° & cæteri litterarum inventionem ad Phænices referunt, & inde eſt quod apud Heſychium ἐξφοινιξαι ſeu phæniciſſare eſt legere. Sed & ſi Phænices Græcis litteras primi omnium tradiderint, ut eſt communis ſententia fere omnium veterum, non fuerunt tamen primi earum inventores; ſiquidem ipſi ab Aſſyriis eas acceperant, ut docet Diodorus Siculus l. 5.° Per Aſſyrios autem ipſos etiam Hæbræos ſæpe intelligendos eſſe eruditorum nemo neſcit, & evidenter oſtenditur ex Themiſtheo, qui oratione 9. Hæbræorum libros vocat γράμματα τῶν ἀσσυρίων dum ex proverbiis Salomonis id citat, *cor Regis in manu Dei*. Porro litterarum antiquitatem apud Aſſyrios eximiè probat Simplicius comment. 46. in Ariſtotelis lib. 2.um de cælo, cum refert Caliſthenem rogatum ab Ariſtotele miſiſſe in Græciam aſtronomicas Chaldæorum obſervationes ab annis mille nongentis tribus ante Alexandri magni tempora, id eſt ab annis 200. ante natum Abraham, paulo ante turris babelycæ ædificationem. Ex quibus patet ante diſperſionem gentium Aſſirios litterarum uſum jam habuiſſe. Eas autem ante diluvium jam uſitatas & ab Adamo aut Setho excogitatas fuiſſe, & ſi nulla ratio invictè probat, multa tamen rem faciunt admodum probabilem.

Primò enim confecta res est si fidem Josepho habeamus. Scribit enim ille lib. 1.° antiq. c. 3. rerum cælestium disciplinas in duabus columnis, quarum altera ad ejus usque ætatem conservabatur, ab hominibus antediluvianis fuisse conscriptas. Sed suspicari aliquis fortassis posset, Josephum hac in re, quæ suæ genti aliquatenus favebat, non satis cautum fuisse, ad cavendam deceptionem.

Secundò id confici potest ex sagaci Adami ingenio, & maxima litterarum utilitate. Vix enim credibile est Adamum plusquam novem sæculis vixisse, nec tamen in tanto temporis spatio aliquem modum excogitasse, quo & series annorum observari, & rerum gestarum memoria conservari, & ejus ad posteros scientia transmitti posset.

Tertiò idem probatur quod licet usus litterarum antiquissimus sit, ut ex dictis constat, nullum tamen certum tempus assignari potest quod earum inventioni fecerit initium. Ex quo sequi videtur eas semper in usu fuisse, proindeque Adamo non incognitas.

Quartò denique quia vix negari potest quin Enoch aliqua scripserit, cum ejus prophetia quam refert in epistola sua B. Judas per tot annorum millia sine scripturæ adminiculo servari non potuerit. Unde D. Aug. ait, l. 1.° de civit. c. 15. *Scripsisse divina quædam Enochum illum septimum ab Adamo negare non possumus.* Nec certe huic argumento satisfacit Simonius, cum ex historia Jannis & Mambre probare nititur multa alia beneficio solius traditionis fuisse servata : nam præterquam in temporum diuturnitate maxima est differentia, longè facilius est facti alicujus memoriam, quam sententias ab aliquo prolatas sine scripto conservari apud posteros.



DISSERTATIO

DISSERTATIO SECUNDA.

DE LINGUA HÆBRAICA & Characteribus Hæbraicis.

SECTIO PRIMA.

De Lingua Hæbraica.

LInguam Hæbraicam ſic dictam eſſe ab Hæbræis nemo ambigit; at unde tandem Abrahæ & poſteris ejus nomen iſtud obtigerit non ita omnibus eſt compertum. Alij enim Hæbræos quaſi Abrahamæos denominatos putant, ſed hæc ſententia jam diù ab omnibus doctis exploſa eſt. Alij ab Hebero Semi pronepote nuncupatos volunt; & quidem hujus ſententiæ ſunt inter veteres Joſephus l. 1. antiq. c. 6. Euſebius de prepar. Evang. l. 7. c. 2. Aug. de Civ. l. 16. c. 3. & l. 18. c. 39. Inter recentiores verò Pererius, Mercerus, Genebrardus, Cornelius â lapide, Simonius &c. Alij denique â voce *Ebri* quæ tranſitum ſeu trajectionem ſignificat, Hæbræos appellatos fuiſſe contendunt. Cui ſententiæ patrocinati ſunt ex veteribus Africanus, Origenes, Diodorus Tarſenſis, Chriſoſtomus, Theodoretus: ex recentioribus Joſephus Scaliger, Brianus Waltonus & alij quorum ſenſus probabilior nobis apparet ob rationes ſequentes.

1°. Quia veriſimile non eſt Abraham qui ſex generationibus Hebero poſterior erat, ab eo nomen habuiſſe; cum nullus ex ejus progenitoribus licet ad Heberum magis accedentibus nomen iſtud habuiſſe deprehendatur.

2°. Quia Abraham ipſe tunc primum Hæbræus appellatus eſt, cum Euphratem trajecit, & terram Chanaam ingreſſus eſt.

3°. Quia huic ſententiæ apertè favet verſio ſeptuaginta interpretum, quæ capite 14. Geneſeos, ubi legimus in vul-

gatâ, Abraham Hæbræo, ſic habet, Abraham τω πήρατι id eſt tranſitori, nec valet quod adverſarij reſpondent tranſitum illum Abrahami non fuiſſe actionem tam inſignem, ut ei cognominationem novam mereretur; non enim ab actionis æſtimatione, ſed à perſonæ novitate & regionis tranſmutatione nomen illud Abrahæ à Cananæis impoſitum eſt: eodem modo quo nonnullos populos Ultramontanos, Tranſalpinos, aut Tranſmarinos appellamus.

4°. Quia hæc ſententia etiam ex rationum alterius ſententiæ debilitate firmatur; qui enim Heberi etimologiam conantur adſtruere, duo tantùm pro ſuâ ſententiâ adducunt, quorum alterum male intellectum, alterum verò gratis aſſertum eſſe facilè oſtenditur. Primum eſt quod Geneſis 10. de Semo dicitur eum eſſe *Patrem omnium filiorum Heber*. Sed reſpondetur aut, pro, filiorum Heber, legendum transfluvialium, ut docent plures interpretes non indocti, aut certè ideò haberi nomen expreſſum quia magis in particulari genealogiam ejus recenſet Scriptura, quàm aliorum filiorum Sem. Secundum quod pro ſuâ ſententiâ adducunt, eſt quod lingua Hebraica in ſolâ Heberi familiâ conſervata ſit in remunerationem ejus fidelitatis quâ ædificationi Babelicæ turris conſentire detrectavit. Sed reſpondetur 1°. Incertum eſſe an Heber ædificationi turris conſenſerit necne. 2°. Non magis certum eſſe an lingua Hebraica in Heberi familiâ conſervata ſit, imo certum videri Abraham non ab Hebero, ſed à Cananæis linguam quam Hebraicam appellamus didiciſſe; ſiquidem ex libro Joſue conſtat nomina montium, urbium, & cæterorum locorum terræ Canaam, etiam antequam ab Hæbræis poſſiderentur, fuiſſe hebraica; & ex Geneſeos 27. clarum eſt linguam illius regionis, ex qua egreſſus fuerat Abraham, diverſam fuiſſe ab hebraica. Sed hactenus dictum ſit de nomine.

Ut igitur ad rem ipſam veniamus, quæritur an lingua Hebraica ſit omnium antiquiſſima, eaque quâ Adam uſus eſt. Ad quod reſpondemus affirmativè contrà Grotium qui exiſtimat primam linguam nullibi nunc extare, ſed in confuſione Babel periiſſe: & contrà Theodoretum qui antiquitatis

privilegium Syriacæ ſeu Chaldaicæ linguæ tribuit. Firmiſſimum autem pro noſtrâ ſententiâ argumentum petitur ex nominibus hominum ac locorum quæ ab initio mundi uſque ad linguarum confuſionem in Scriptura recenſentur. Cum enim eorum omnium radices & etimologiæ in ſolâ linguâ Hebraicâ reperiantur, nec veriſimile ſit Moyſen per totam hiſtoriæ ſeriem tot nomina tam aptè potuiſſe in aliam linguam mutare ut eorum vis & ſignificatio eadem ſemper remaneret, indicium eſt manifeſtum linguam Hæbraicam eſſe non ſolum omnium antiquiſſimam, ſed eam ipſam quâ primus homo ejuſque poſteri ad diluvium uſque uſi ſunt. Idipſum confirmatur tum ex nominibus Gentilium Deorum quæ plærumque ab hebraicis radicibus derivantur, tum ex ipſius linguæ ſimplicitate & puritate, quæ tanta eſt ut nihil ab alienis linguis mutuetur, cum tamen ferè omnes aliæ aliquid ab illâ acceperint.

Erit fortaſſis qui miretur & difficile credat linguam quæ apud ſolos Cananços Chami poſteros in uſu erat poſt Babelicam confuſionem dici à nobis omnium antiquiſſimam. Sed mirari deſinet, ſi attenderit hoc privilegium Cananęis fuiſſe conceſſum ſolum in gratiam Iſraëlitarum qui linguam iſtam ab illis aliquando edocendi erant. Cæterum lingua Hebraica poſt captivitatem Babilonicam Judæis paulatim deſiit eſſe vernacula. Cum enim per ſeptuaginta annos coacti ſint extrà patriam ſuam Chaldæis ſervire, hinc contigit ut qui linguam Chaldaicam in captivitate didicerant, ſuæ facilius obliti ſint, eamque, paucis vocibus exceptis, penitùs reliquerint. Interim tamen hic obiter notandum eſt contrà communem ſententiam eruditorum, Judæos ſtatim à reditu captivitatis, linguam Hebraicam adhuc intellexiſſe, ut manifeſtum eſt ex libri 2. Eſdræ cap. 8. verſu 2. ubi habetur; *Attulit ergo Eſdras ſacerdos legem coràm multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere in die prima menſis ſeptimi, & legit in eo apertè in platea uſque ad mediam diem in conſpectu virorum & mulierum ſapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum*: & Verſu 8. *& legerunt in libro legis Dei diſtinctè & aperte ad intelligendum & intellexerunt cum legeretur.*

SECTIO SECUNDA.

De Characteribus Hebraicis.

CIrcà hebraicos characteres duo communiter inquiruntur, primum an semper in usu fuerint apud Hebræos illi characteres quos hodie Hebraicos appellamus. 2um. An iidem hebraici characteres puncta vocalia semper habuerint.

Quod spectat ad 1. variarunt hoc sæculo circà illud authorum sententiæ. Quidam enim ex Protestantibus non indocti probare tentarunt, nunquam ullam apud Judæos factam esse in characteribus mutationem. Sed hodie jam convenit inter omnes eruditos Israëlitarum characteres antiquitus eos fuisse quibus nunc utuntur Samaritani, quique apud Judæos in usu semper fuerunt donec post captivitatem Babilonicam ab Esdra in Chaldaicos immutati sunt. Hanc sententiam quam fusè probat Jacobus Capellus in tractatu quem de litteris hebraicis inscripsit, & Scaliger in epistolis ad Tompsonum & Hubertum & ad Eusebij annum 1657. Vossius de arte grammat. lib. 1. cap. 13. Drusius in Exodi caput 36. Grotius in notis ad librum de vera religione, & alii, paucis hic expediemus.

Probatur itaque primò ex testimonio veterum. Eusebius enim in Chronico ad annum mundi 4740. id expresè affirmat his verbis *Fuit Esdras eruditissimus legis divinæ & clarus omnium Iudæorum magister qui de captivitate regressi fuerunt in Iudæam; affirmaturque divinas litteras memoriter condidisse, & ut Samaritanis non miscerentur Iudaicas litteras immutasse.* Idem docet D. Hieronimus in prologo galeato & præfatione in libros Regum ubi sic habet, *Certum est Esdram Scribam legis & Doctorem post captam Hierosolimam & instaurationem templi sub Zorobabele alias litteras reperiisse quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum caracteres fuerint.* Similia reperies

apud eundem Hieronimum in Ezechielis caput 9. Denique idem confirmat venerabilis Beda citatus à Capello. Docet enim apud Hebræos nullam esse dubitationem Esdram litteras leviores sub nominibus earum quas hactenus habuerant excogitasse, priores Samaritanis reliquisse.

Qui contrariam tuentur sententiam ut Skiccardus, Picus, & Reuchlinus, respondent, aut istos authores à Samaritanis deceptos fuisse, aut de finalibus tantùm litteris loqui, vel saltem de characteribus sacris qui in usum communem introducti sint. Sed ista omnia levia sunt. Primo enim commentitia est & nullo nixa fundamento ista quam inter sacros & prophanos characteres statuunt, distinctio. 2°. Patres apertè loquuntur de characteribus innovatis, nullatenus antea usurpatis. 3°. Quod de litteris finalibus obtrudunt apertè repugnat D. Hieronimo, qui de 23. characteribus non de quatuor finalibus loquitur. Denique quod addunt eos à Samaritanis deceptos fuisse, nequidem verisimilitudinis speciem habet. Quis enim credat Eusebium & Hieronimum qui cum doctissimis Judæorum tandiù conversati fuerant à Samaritanis hac in re decipi potuisse, si contraria Judæi sensissent. Sed tantùm abest ut ista sententia aliquid à Judæorum traditione alienum habuerit, quin è contrà consentanea sit Patribus veterum Judæorum hac in re doctrina; sic enim habent in Talmude Babilonico tractatu San-hedrim sectione secunda. *In principio data est Israëli lex, scriptura Hæbraica & lingua sancta. Postea data est illis in diebus Esdræ scriptura Assyriaca & lingua Arabica. Postea elegerunt Israelitæ scripturam Assyriacam & linguam sanctam & reliquerunt idiotis scripturam Hebraicam & linguam Chaldaicam. Qui sunt illi idiotæ? Respondet R. Chasda, Cuthæi. Quæ autem scriptura Hebraica? Respondet iterum R. Chasda, scriptura Libonea* per quam omnes intelligunt Samaritanam.

Probatur 2°. eadem sententia ex antiquis numismatibus & siclis Judæorum ante captivitatem Cusis, quarum specimina præbet Brianus Waltonus tom. 1. Bibl. poliglot. in prolegomenis ubi de monetis. Hi enim omnes litteris inscripti sunt Samaritanis. Ex quo invictè probatur characteres, quibus Ju-

dæi ante captivitatem uſi ſunt, alios fuiſſe ab iis quos aſſumpſerunt poſt captivitatem. Neque enim cuiquam oriri poteſt ſuſpicio ſiclos illos â Samaritanis cuſos fuiſſe, qui legerit eorum inſcriptionem: quippe ex una parte ita habent: *Siclus Iſraelis:* ex altera verò: *Hieruſalem ſancta.* Quis enim ſibi in animum inducat Cuthæos qui urbi Jeruſalem infenſiſſimi ſemper fuerunt, eam nihilominus in ſuis ſiclis exhibuiſſe & ſanctam appellaſſe? Aut quis non videat potiùs ſiclos Iſraëlis nomine inſcriptos non Samaritanis, ſed Iſraelitis eſſe tribuendos?

Ut adverſarij hoc argumentum eludant, confugiunt iterum ad ſuam diſtinctionem de characteribus ſacris & prophanis ante captivitatem. Sed iſta cavillatio ſatis confutatur ex authoritatibus ſuperius allatis: diſertè enim aſſerunt ſcriptores adducti Eſdram characteres ſacrorum librorum immutaſſe; quod tamen falſum eſſet admiſſa diſtinctione adverſariorum, qui volunt characteres hodiernos in ſacris paginis ante captivitatem jam fuiſſe uſitatos: Samaritanos verò non niſi prophano uſui deputatos.

Objiciunt tamen aliquos ſiclos reperiri hodiernis litteris inſcriptos, quos ante captivitatem Babilonicam cuſos nemini dubium eſſe poteſt, cum nonnulli eorum nomen & vultum Salomonis præferant; ut quoſdam ſe vidiſſe teſtatur Skiocardus.

Reſpondeo nonnullos quidem ſiclos hodiernis litteris inſcriptos reperiri, ſed eos ante captivitatem cuſos nullâ ratione probari poſſe. Certum eſt enim eos, de quibus Skiccardus meminit, fictitios fuiſſe; ſiquidem Iſraelitis lege prohibitum erat ullius creaturæ animatæ ſimilitudinem repræſentare, idque ab ipſis ſumma religione fuit ſemper obſervatum, ut paſſim videre eſt apud Joſephum in libris antiquitatum, & apud Tacitum Annalium lib. 5. Quod ſiquis dicat eorum monetam tempore Chriſti Domini vultum Cæſaris prætuliſſe, ut patet ex Evângelio, reſpondetur Judæos ad id compulſos fuiſſe ex quo Romanis ſervire cæperunt; at quandiù ſui juris fuerunt, omnes figuras & ſimilitudines ſemper abominati ſunt.

Quod ad punctorum vocalium originem attinet; alij ea consonis coæva faciunt; alij ad Mosen, alii ad Esdram, alii denique ad tempora post-talmudica eorum inventionem referunt. In primis opinionibus tuendis plærique Protestantium tùm superiori tùm etiam nostro sæculo ad Judæorum partes transierunt. Eòque libentiùs id præstiterunt, quò sententia ista visa est ipsis minùs favere argumentis Catholicorum, quæ pro traditione asserendâ validissima sunt contrà eos qui punctorum novitatem agnoscunt, ut infrà ostendetur. Nihilominùs ultimam sententiam cum Catholicis sequuntur hodie inter Heterodoxos, quotquot eruditorum nomen ambiunt. Undè ut eam stabiliamus, præcipuas rationes, quibus fulcitur, hic referre non pigebit.

Probatur itaque primò ex confutatione aliarum sententiarum: certum est enim 1°. puncta nec consonis coæva, nec à Mose inventa fuisse. Cum enim Moses & post eum omnes Israelitæ usque ad tempora captivitatis litteris his usi sint, quibus nunc utuntur Samaritani, ut suprà probatum est: qui fieri potuit, ut puncta vocalia iis characteribus sint coæva, aut à Mose fuerint addita, cum hùc usque sine istis vocalibus permaneant apud Samaritanos? 2°. Gratis omninò & contrà omnem veri speciem inventum istud ad Esdram refertur. Cum enim sedulò notarint veteres eum characteres antiquos mutasse, nunquam punctorum vocalium inventionem tacuissent, siquid saltèm de eâ ipsis innotuisset. Cum igitur nec duæ priores sententiæ, nec tertia stare possint, restat ut ultima sit omnibus præferenda.

Probatur 2°. Ex silentio veterum tùm Christianorum, tùm Judæorum. 1°. Enim D. Hyeronimus, qui sæpissimè de diversâ vocum hæbraicarum legendi ratione meminit, nullibi punctorum vocalium mentionem facit. Imo sæpissimè queritur incertam esse apud Hæbreos vocum lectionem, cum sæpè eadem pro ratione diversarum vocalium, quæ ad legentis arbitrium addi possunt, res omninò diversas significet. At si puncta in usu fuissent tempore D. Hieronimi, singulæ voces ad unicam lectionem fuissent determinatæ. Ergo &c. 2°. Origenes, qui circà textum hæbraicum tam utiliter pro

Ecclesiâ laboravit, inutilem posuisset operam, dum græcis characteribus hæbraicum scripturæ textum in Exaplis expressit. Ad quid enim tantus labor, si textus hæbraicus tanta facilitate legi potuisset? 3°. Adhuc magis urget Talmudistarum & Cabalistarum silentium; cum enim Talmudici sæpe disputent de genuinâ vocum lectione & sæpe levissima circà textum nōtent, nunquam omisissent, si puncta vocalia ipsis nota fuissent, quin alicubi de his differerent, aut ex illis genuinam lectionem determinarent. Cabalistæ verò, quorum superstitiones & ineptiæ ex litteris & characterum conformatione petuntur, ne verbum quidem de punctis vocalibus proferunt.

Probatur 3°. ex praxi & testimoniis Judæorum. Praxis enim eorum est, ut codices qui in Synagogis leguntur, sint absque punctis, accentibus & versuum distinctione. Quod aliud nequit habere fundamentum, nisi quia credunt communiter primum Mosis codicem sic exaratum fuisse. Judæorum verò doctissimi Elias levita & Aben-Eira, ille in lib. de Masora, hic in libro elegantiarum, apertè docent primam punctorum inventionem Tyberiensibus magistris deberi. Hæc sunt verba Aben-Eiræ: *sapientes Tyberiadis pro norma & canone lectionis habendi sunt, quia ab iis sunt Masorotæ, a quibus totam punctationem accepimus.*

Confirmatur ex versione septuaginta interpretum, quâ constat ideò multis in locis eos aliter vertisse quàm habeatur in textu hodierno, quia aliter legerunt, quam Masorotæ, puncta vocalia apponendo, postea determinarunt.

Obji. Sublatâ punctorum authoritate divinâ, quæ lectionem ex se ambiguam ad unum sensum determinet, Scriptura nihil nisi obscurum & incertum continebit: atqui hoc repugnat providentiæ & bonitati divinæ, quæ dum sua arcana voluit hominibus manifestare, eo modo, qui ab hominibus posset percipi, præstare debuit.

Resp. Hanc objectionem eos tantùm tangere, qui negatâ traditione soli textus sacri litteræ adhærent, ut faciunt nostrates hæretici: sed Catholicos in nullo lædere. Hi enim quemadmodum Scripturæ sensum, sic etiam modum ipsum

legendi

legendi Scripturam ex traditione repetendum censent : undè cum nulla essent puncta , genuina cujusque vocis lectio ex traditione addiscebatur ; proindèque non minus certa erat lectio licet difficilior , ac si puncta vocalia cuilibet voci adjuncta fuissent. Adde Scripturam tunc temporis non fuisse penitus destitutam vocalibus , siquidem quatuor litteræ Aleph, Vau, Jod, & He in multis vocibus supplebant vices vocalium ; sic que difficultatem aliquatenus minuebant.

QUÆRITUR I. Quo tempore & à quibus puncta Vocalia reperta sint.

Resp. I. Inventionem illam Tyberiensibus magistris vulgo tribui, nullam tamen certam proferri posse rationem vel authoritatem , quâ illis hoc inventum tribuatur , nisi quia authores extiterunt utriusque Masoræ , quarum partem facere puncta vocalia vulgo creditur.

Resp. 2. Minùs adhuc certò definiri posse tempus , quo celebris ista punctorum additio sacro textui facta est. Tot enim ferè sunt hâc de re opiniones , quot alicujus nominis authores. Plerique quos Waltonus sequitur , existimant eam ad finem quinti aut initium sexti sæculi sive ad annum Christi circiter quingentesimum esse assignandam : sed nullum aliud habent suæ sententiæ fundamentum , nisi quod Tyberienses magistri , à quibus istam additionem factam putant , tempore D. Hieronimi celebres esse jam cæperant , ut ex sancto Doctore constat. At non sequitur quod Academia , quæ multis post Hieronimum sæculis adhuc viguit , potiùs circà ævum ejus , quàm sequentibus sæculis opus istud perfecerit. Quidam ut Simonius octavo circiter labenti sæculo inventionem istam assignant. Dicunt enim , quod satis probabile est, Hebræos puncta vocalia ab Arabibus mutuatos fuisse : idque vel inde patet , quod omnia punctorum vel accentuum nomina Arabica sint. Atqui Arabes octavo sæculo scilicet circà Omari ætatem puncta vocalia Alcorano addiderunt. Ergo &c. Sed ut fateamur puncta vocalia ab Arabibus desumpta esse ; non tamen sequitur id eodem factum tempore à Judæis, quo primum à Mahumetanis usurpata sunt.

Alii ut Joannes Morinus 2. parte exercitat. Biblic. Exercit.

12. c. 7. n. 8. contendunt punctorum inventionem noni sæculi finem aut initium decimi non præcessisse, à quâ sententiâ non longè abest Isaaccus Vossius in dissertationibus adversus Simonium cum huic punctorum usui non nisi sexcentos circiter annos tribuit. Suam autem sententiam probat Morinus ex diversis Judæorum in Scripturam observationibus, in quibus nullum punctorum vestigium reperitur. Primò enim nulla in toto Talmude fit eorum mentio; atqui Talmud ante annum 800. absolutum non fuisse probat idem Morinus ex multis quæ in eo continentur. Secundò tractatus Sopherim, quem Talmude posteriorem probat Talmudis ipsius de eo silentium, etiam de punctis omninò tacet. Tertiò priores lucubrationes Masoretharum, tum etiam diversæ lectiones Orientalium & Occidentalium quarum plerasque eodem Talmude posteriores, præter ipsius silentium probat longè major numerus diversarum lectionum & annotationum, quàm in Talmude reperiantur, ne verbum quidem de punctis habent. Hoc autem eò magis observandum, quò plerumque de solis minutiis tractant, ut de numero, figurâ & inversione litterarum, de diversis lectionibus & cœteris ejusmodi. At si tùm in usu fuissent puncta vocalia, nunquam omisissent, quin suas lucubrationes ad illa etiam extenderent, & Keri & Ketib circà illa annotarent: nisi quis contendat Amanuenses qui in vocibus integris sæpè cespitarunt, in punctis apponendis fuisse omninò ἀναμάρθητες. At istis omnibus lucrubrationibus quinquaginta saltèm anni tribuendi sunt à confecto Talmude; proindeque statuendum circà annum 850. puncta necdum fuisse apud Judæos usitata. Jam verò cum in lectionibus ben Nephtali orientalis, qui labente sæculo decimo florebat, multæ observationes circà puncta vocalia reperiantur; statuendum est intermedio tempore puncta vocalia fuisse à recentioribus Masorethis apposita, consequenterque eorum inventionem ad finem noni sæculi vel initium decimi esse referendam. Hæc Morini sententia ut firmioribus nixa rationibus cœteris præferenda videtur. Sunt tamen, ut nihil de diversis circà hanc questionem opinionibus omittamus, qui punctorum usum longè antiquiorem

indè concludunt, quod Caraïtarum secta antiquissima apud Judæos, quæ omnes omninò traditiones à Judæis inventas respuit, nihilominùs puncta vocalia receperit. Sed huic rationi responderi potest Caraïtas non ob antiquam traditionem, sed ob summam utilitatem puncta vocalia recepisse.

QUÆRITUR secundò quid ex statuta punctorum novitate pro Catholicis inferri possit adversus Heterodoxos?

Respondeo, hinc firmissimo argumento negatam ab his traditionem stabiliri. Enimverò si ante sex aut septem sæcula vocales apud Judæos in usu non fuerint, cum Scriptura absque vocalibus legi nequeat, quis non statim videt genuinam sacri textus lectionem aliunde quam ex traditione disci non potuisse? Nec dicas quatuor litteras supra dictas vocalium locum habuisse; ut ut sit enim de istarum litterarum usu, certum est plures voces nullam ex illis habuisse, cum tamen pronuntiari deberent; plures vero è contrà aliquas habuisse quæ pronuntiari non debebant in quibus proinde ad traditionem necessariò confugiendum erat, ut Protestantes ipsi fateri coguntur.

DISSERTATIO TERTIA.

DE TEXTU HÆBRAICO veteris & Græco novi Testamenti: utrum alteruter aut uterque fuerit unquam malitiosè & datâ operâ depravatus.

QUÆSTIO est potissimum de textu Hæbraico veteris testamenti: circa quam plerique doctores catholici tam dogmatici quam scolastici, non nulli etiam critici affirmativam tenent, Judæosque meditatæ depravationis sacrorum codicum insimulant. His adstipulantur etiam aliqui ex reformatis qui idem crimen Judæis objiciunt. At è contrario ferè omnes emunctæ naris Critici, & ex scholasticis ipsis cordatiores, Judæos ab hoc scelere eximunt; quorum sententia præ cæteris nobis arridet, ideoque ejus fundamenta primò referemus; deinde adversariorum objectionibus satisfaciemus.


Probatur itaque primò : si Judæi Scripturæ textùm malitiosè corruperint ; vel id facinus ante Christi adventum admiserunt, vel post ejus adventum. At id eos ante Christi adventum egisse, quis credet ? Nullum habebant sacro textu pretiosiorem thesaurum, eum à Deo inspiratum credebant, & ut ipsum Dei verbum venerabantur, unicum erat eorum Religionis & reipublicæ fundamentum : eo denique omnis spes illorum nitebatur. Quî ergo fieri poterat, ut tam eximium suæ antiquitatis monumentum ex industriâ depravarent, & divinum istud depositum gratis à se abjicerent ? Deinde si sacrilegium istud ante Christi Domini adventum commisissent, quomodo Christus Dominus, qui multa alia minus gravia Scribis & Pharisæis exprobravit de tanto scelere tacuit ? An fortè quia crimen istud ignoravit ; aut cognitum lenius quam ut illis objiceretur judicavit ? Præterea idem ipse Christus non solum Judæis istam corruptionem non exprobravit : sed è contra Scripturam eorum approbavit ; cum & eam Synagogis exposuit, & in concionibus sæpissimè laudavit, & Judæos circa ipsum hæsitantes ad eam remisit : ac denique Scribas & Pharisæos scripturam docentes audiri præcepit. At si Scriptura tunc temporis à Judæis jam depravata fuisset, Christus Dominus istis omnibus eos magis in errorem induxisset ; persuasisset enim Scripturam quam tanti faciebat, & tantùm laudabat esse incorruptam.

Jam vero non minus certum est corruptionem istam post Christi Domini adventum non accidisse. Si enim Judæi post Evangelii promulgationem voluissent aliquid in suis codicibus depravare ; id egissent maximè circà Prophetias, quæ Christum Dominum verum Messiam demonstrant. Atqui tantum abest, ut eas eraserint è suis codicibus, aut immixta corruptione enervarint ; quin è contra plerumque contingit, ut notat Bellarminus, quod Prophetiæ magis urgent Judæos in Hæbraico textu, quam in versionibus. Deinde si Judæi primis Ecclesiæ sæculis textum Hæbraicum depravassent, cum vulgata versio ad illius normam facta sit, illique ut plurimum ad amussim respondeat, sequeretur Catholicos non habere sinceram scripturam, & Tridentinos Patres vehementer errasse,

cum vulgatam verſionem Eccleſiæ propoſuerunt, & authenticam declararunt. Porro conformitas vulgatæ cum Hæbraico textu hodierno, ſatis demonſtrat eam poſt D. Hieronimi tempora non eſſe corruptam.

Præterea ſi Judæi à tempore Chriſti Domini voluiſſent Scripturas depravare, quomodo id à primis Chriſtianis non fuiſſet animadverſum: quomodo ſi animadverſum in Judæis non fuiſſet reprehenſum: aut ſaltem ab iis qui à Judaiſmo ad fidem convertebantur non fuiſſet exprobratum? Denique & ſi gratis ſupponeremus Judæos omnes ſuos codices potuiſſe depravare & voluiſſe: quî fieri poterat ut etiam eos omnes qui à Chriſtianis ſervabantur pari modo depravarent? id certè fidem omnem ſuperat. Certum igitur maneat & inconcuſſum Judæos Scripturam ſacram numquam depravare voluiſſe, nec ſi voluiſſent potuiſſe.

Probatur ſecundo tum ex divinâ providentiâ, tum ex ſtudio Judæorum erga Scripturam. Ex providentia quidem, Deus enim ideo, juxta ſanctos Patres, Judæos per univerſum orbem diſperſit, ut eorum circa libros ſacros teſtimonio Religio noſtra firmaretur. Unde D. Auguſtinus ait in Pſal. 56. *Iudæi tanquam capſarii noſtri libros noſtros circumferunt, ut cum Pagani non credunt quæ nos de Chriſto prædicta fuiſſe dicimus, quaſi à nobis eſſent conficta; mittamus eos ad inimicos fidei noſtræ Iudæos qui libros noſtros circumferunt in quibus eadem habentur quæ nos prædicamus.* At ſi Judæi Scripturas depravaſſent non potuiſſent Patres ad eos provocare, nec eorum teſtimonium Eccleſiæ profuiſſet; ſed obſuiſſet magis, cum Pagani de Prophetiarum veritate dubitabant. Debuit ergo divina providentia invigilare ne malitia Judæorum eos ad ſacri textus corruptionem impelleret. At id eam præſtitiſſe clarum eſt, vel ex ſolo ſtudio quod Judæi erga Scripturam ſacram exhibuerunt: tanta enim fuit quâ ſacros codices colebant reverentia, & tanta quâ eos exſcribebant ἀκρίβεια ut ex Joſephô libro 1. contra Appionem, & Philone apud Euſebium lib. 8. capit. 7. & 8. Judæi mortem oppetere potius eligerent, quam vel unum Legis apicem mutarent, aut adulterarent. Unde tradunt Rabbini, quod ſi quando uni-





cum erratum in aliquo Legis codice deprehendunt, codicem illum pro illegitimo damnant, & abjiciunt. Nec libros incorrectos servari patiuntur ultra triginta dies; eos vero, qui vltra quatuor errores continent sepeliendos volunt cũ probis hominibus.

Confirmatur ex eo quod Apostoli & Evangelistæ sæpe laudarint loca veteris testamenti juxta textum Hæbraicum, etiam iis in locis quibus ab eo discrepat versio τῶν ὀ. Si ergo corruptioni deputentur loca in quibus aliter habetur in Hæbraico textu, ac in versionibus, dicendum erit Apostolos eo modo loca Scripturæ adduxisse, quo sciebant à Judæis post modum esse depravanda: quod cum nimis absurdum sit & impium, concludendum est textum Hæbraicum nusquam & nunquam à Judæis ex industriâ fuisse corruptum.

Probatur 3. ex sanctis Patribus, qui passim docent in dubiis recurrendum esse ad originarios textus; eosque omnibus versionibus, ubi diversitas occurrit, esse præferendos. Ita docent auctor Sermonis ad Gentes sub nomine Justini martyris, D. Hieronimus in caput sextũ Esaïæ, & in epistola ad Suniam & Fretellam. D. Ambrosius libro de Spiritu sancto capite 6. D. Augustinus libro 15. de civit. cap. 13. lib. 18. cap. 44. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. ij. Cassiodorus Divinarum lectionum cap. 15. Gregorius magnus, &c. At si textus originarii tempore sanctorum Patrum depravati fuissent, falsa esset eorum regula, nec sine injuria potuissent nos remittere ad fontes quos novissent esse vitiatos.

Probatur 4. quia si textus sacer ex industria fuisset aliquando corruptus potuissent, qui hactenus omnem moverunt lapidem, ut Judæos isto crimine reos agerent, tempus hujus depravationis deprehendere, & aliquas tam celebris Historiæ circumstantias annotare; aut saltem aliqua depravationis istius exempla assignare: quorum cum nullum hactenus præstare potuerint, indicium est manifestum nullam ejuscemodi depravationem factam unquam fuisse: nec sine manifesto calumniæ periculo tam grande scelus Judæis imponi posse. Sed ut hæc ultima probatio majores habeat vires, occurrendum est adversariorum objectionibus. Itaque.

Obji. 1. Plurima loca sanctorum Patrum, qui disertè affir-

mant Judæos datâ operâ sacros codices vitiasse: ergo ex sententiâ sanctorum Patrum textus Hæbraicus est corruptus. Ita Justinus martyr in dialogo cum Tryphone. Iræneus lib 3. cap. 24. Tertull. lib. de habitu mulierum cap. 3. Euseb. Histor. Eccles. lib. 4. cap. 18. Chrisost. Homil. 5. in Matth. Origenes Homil. 22. in Jeremiam , Hieron. in cap. tertium Epistolæ ad Galat. & alii.

Respondeo, malè à Morino tot Patrum authoritates adduci ad probandam textus Hebraici corruptionem , cum nullus ex istis Patribus de illo agat. Quod ut manifestum fiat omnibus, respondetur 1°. ad Sanctum Justinum , illum non agere de textu Hebraico , sed tantùm de versione τῶν ὀ , quam à Judæis depravatam queritur , ut legenti patebit. 2°. ad Sanctum Irænеum , nullatenus eum asserere Judæos Scripturam depravasse: sed tantùm eos versionem τῶν ὀ depravaturos fuisse , si utilitatem quam Ecclesiæ allatura erat prænovissent. 3°. ad Tertullianum , nihil aliud eum velle , nisi Judæos quosdam Scripturæ libros resecasse ex suo canone , & suâ negligentiâ amisisse, de quo hic non agimus. 4°. Origenem agere de versione τῶν ὀ , in quâ hunc locum Jeremiæ : *peccatum Iuda conscriptum stylo ferreo in ungue Adamantino* quem purum in Hebraico textu reperiri notat , depravatum esse queritur. 5°. D. Hieronimi conjecturam pro corruptione istius loci : *Maledictus qui non permanserit in omnibus &c.* levem esse : certum est enim eundem omninò sensum esse, sive legas locum istum cum voce , omnibus , sive istam vocem omittas. Cæterùm nemo certè asseret D. Hieronimum malè de textu Hebraico sensisse , aut illum corruptum putasse. 6°. ad Sanctum Chrisostomum eum Judęorum nomine Symmacum & Aquilam intelligere, quos Scripturam in suis versionibus depravasse insimulat. 7° denique ad Eusebium non aliam ejus esse ac D. Justini mentem , cum simpliciter referat Judæos , istius depravationis ab eo convictos esse.

Obji. 2°. Pleraque Scripturæ loca quæ in Hæbraico textu videntur esse corrupta : primus petitur ex Genes. 4°. ubi truncatæ sunt duæ voces, *Egrediamur foras,* quas tamen testantur Hieronimus & Cyrillus in *Samaritano codice* suo tempore jam

lectas fuisse & in editione τῶν ὁ nec non in vulgatâ reperiri constat. Secundus petitur ex psal. 13°. in quo desunt in Hebræo tres versus, qui tamen ab Apostolo citantur in Epist. ad Rom. nimirùm Sepulchrum patens &c. Tertius locus petitur ex psal. 18°. ubi versu 5°. sic habetur in Hebræo; In omnem terrã exivit *linea eorum.* Atqui ex Apostolo in eâdẽ Epistolâ constat legendum, *sonus eorum.* Quartus, desumitur ex psal. 21°. ℣. 17°. ubi ita habetur: sicut *Leo manus meas & pedes meos*; cum ex Evangeliis constet legendum: *Foderunt manus meas &c.* Quintus locus habetur Genes. 49. ℣. 10. ubi pro eo quod in vulgatâ legimus, donec veniat qui mittendus est, reperitur in Hebræo, donec veniat Scilo corruptione manifestâ. Hæc autem posteriora loca notatu eo digniora sunt, quo apertam continent depravationem in duabus prophetiis quæ Christum respiciunt: negari enim non potest quin Judæi ex industriâ ista loca depravarint ut prophetias de Christo expungerent.

Respondeo in nullo istorum locorum malitiosam depravationem posse argui, ex quâ inferre liceat Judæos manus sacrilegas in textum Hebraicum misisse, quod ut manifestum fiat, opus est ad singula loca respondere.

Itaque ad primum locum respondeo nullam notari posse depravationem: ad summum enim si voces istas pro textu sacro habendas certum esset, dicendum foret eas librariorum negligentiâ & oscitantiâ fuisse omissas, proindeque sphalma quidem, sed neutiquam corruptionem indicare. Sed incertum est an illæ voces pro genuino textu habendæ sint, id enim negat D. Hieronimus in quæstione ad Genesim ubi ait: *& dixit Caïn ad Abel fratrem suum*, subaudi ea quæ locutus est Dominus. Superflua sunt ergo hæc verba. *Eamus foras.* Ita D. Hieronimus. Eodem modo exponit Aben Ezra: consentit etiam paraphrasis Chaldaïca, quæ voces illas non habet: & inde est quod Lyranus negat eas esse de textu.

Ad secundum respondeo cum D. Hieronimo & Bellarmino versus istos non esse ex hoc psalmo ab Apostolo citatos, sed ex diversis Scripturæ locis collectos, ut docet Origenes in epistolam ad Romanos, illos autem postmodum intrusos in hunc psalmum fuisse; hinc etiam colligitur, quod nullus

Græcorum

Græcorum Patrum, eorum qui psalmos exposuerunt, horum versuum in isto psalmo mentionem fecerit.

Ad tertium respondeo nullam hic annotari posse corruptionem, sed tantùm diversam lectionem, vel potiùs diversam punctorum appositionem: vox enim Hebræa, *Kau*, tàm sonum quàm lineam significat: Hebræi autem posteriorem priori prætulerunt; cum tamen ex contextu satis pateat primam omninò esse præferendam. Adde quod utraque lectio in eundem sensum recidit, si per lineam cum Aben Ezra scripturam intelligas.

Ad quartum, respondetur, hic etiam errorem ex diversâ lectione provenire: nam etsi reverà in textu reperiatur vox, *Caaru*, sicut Leo, nihilominus jam pridem annotarunt Masoretæ ad Numerorum vigesimum quartum ẏ. 9. in margine reperiri, *Caari*, foderunt, quam esse genuinam lectionem patet ex contextu, ut nonnulli Judæorum magistri fatentur, videlicet Jacob Ben-chajim, & Joannes Isac. lib. 2°. adversus Lyndanum. Nihil igitur aliud ex hoc loco elici potest, nisi quod dum diversa lectio in sacro textu occurrit, eam solent eligere Judæi, quæ Christianis minùs favet. Hoc autem libenter fatemur, sed inde non conficitur eos etiam ubi nulla lectionum diversitas occurrit, sacrum textum depravare.

Ad quintum denique, respondetur accusationem de admissâ hic corruptione, manifestam esse calumniam, siquidem tria Targumina vocem Hebraicam, scilo, disertè Messiam interpretantur: nec immeritò, ut alibi ostendemus, cum agemus de prophætiâ Jacob circà Messiam.

Obji 3°. magnam differentiam in plerisque locis annotari inter Hæbraicum textum, & antiquas versiones, præcipuèque eam quæ est τῶν ὁ, ex quâ inferunt hodiernum textum Judæorum esse corruptum: non enim aliundè, inquiunt, procedere potest tanta diversitas, quam ex eo, quod antiqui Hæbræorum codices differrent ab hodiernis; ex quo necessariò sequitur, hodiernos esse depravatos.

Resp. negando diversitatem illam ex corruptione Hæbraici textus provenire: Multæ sunt enim aliæ causæ ex quibus orta

est illa diversitas. Primò ex vario Interpretum genio, qui prout accuratiores fuerunt, aut minùs accurati, doctiores aut minùs docti, cautiores aut minùs cauti; aliter & aliter eundem textum verterunt. Secundò ex diversis variorum codicum lectionibus, quarum sæpè unam antiqui, alteram recentiores sequuti sunt. 3°. Ex unius ejusdemque vocis variâ expositione, pro variâ punctorum appositione: sæpè enim septuaginta Interpretes aliter legerunt quàm Masorethæ punctis additis legendum indicarunt. 4°. Ex ignorantiâ & oscitantiâ librariorum, qui diversas lectiones in utrisque codicibus suâ culpâ multiplicarunt. 5°. Ex eo quòd imperitiâ & audaciâ scribarum pluribus nævis & maculis etsi levioribus, respersa sint ipsa textus originalis exemplaria. De quibus omnibus fusè agit Ludovicus Capellus in Criticâ sacrâ, qui tamen hodierno textui paulò iniquior est.

QUÆRITUR 1°. quid sentiendum sit de textu Græco novi Testamenti?

Respondeo easdem ferè rationes quibus probatum est Hæbraicum textum nunquam ex industriâ fuisse corruptum, etiam pro textu græco novi testamenti militare. Quemadmodum enim impossibile erat Judæis scripturam suam corrumpere, quin statim eorum improbum facinùs deprehenderetur: sic etiam & multò magis Christianis impossibile fuit novum Testamentum vitiare; quin statim fraus corruptorum pateficeret Ecclesiæ Doctoribus, & ex antiquiorum Codicum fide convinceretur, ut notat D. Augustinus lib. 32. contrà Faustum cap. 16. confutans Manichæorum calumniam, quâ fingebant novum Testamentum ab initio nascentis Ecclesiæ ab hominibus semi-Judæis depravatum fuisse. Id etiam pro Græco novi testamenti facit, quod in Breviario Romano, inter egregia divi Hieronimi facinora, id ei etiam laudi tribuitur, quod novum testamentum Græcæ fidei reddiderit: fatendum enim indè est quod tunc perseverabat adhuc integer & incorruptus novi testamenti textus. At fortè post D. Hieronimi tempora contigit ista corruptio. Sed 1°. quî fuit possibile infinita per totum orbem dispersa exemplaria corrumpere? 2°. Cur id Græcis Latini nunquam exprobrarunt, si à Græcis

orta est depravatio ? Aut cur idem silentio prætermissum est à Græcis, si corruptio Latinos habuit authores ? 3°. In Concilio Florentino ubi dissidia Græcorum cum Latinis agitabantur, altum fuit de istâ corruptelâ silentium. 4°. Cur Leo decimus versionem Erasmi ad Græcum factam non solum approbavit, sed suis etiam laudibus prosequutus est ? 5°. Denique cur codices manuscripti, qui Hieronimi ævo æquales sunt, cum aliis posterioris ætatis, & versio Syriaca, quæ Hieronimo etiam antiquior est, ferè ubique cum Græco conveniunt iis in locis quibus vulgata ab eo differt ? Quis ergo non miretur quorumdam recentiorum judicium, qui sola vulgatæ versionis authoritate freti, quoties quidpiam ab eâ diversum in Græcis Codicibus repererint, eos corruptelæ insimulare non erubescunt ?

QUÆRITUR 2°. An ex textu Hæbraico veteris, & Græco novi testamenti utriusque fœderis versiones sint semper corrigendæ ?

Respondetur 1°. Nonnullos authores, ut Ludovicum Ferrandum celeberrimæ expositionis in Psalmos authorem, quamvis Judæos meditatæ Scripturarum depravationis non incusent, existimare tamen textum hæbraicum nescio quâ temporum injuriâ vel hominum incuriâ tot mendis & erroribus scatere, ut, si ipsis credimus, potiùs ipse ex versionibus, quàm versiones ex ipso corrigendæ sint.

Respondetur 2°. Quod licet nullus possit diffiteri, quin multos habeat nævos uterque Scripturarum textus, in quibus norma versionum esse nequit : universim tamen loquendo standum sit antiquorum Patrum judicio, qui statuerunt in dubiis ei potiùs linguæ credendum undè est in aliam facta translatio. Enim verò si varii errores, qui in libros Ciceronis, Virgilii, Horatii &c. irrepserunt, non prohibent quominùs latini eorum codices pro genuinis & authenticis Scriptorum istorum textibus, ab omnibus habeantur ; & ex illis, quotquot in aliam linguam factæ sunt versiones examinentur : cur non eodem gaudebunt privilegio sacrarum scripturarum libri ; præsertim cum diversæ lectiones & nævi ut plurimum frequentiores sint apud prophanos authores, quàm apud sacros ?

At, inquies, major cura de versionibus, quàm de textu habita est; proindè emendatiores esse debent versionum quàm textuum codices. Imò quidquid sit de habitâ utrorumque curâ, cum multò sæpiùs & frequentiùs versiones in manibus scribarum fuerint, quàm textus, ac illarum codices in majorem numerum excreverint, majori etiam diversarum lectionum numero ac pluribus nævis respergi debuerunt versiones. Concludendum est igitur cum divo Hieronimo in Epistolâ ad Lucinium (cujus sententia in Jus Canonicum translata est) quod *ut librorum veterum fides de hæbræis codicibus examinanda est, ita novorum veritas græci sermonis normam desiderat. Ne,* ut idem ait in epistolâ ad Suniam & Fretellam (si aliter fiat) *quidquid de fonte proficiscitur hoc quæramus in rivulis.*

Duo tamen hic notari velim. Primum est quod etiamsi nonnunquam iis in locis quibus à textu discrepant versiones, omnes codices hæbraici in eâdem lectione conveniant, non statim certâ & infaillibili lege sequitur versiones ad normam textus esse corrigendas. Quandoque enim contingit diversitatem indè provenire, quod aliam vocem in codicibus sui temporis legerint Interpretes, quàm legatur in hodiernis, quod tùm ex affinitate vocum, tùm ex serie versiônum deprehendi potest. Secundum est diversitatem istam interdum etiam proficisci ex eo quod unam eandemque vocem aliter legerint Interpretes, quàm punctis additis legendum notarint Masorethæ; quod facilè quisque linguæ Hebraicæ peritus advertere potest. His porrò in casibus, neque hodiernis codicibus statim acquiescendum est: neque vicissim veteres ob solam antiquitatem præferendi. Sed res priùs juxtà severioris criticæ leges discutienda est; ac tunc demum, quæ plures melioris lectionis notas habuerit, præferenda.



DISSERTATIO QUARTA.

DE PENTATEUCHO Samaritano: de versionibus ejusdem Pentateuchi, & Samaritanorum Religione.

CUm post Hebraicum Judæorum codicem, nihil in sacris litteris antiquius sit Samaritanorum Pentateucho, congruum videtur quæstiones, quæ de ipso moveri possint, hæbraici Judæorum textus tractationi subjungere. Ut igitur id aliquo exequamur ordine, 1°. de ejus sinceritate & authoritate, postmodum de diversis ejus versionibus agemus. Quia verò Religionis Samaritanorum, diversorumque ejus statuum notitia, non parum lucis huic materiæ afferre potest: ideò nonnulla quæ ad Samaritanorum tùm veterum, tùm recentiorum historiam pertinent, subnectemus.

Quod igitur spectat ad primum, sciendum est Jacobum Usserium Armacanum in Epistola ad Lud. Capellum, in quâ de variis textus hæbraici lectionibus disputat, docere, eum quem nunc habemus Samaritanum Pentateuchum, non illum esse hebraicum Scripturæ textum à Moïse scriptum, Judæisque traditum: sed farraginem quamdam scripturæ, partim ex hebraicâ, partim ex græcâ editione conflatam à Dositheo quodam Samaritano Simoni mago coëtaneo; qui ut refert Origenes lib. 1. contrà Celsum, & tractatu 27. in Matth. suis persuadere voluit se illum esse Christum à Moïse prænuntiatum.

Suam autem sententiam probat Usserius 1.° ex Sinodo Alexandrinâ sub Eulogio Patriarcha, quæ à Photio refertur in bibliothecâ codice 230. in qua de isto Dosithæo asseritur quod infinitis diversique generis corruptelis Mosaïcam legem Pentateuchi adulterarit.

Secundò ex multiplici depravatione ætatis Patriarcharum

poſt diluvium; tam poſt παιδογονίαν quàm antè.

Tertiò ex tranſpoſitionibus verſuum ab uno libro Scripturæ in alium, & ab uno capite in aliud: quæ pluribus in locis in Pentateucho iſto reperiuntur: ut Exodi 20. v. 17. Deuter. 5.° v. 2. Geneſ. 42. v. 16. &c.

Quartò ex manifeſta depravatione quâ Deuteromii 27. v. 4. pro monte Ebal, mons Garizim ſubſtituitur, ut ipſius authoritate Scripturæ, ſi ſuperis placet, Samaritanorum ſchiſma vindicetur. Alii addunt etiam nonnulla loca in quibus cum Hebraica lectio difficultates penè inſuperabiles contineat, è contrariò Samaritana lectio ſenſum reddit perſpicuum, ac difficultatem omnem adimit. Hinc autem corruptionem claram reddi docent, quòd plerique antiquorum Patrum in iſtis locis exponendis diu multumque deſudarint; nec tamen ad Samaritani codicis, qui ipſis ignotus eſſe non poterat, præſidium confugerint. Exempla autem horum proferunt. Exodi 12. v. 40. ubi cum in Hebræo habeatur: *habitatio autem filiorum Iſraël, quâ manſêrunt in Ægypto, fuit 430. annorum.* In Samaritano ad elevandam difficultatem additum eſt, *ipſi & patres eorum.* Sic etiam Geneſeos 12. verſu 26. ubi in omnibus codicibus legitur: *vixitque Thare ſeptuaginta annis & genuit Abraham, Nachor, & Aram.* In Samaritano pro ſeptuaginta legimus centum triginta, quo numero nulla ſupereſt in hujus loci expoſitione quæ alioqui graviſſima eſt difficultas. Et hæc quidem ſunt, quæ adverſus Samaritani codicis ſinceritatem proferuntur.

Verùm aliam ac prorsùs contrariam viam init Joannes Morinus, tum in præfatione ad editionem Pariſienſem ſeptuaginta Interpretum, tum maximè in exercitationibus ad Pentateuchum Samaritanum: non ſolùm enim negat contra Uſſerium codicem iſtum ex Hebræo græcoque mixtis conſarcinatum & mera libidine depravatum fuiſſe: ſed inſuper addit, eum ita in omnibus verum ac genuinum Moyſis codicem ad amuſſim repræſentare; ut Hebraico Judæorum codice, quem ex contemptu paſſim Maſorethicum appellat, multo ſincerior ſit ac purior. Sic autem ſuam ſententiam probare conatur.

Pentateuchus Samaritanus ab antiquiſſimis Patribus ſæpè laudatus eſt, ut ab Euſebio, Diodoro Tarſenſi, Hyeronimo, Cyrillo Alexandrino, Procopio Gazæo, Syncello, & aliis. Ergo ab illis pro ſincero Scripturæ libro, non pro Doſithæi figmento habitus eſt. Ac conſequenter cum ex locis ab iis citatis appareat hodiernum codicem illum ipſum eſſe, quem Patres habuerunt, rectè etiam infertur, hodiernum eſſe genuinum & ſincerum veteris teſtamenti exemplar.

Secundo ex verbis divi Hieronimi, quibus in prologo Galeato aſſerit quod *Samaritani Pentateuchum Moyſis totidem litteris ac Judæi ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes*, legitimè concluditur, quod cum hodiernus Judæorum codex in multis à Samaritano diſcrepet, neceſſe eſt Hebraicum à Maſorethis vitiatum fateri, proindeque Samaritano minus ſincerum.

Tertio ex Georgio Syncello, qui in Chronico pagina 83. aſſerit, Samaritanorum codicem vetuſtiſſimum eſſe, & longè diverſis characteribus exaratum, quem verum & primum eſſe Judæi confitentur. Ex quo conficitur, quod non ſolum ex Syncelli judicio, ſed etiam ex Judæorum illius temporis calculo, Samaritanus codex Judaico præferendus eſt.

Quarto denique ex multis vocibus, quæ cum ſint in Hebræo defectuoſæ, ut ipſi Maſorethæ annotarunt, in Samaritano plenè leguntur & integrè, quod ultimum valdè urget Morinus, ut inde ſuo Pentateucho authoritatem conciliet ſupra Hebraicum.

Sed ut mentem noſtram circa diſſidium iſtùd aperiamus, videtur hæc utraque ſententia in exceſſum ire. Uſſerii quidem cum aſſerit Pentateuchum Samaritanum Doſithæi fictitium opus eſſe ex Hebraico græcoque codice conflatum. Morini verò cum aſſerit eundem Pentateuchum Hæbraico in omnibus eſſe præferendum. Itaque probat quidem Uſſerius aliquos Samaritanorum codices à Doſithęo fuiſſe vitiatos: ſed non probat iſtam depravationem in omnes codices pervaſiſſe, aut hodiernum Pentateuchum à corruptis Doſithęi codicibus non differre. Contrarium vero Morinus veterum Patrum auctoritate abundè comprobat. Probat etiam ſufficienter Uſſe-

rius, Samaritanum codicem non ita ſincerum eſſe, quin aliquibus in locis ex induſtria depravatus ſit & immutatus, præſertim cum Morinus inficiari nequeat ſubſtitutionem montis Garizim pro monte Ebal depravationem eſſe: neque etiam diffiteatur multis in locis aliquos verſus de induſtria eſſe tranſpoſitos. Sed minimè probat Uſſerius iſtum Pentateuchum iis locis quæ proferuntur, & aliis paucis exceptis, in reliquis textus ſacri ſinceritatem non referre, præſertim cum ſæpe numero leviſſimè tantum, & in rebus nullius momenti ab Hebraico differat: ſæpius verò cum eo conveniat.

Ex altera parte excedit Morinus cum ita effert iſtum Pentateuchum, ut non ſolum Judaico multò ſuperiorem faciat; ſed eos omnes, qui non ſtatim idem præſtiterint infenſo & furioſo in Religionem Catholicam animo eſſe, affirmare non vereatur. Quaſi vero præjudicata Morini opinio poſſit eſſe articulus fidei, aut Eccleſia Catholica, cui codex Hebraicus nullatenus contrarius eſt, abſque Samaritanorum Pentateucho non poſſit ſubſiſtere? Sed unde tandem paradoxum iſtud, probat Morinus? ex ſanctis Patribus, inquit, qui Pentateucho illo uſi ſunt. Ac eorum uſus probat quidem librum non eſſe adulterinum Scripturæ textum; Sed cum ſupra Hebraico-Judaicum, quem multo ſæpius iidem Patres laudaverunt, efferendum eſſe non probat. Fruſtra etiam adducitur Hieronimi auctoritas, cum nihil aliud dicat, niſi Samaritanos ſicut & Judæos 22. characteribus uti; neutiquam verò textum Samaritanum à Judaico ſui temporis nunquam fuiſſe diverſum, cùm è contrario multis in locis varias inter utrumque diverſitates idem ſanctus doctor annotaverit. Georgii Syncelli locus innuit ſolùm antiquiores eſſe Samaritanorum, quàm Judæorum caracteres; ſed de ipſius textûs antiquitate non loquitur.

Denique quod de vocibus deficientibus & variis lectionibus adducit Morinus, probat potius Maſorethas maximum adhibuiſſe ſtudium ut editionem ſuam accuratam & ſinceram redderent; cum & omnes varias lectiones annotarint; & vel unam litteram textui addere, aut ex eo detrahere religioni duxerint. E contrariò verò certum eſt ipſo Morino fatente

Samaritanos

Samaritanos pluribus in locis textum ſacrum multipliciter immutaſſe.

Rejecto itaque utriuſque ſententiæ exceſſu mediam viam inire debemus, ac ſtatuere Samaritanum Pentateuchum magnâ ſaltèm ex parte ſincerum eſſe ac genuinum Moyſis textum Hebraico coequandum: ſed eum antiquam textus puritatem, illibatam in omnibus ſervaſſe aut Hæbraico præferendum eſſe, concedere non poſſumus.

Quod ſpectat ad hujus Pentateuchi antiquitatem, quidam ut Henricus Hottingerus in Exercitationibus Antimorinianis, quò faciliùs Hæbraicum textum extollant, & Samaritanum deprimant, contendunt Pentateuchum iſtum poſt Eſdræ tempora à Samaritanis ex codice Judaico fuiſſe deſcriptum, hocque ex eo probare contendunt, quod ſæpè in Samaritano textu littera Aleph & Ain, He & Het invicem commutentur; quod aliundè quàm ex ſimilitudine iſtarum litterarum in hodiernis Judęorum characteribus provenire non poſſe arbitrantur, cum in Samaritanis characteribus figuras habeant omninò diſſimiles. Sed non advertunt iſti authores quod rectè notat in Criticâ Simonius, non requiri ſimilitudinem characterum, ſed ſufficere ſimilitudinem pronuntiationis ut amanuenſes negligentiores ſæpè litteras commutent. At eundem olim fuiſſe, aut ferè eundem iſtarum litterarum ſonum teſtis eſt D. Hieronimus; proindèque Hottingeri conjectura non probat Samaritanos ſuum Pentateuchum à Judęis poſt immutatos ab Eſdra characteres, mutuatos eſſe. Probabiliùs eſt itaquè Samaritanos ſuam ſcripturam ab eo ſacerdote habuiſſe, qui eis à Rege Salmanaſar deſtinatus eſt, ut 4. Regum narrat hiſtoria: præſertim cum nullos alios libros præter Pentateuchum habeant.

Quod ad Pentateuchi Samaritani verſionem attinet, tres vulgò recenſentur, Græca nimirum, quæ ampliùs non extat, Samaritana, & Arabica. Græcam ſæpiùs citatam à Patribus cernimus (niſi quod aliqui conjiciunt ipſum textum Samaritanum iſtos Patres legiſſe, eumque citando in ſuam linguam vertiſſe.) Sed indè malè infert Morinus verſionem iſtam ab iiſdem Patribus factam eſſe: multò enim probabiliùs eſt eam

à Samaritanis, qui Ægyptum incolebant, ad imitationem Judæorum Hellenistarum, qui versione τῶν ὁ utebantur, fuisse editam Samaritanam, cujus exemplar habuit Morinus à Petro Dellavallé Romano mutuatum, satis accuratam esse, ac de verbo ad verbum factam, testis est idem Morinus. Tempus tamen quo facta est, ignoratur. Deniq; Arabicam, quæ tamen litteris Samaritanis conscripta est, post Saadiæ tempora, hoc est post annum nongentesimum factam: hinc suspicatur Waltonus in prolegomenis, quod magnam cum Saadiæ versione habeat affinitatem; ac multa ex illâ mutuari videatur.

Superest ad hujus materiæ absolutionem ut de Samaritanorum origine necnon & de religione pauca dicamus. Itaque quod eorum originem spectat, eam habemus in Scripturâ relatam, 4. Regum 17. versu 24. & deinceps; sic autem se habet. Cum decem tribus Israël quæ constituto sibi Rege Jeroboam filio Nabat à Roboam filio Salomonis recesserant, suis impietatibus, præsertimque idololatriâ, Dei iracundiam in se concitassent, post diversas Prophetarum suorum admonitiones & comminationes, post diversas etiam calamitates quibus eos affecerat, ut ad meliorem frugem se reciperent, tandem eorum impietate crescente, tradidit eos Deus in manus Salmanasar Regis Assyriorum, qui eos devictos in Assyriam transtulit, & Assyrios populos eis substituit. Hi autem cum ex diversis locis assumpti essent, uno tamen Samaritanorum nomine à Judæis plerumque designati sunt: sumptâ denominatione à Samariâ præcipuâ terræ illius civitate, olimque Regum Israël sede. Nonnunquam verò ab iisdem Judæis Cuthæi sunt appellati: sive quod plures de Cuthâ, quàm de aliis locis eò translati essent: sive quod nomen istud nomen magis esset odiosum Samaritanis: sive tandem ob aliam quamcunque causam.

Porrò cum isti populi idololatriæ penitùs addicti, nullam veri Dei cognitionem haberent, neque ullum ei cultum exiberent; Deus immisit in eos leones, qui interficiebant eos. Ut igitur ab illis liberarentur, missis legatis ad Salmanasar Regem, obtinuerunt ab eo unum Sacerdotem ex

decem tribubus translatis, à quo veri Dei cognitionem & cultum addiscerent. Verùm cum idolis suis nimis addicti essent, quam ut ea vellent relinquere, monstrum quoddam religionis ex veri Dei & Idolorum cultu composuerunt; sicque facti sunt ἀμφίϐιοι; ita ut nec meri idololatræ, nec iterùm veri Dei cultores dici possent. Hic autem Samaritanorum status usque ad captivitatem Judæorum in Babilone perseveravit. A tempore verò captivitatis & deinceps, certum est eos ab idololatriâ penitùs abstinuisse, & unius Dei cultüi addictos fuisse; hoc uno excepto, quod templo in monte Garizim ædificato ibi sacrificia Deo offerebant, nec umquam Jerosolymam ascendebant: sicque nefario schismate à Judæis separati erant. Id autem indè patet, quod nec Josephus qui nullam occasionem prætermittit eos vituperandi, ullibi tamen eis idololatriæ crimen objiciat: nec mulier Samaritana Joan. 4. aliam diversitatem inter Judæos & Samaritas referat, præter locum adorationis. Sed neque Christus ipse idololatriam ei opponit. Adde quod Justinus Martyr in dialogo cum Thriphone eos etiam ab hoc scelere immunes declarat.

Quod si quis rescire cupiat num adhuc supersint hodie Samaritani, & quænam sit eorum conversatio, consulere potest duas Epistolas quas ipsi Samaritani ad Josephum Scaligerum superiori sæculo scripserunt, quas, cum in manus Scaligeri non devenissent, Joannes Morinus à Perrescio acceptas latinitate donavit. Ex iis enim discet res Samaritanorum meliùs se habere quàm res Judæorum. Licet enim ad exiguum numerum redacti, nihilominùs suos adhuc habent Sacerdotes & summos Pontifices, quos de tribu Aaronis esse asserunt; suum adhuc Templum in monte Garizim, in quo sacrificia secundùm legem Moysi jugiter à Sacerdotibus offeruntur; & præscriptæ in Lege solemnitates à cunctis Samaritanis illùc convenientibus celebrantur. Imò in nonnullis aliis quæ cum Judæis sunt adhuc communia, se Judæis strictiores ostendunt, verbi gratiâ in festo expiationis omnes pueri solis lactentibus exceptis jejunare coguntur; cum apud Judæos nonnisi septennes jejunare consueverint.

Circumcisionem numquam ultrà octavum diem differunt; quod plerumque fit à Judæis. Cum aliquam in somnis passi sunt immunditiam, aut matrimonio usi sunt, manc facto priùs se lavant quàm quidquam contingant. In his & aliis nonnullis Judæis religiosiores se exhibent. Suas autem sedes habent Samaritani apud Gazam, Sichem quam Turcæ Napolim vocant, Damascum & Cayrium, ex quibus urbibus statutis diebus in montem Garizim Napoli proximum, ut dictum est, conveniunt. Rabbi Benjamin qui circà duodecimum sæculum vivebat in suo itinerario confirmat pleraque eorum quæ de Samaritanis modò diximus, in quo & illud non omittit quod semper jactitarunt Samaritani, se nimirùm veros Israëlitas esse ex tribu Ephraim oriundos, quod etsi ex Scripturâ falsum appareat, fortè tamen non incongruè quis dixerit indè ortam jactantiæ occasionem, quòd cum Salmanasar decem Israëlitarum tribus transferret in Assyrios, nonnullos ex plebeis reliquerit, qui postmodum cum Samaritanis mixti sunt, ac unum populum cum illis effecerunt.

Cæterùm quæ nonnulli Judæi illis objiciunt, nimirùm eos Sadducæorum errores amplexos esse insuper quos idololatriæ addictos, eorum Alphabetum tribus litteris He, Heth, & Ain, deficere, & alia ejusmodi, meræ sunt calumniæ, quæ ex hactenus dictis sufficienter confutantur.

DISSERTATIO QUINTA.

DE VARIIS HÆBRAICI textus editionibus, ubi præcipuè de Masora.

NOn est instituti nostri hîc eas textus Hebraici editiones recensere, quæ ab inventâ arte Typographicâ adornatæ sunt; etsi enim aliæ aliis accuratiores sint, omnes tamen unũ

eundemque Masorethárum codicem exprimunt ac repræsentant. De iis ergo tantùm agemus quæ aut celebriores fuerunt apud veteres, aut ad Hæbraici textus intelligentiam magis conferunt. Itaque celeberrima omnium, & à veteribus magis commendata ea est quæ post captivitatem Babilonicam ab Esdrâ facta est. Tunc enim primum diversi Scripturæ libri in unum corpus collecti sunt, & antiqui Hebræorum characteres in Chaldaicos mutati, ut superiùs à nobis demonstratum est. De modo autem quo facta est hæc editio non consentiunt inter se veteres, nonnulli enim sanctorum Patrum arbitrati omnes Scripturæ libros tempore captivitatis Babylonicæ periisse, eosque solius Esdræ memoriâ fuisse reparatos. Sed cum ista sententia nullum aliud habeat fundamentum præter quartum librum Esdræ, qui ut apocryphus ab Ecclesiâ rejicitur, multisque narrationibus insulsis ac ridiculis aspersus est, meritò à viris doctis exploditur hæc sententia: præcipuè cum certum sit ex Scripturâ Danielis 9. 2. tempore captivitatis libros sacros adhuc extitisse, & aliundè omnem veri speciem excedat cunctos Judæos tàm plebeios quàm Magistratus, tàm Sacerdotes quàm Prophetas, ne ipsis quidem Hieremiâ, Ezechiele & Baruch exceptis, tàm ignavos fuisse ac verbi Dei ejusque cultus negligentes, ut nullum omninò Legis codicem conservarent, & ab excidio urbis Jerusalem eriperent.

Statuendum est igitur cum aliis Patribus, ac pro certo habendum, hanc editionem ex diversis codicibus melioris notæ inter se collatis diversisque libris in unum collectis confectam fuisse. Porrò hæc editio ut quisque facilè intelligit non omnes libros continebat qui nunc in nostris Bibliis reperiuntur, cum plures eorum post Esdræ tempora scripti fuerint, aut ea etiam referant quæ diù post ejus ætatem contigerunt. Sed iis omnibus constabat, qui aut ante captivitatem à diversis Prophetis, aut post captivitatem ab ipso Esdrà conscripti fuerant. An verò plures fuerint quàm qui ad nos usque devenerunt, non adeò certum est. Cæterùm probabilitate non caret, quod plerique docti asserunt, nonnulla in diversis Scripturæ libris ad majorem claritatem

quasi per parenthesim ab Esdrâ adjecta & in sacrum textum inserta fuisse.

Ab Esdræ temporibus usque ad Christum nullam aliam Bibliorum editionem factam, nullum alium Scripturæ canonem ab Hæbræis ordinatum fuisse reperimus. Undè Genebrardus & alii nonnulli qui asserunt sub Machabæorum temporibus; itemque paulò ante Christi adventum alios canones à Synagogâ magnâ, seu Sanhedrim institutos fuisse; ut libri Machabæorum, & alii qui post Esdræ tempora scripti fuerant, cum cæteris jungerentur, & inter scripturas sacras computarentur, nullum satis firmum pro suâ sententiâ statuendâ argumentum proferunt, præcipuè cum istorum canonum nullibi veteres meminerint; insuperque Josephus l. 1. contrà App. & Hieronimus in Prologo galeato libros istos extrà canonem Scripturæ disertè reponant; quod tamen non impedit quominùs aliæ editiones seu alii canones à Judæis græcâ linguâ utentibus facti fuerint, ut alibi fortassè dicetur.

Ut igitur ad ea omnia veniamus, quæ Judæi post Christi adventum circà textum Hæbraicum præstiterunt, insignem imprimis operam in eo corrigendo, & contrà omnem depravationem, quantùm poterant, muniendo, collocarunt doctores Tyberiadis, qui ex titulo sui operis Masorethæ appellati sunt. Quale sit autem eorum opus agnosci potest ex diversis annotationibus & regulis criticis, circà textus sacri verba, voces, litteras, & accentus; de quibus breviter dicendum est. Itaque

Circà versus numerarunt 1°. Versus cujusque paraschæ, seu sectionis totius Scripturæ. 2°. Versus cujusque libri. 3°. In quolibet libro versum medium designarunt. 4°. Quædam etiam annotarunt in versibus circà voces & litteras quibus constant, aut etiam ex quibus incipiunt. 5° Notarunt in quibusdam versibus esse hiatum, seu locum vacuum, ubi sensus est imperfectus. 6°. Quorumdam librorum penultimum versum repetunt ut Isaiæ Threnorum, Malachiæ & Ecclesiastis. 7°. Denique in nonnullis versibus correctiones scribarum notarunt, seu nonnullas voces quas ab Esdrâ & Sina-

gogâ magnâ de induſtriâ mutatas fuiſſe volunt.

Circà voces notarunt 1°. Varias lectiones, quas ex diverſis codicibus deprehenderunt ſub nominibus Keri & Ketib: per Keri autem lectum, per Ketib ſcriptum ſignificari omnes norunt. Itaque iis in locis in quibus Maſorethæ diverſas lectiones repererunt, ne quid in ſacris codicibus immutare viderentur, eas in margine notarunt quæ textui videbantur præferendæ. Cum verò poſtea puncta vocalia appoſuerunt, vocem Ketib, ſeu quæ in textu habebatur, iis punctis notarunt quæ ad Keri ſeu vocem marginalem pertinebant, ut demonſtrarent hanc legendam eſſe & alteri præferendam; nonnullis etiam in locis ubi quædam voces nimium obſcœnæ legebantur, aliàs magis honeſtas, quæ earum loco legerentur, ſubſtituerunt. 2°. Circà voces notarunt quaſdam certis in locis plenè, aliis verò defectivè ſcriptas eſſe. 3°. Quarumdam ſitum notarunt reſpectu initii, medii, vel finis alicujus verſus. 4°. Alicubi etiam nonnullarum vocum ambiguitatem notarunt, ut cum Geneſ. 19. 8. monent *El* octies accipi in ſignificatione pronominis, cum aliàs ſit unum ex nominibus Dei. 5°. Circâ nonnullas voces numerarunt quoties in textu ſacro reperiantur: ſed loca in quibus reperiuntur non ſemper indicarunt. 6°. Notarunt voces quindecim uno vel pluribus punctis ſupernè notari.

Circà litteras notarunt 1°. Quaſdam reliquis majores alias minores, quaſdam ſuſpenſas nonnullas inverſas, quaſdam verò medias in quolibet libro. 2°. Ad calculum revocarunt quot litteræ occurrant in ſingulis libris. 3°. Notarunt diverſa loca in quibus nonnullæ litteræ commutantur, & pro aliis uſurpantur ut v g. He pro Vau, Aleph pro Hain, Reſch pro Daleth, Jod, pro Vau aut è converſo.

His de materiâ Maſoræ præmiſſis, quæritur quid de illâ ſentiendum ſit, ſeu quænam ſit ejus cùm utilitas, tùm authoritas. Ad quod reſpondemus utrimque extrema vitanda eſſe, ut error caveatur. Quidam enim ut J. Morinus, & Lud. Capellus in tantùm eam deſpiciunt, ut opus vanum & inutile, ac otioſorum hominum inventum eſſe affirment. Alii è contrà ut Buxtorfius

Comm. in Maſoram cap. 20°. Arias Montanus de variis in libris Hæbraicis lectionibus, Nicolaus Fullerus Miſcellaneæ Theologiæ lib. 3. cap. 13°. Mariana, Bronfrerius, Skicardus, & cæteri in tantùm eam efferunt, ut contendant vix poſſibile eſſe textum ſacrum in aliquo corrumpi, quin ſtatim corruptio ex Maſorâ deprehendatur, in quo cum Judæis conſentiunt, qui Maſoram ſepem Legis appellant. Sed utriuſque ſententiæ authores dum ſuis præjudiciis nimis indulgent, in exceſſum feruntur. Neque enim tàm inutilis eſt Maſora ut volunt Morinus & Capellus, cum pleraſque ejus regulas utiliſſimas eſſe, diverſaſque lectiones utiliter annotatas, negari non poſſit; ut contrà iſtos authores probat Simonius Hiſt. critic. lib. 1°. cap. 24. & 25. Neque iterùm ea ejus utilitas eſt, quam ei alii tribuunt, ut ſatis probat ipſa experientia. Conſtat enim hodiernos Hębraici textus codices variis lectionibus reſperſos eſſe; cum tamen ex Maſoræ notis plerumque deprehendi non poſſit, quænam ſit alteri præferenda. Deindè etſi circà eas voces, de quibus loquuti ſunt Maſorethæ, error non poſſit facilè obrepere: quomodò tamen errorem prohibebit Maſora in iis litteris, de quibus non meminit? Prætereà ipſa Maſora diverſis paſſim ſcatet erroribus: quomodò ergò poterit textum ab errore immunem reddere, quæ ipſa multis erroribus obnoxia eſt? Denique nullus eſt qui non videat numerum litterarum ad integritatem textus conſervandam nihil conferre poſſe; cum & eodem numero remanente poſſint plures in vocibus mutationes fieri; & nullus hactenùs, cum difficultas aliqua exorta eſt, ad litteras cum Maſorethis computandas confugerit. Dicendum itaque Maſoretharum opus criticam ſatis accuratam in textum Hębraicum nobis exhibere: ſed iſtam criticam ſuos habere nævos, nec ad textus ſacri conſervationem abſque alterius criticæ adminiculo ſolam poſſe ſufficere.

Porrò antequam ad alia tranſeamus, obiter hic notandum eſt antiquitùs Maſoram à textu Scripturæ ſejunctam fuiſſe, & ſeparatim à magiſtris Judæorum traditam; nunc verò paſſim Scripturæ textui adjungi, & cum eo in Bibliis Hębraicis communiter reperiri. Quod primùm in editis factum eſt in Bibliis

Venetis apud Bombergum. Cæterùm alia est Masora textualis, alia finalis. Textualis in qualibet Bibliorum paginâ suprà & infrà textum adscribitur. Finalis verò in fine Bibliorum ordine Alphabetico disponitur, & textuali diffusior est ob majorem spacii amplitudinem. Textualis iterum duplex est magna scilicet & parva : illa, est quæ suprà & infrà quamlibet paginam conspicitur ; hæc verò, ea est quæ litteris Rabbinicis inter textum Hæbraicum & Paraphrasim Chaldaicam in margine interiori describirur, & majoris compendium exhibet.

Præter Masoretarum editionem eorumque notas, quæ & à diversis magistris diversisque temporibus factæ sunt, extant & aliæ duæ insignes apud Judæos textus Hæbraici editiones, quæ Academiarum Tyberiadis & Babilonicæ notas in eumdem textum nobis exhibent. Prima, quæ sub nominibus Orientalium & Occidentalium circumfertur, facta est juxtà Morinum nono Ecclesiæ sæculo, constatque nonnullis variantium lectionum catalogis, quibus orientales, occidentalesque Judæi in minutis quibusdam à se invicem dissentiunt. Secunda, quæ Ben-Ascher, aut Aser Occidentalis, & Ben Nephtali Orientalis nomina præfert, continet varias notas circà puncta vocalia, quas isti Academiarum principes in suis scholis docuerunt. Sed cum istæ notæ plerumque levissimi sint momenti, nihilque notatu dignum contineant, ideò in illis referendis aut exponendis non immorabimur.



DISSERTATIO SEXTA.

DE Paraphrasibus Chaldaicis.

QUandiu Judæi seu Israelitæ in terrâ promissionis sub Regum suorum dominio permanserunt, nec alienâ servitute oppressi Gentibus servire coacti sunt, Hæbraicæ linguæ, quâ divina eloquia conscripta erant, usum familiarem semper habuerunt : undè nec versionibus, nec peregrinæ linguæ Paraphrasibus usi sunt. Sed ex quo Babylonicæ servitutis diuturnitate factum est ut linguam Chaldæorum addiscerent, suæque & usum & intelligentiam paulatim amitterent, necesse fuit ad consolationem & instructionem simplicium, ut quoties in Synagogis Scriptura legebatur, toties ejusdem Scripturæ expositio linguâ Chaldaicâ Judæis notâ sequeretur. Hinc ortus Paraphrasum Chaldaicarum usus, qui à tempore captivitatis apud Judæos semper viguit. Et quidem admodum probabile est istas explanationes sic olim ordinatas, & sacro textui annexas fuisse, ut ad singulos versus Paraphrasis apponeretur, ita uno versu in textu lecto, statim idem versus Chaldaicè exponeretur, & ita successivè fieret ad quoslibet versus, ut colligitur ex pluribus M. SS. in quibus ista dispositio Paraphrasis cum textu deprehenditur. Non est tamen existimandum, cum dicimus Paraphrases à tempore captivitatis, aut paulò post, in usu esse cœpisse, velle nos eam antiquitatem Paraphrasibus, quæ nobis hodiè supersunt, tribuere : imò eas multò recentiores esse incunctanter asserimus. Neque enim primis sæculis, quibus Judæi Paraphrasibus usi sunt, videtur eas à magistris scripto traditas fuisse, sed potiùs vivâ voce primùm fuisse expressas, deinde sequutis temporibus à posterioribus Judæis esse conscriptas. Sed ut iis Paraphrasibus, quæ nobis hodie supersunt, aliquam lucem afferamus, earumque

aliqualem notitiam ingeramus, de singulis breviter nobis agendum est. Itaque

Paraphrases Chaldaicæ pro consuetâ apud Judæos Scripturæ divisione, aliæ in Legem, aliæ in Prophetas, aliæ in Hagiographa scriptæ sunt. In Legem seu Pentateuchum, tres omninò reperiuntur. Prima Onkelosi nomen præfert. Secunda Jonathani tribuitur. Tertia est incerti Authoris. In Prophetas unica reperitur, quæ Jonathanis nomine inscripta est. In Hagiographa similiter unica reperitur, cujus authorem ne ipsi quidem Judæi norunt.

Inter istas Paraphrases insigniores sunt, & ab aliis meritò distinguendæ, quæ Onkeloso in Legem, & Jonathani in Prophetas vulgò tribuuntur. Certum est enim eas cæteris multò antiquiores esse, iisque tùm ob stylum tùm ob sensum longè præferendas. Enim verò linguam Chaldaicam multò puriorem nobis exhibent, quàm aut in reliquis Paraphrasibus, aut in ipsâ Gemharâ, seu Talmude reperiatur; quod satis demonstrat eas ante confectum Talmud esse conscriptas. Sed an etiam Christi tempora præcesserint, aut saltem sub ejus sæculo conscriptæ sint, an Onkeloso & Jonathani tribuendæ, omninò incertum est. Antiquitati earum non parùm favet puritas linguæ Chaldaicæ, quæ ad Danielis & aliorum, qui scripserunt post captivitatem, dialectum satis accedit, & à posterioribus sæculis aliena est. Sed aliundè non leve dubium contrà istam antiquitatem oritur ex silentio veterum Patrum Africani, Origenis, Eusebii, Hieronimi, Epiphanii & cæterorum quibus istæ Paraphrases proculdubio fuerunt incognitæ. Videtur enim tales expositiones, siquidem temporibus istorum Patrum extitissent, nunquam ab iis omnibus fuisse silentio prætermittendas; præcipuè cum multis in locis lucem aliquam textui sacro afferre potuissent; iisque contrà Judæos argumenta plura præbuissent. Unde etsi non videatur omninò impossibile, quin libri isti apud Judæos conservati, Patribus tamen remanserint incogniti; id nihilominùs ita difficile est, ut tàm altum sanctorum Patrum de his Paraphrasibus silentium posteriorem eorum ætatem abundanter arguere,

& tantùm non demonstrare videatur.

Quantùm verò ad alias attinet, certum est eas ad ætatem longè posteriorem esse referendas, non solum ob plerasque voces minùs antiquas, quæ in illis reperiuntur, ut Constantinopoleos, Turcarum, Lombardiæ, quas quidem non nemo suspicari posset postmodum iis additas fuisse; sed præcipuè ob styli diversitatem à prioribus: tanta est enim earum & priorum in stylo diversitas, ut cuique legenti clarum sit hæc nonnisi postquam lingua Chaldaica à suâ puritate plurimum defecerat, & pristinum nitorem penitùs amiserat, fuisse conscriptas. Ut autem & in particulari aliquid de iis dicamus, fatentur omnes Eruditi eam quæ in Legem Jonathani tribuitur, ejusdem Authoris non esse qui in Prophetas scripsit, quod ex dictionis utriusque diversitate ita clarum est, ut nonnulli Joanni Morino propterea succenseant, quòd magno argumentorum apparatu id probare aggressus sit in exercitationibus Biblicis, quasi id non omnes Critici, qui vel mediocrem linguæ Chaldaicæ notitiam habent, libenter fateantur, & pro certo statuant: licet alias Galatinus, Helvicus, Serrarius, Postellus, & nonnulli alii contrarium crediderint.

Quod autem attinet ad tertiam, quæ in Legem scripta reperitur, quæque vulgò Targum Hyerosolimitanum appellatur propter dialectum Syro Jerosolymitanum, quâ conscripta est: cum stylum omninò Barbarum, multisque diversarum linguarum vocibus mixtum nobis exhibeat, fatendum est eam recentiorem esse præcedenti, cujus fabulis multas alias superaddit.

Denique idem ferè propter easdem rationes dicendum est de Paraphrasi quæ habetur in Hahiographa; nec enim stylus patitur ut duabus prioribus comparetur, sed potiùs exigit ut cum posterioribus collocetur. Hanc autem, licet à nonnullis Authoribus Josepho Cæco ea tribuatur, incerti Authoris esse multò probabilius est. Imò censet Elias Levita styli diversitatem exigere ut diversis Authoribus tribuatur. Sed his minutiis discutiendis supersedem s, ut circà authoritatem istarum Paraphrasum aliquid adjiciamus. Itaque

Constat apud omnes eruditos Paraphrasis Chaldaicæ authoritatem utilitate metiendam esse, tantamque ei tribuendam authoritatem, quantam nobis utilitatem præstat. At quæ tandem & quanta sit ejus utilitas non una est omnium sententia. Enim verò tam superiori quàm nostro sæculo non defuerunt plures Catholici qui omnes Paraphrases, ut Ecclesiæ prorsus inutiles; imo propter insulsas fabulas, quibus resperssæ sunt, & superstitionem quam passim redolent, ut noxias rejecerint. Hinc factum ut quamvis Cardinalis Ximenius primùm decrevisset omnes Paraphrases in suis Bibliis sacro textui adjungere: nihilominus ad vitandum scandalum & querimonias multorum compescendas, solam Onkelosi paraphrasim, quæ istis fabulis caret, ediderit; cæteris in publicâ complutentium bibliothecâ repositis. Hinc etiam factum ut cùm Arias Montanus istas omnes paraphrases in Bibliis Antuerpiensibus seu Regiis edidit; plures Catholici de ejus opere, ac præcipuè de judicio, quod lectâ paraphrasum versione de iis tulerant Lovanienses, conquesti sint; eo quod illos ob adjunctas textui sacro tot fabulas ei injuriam facere, & Ecclesiæ notam, quasi approbati Judaismi, inurere viderentur. Unde necesse fuit, ut ad querelas eorum repellendas, & Lovaniensium judicium defendendum, Lucas Burgensis librum apologeticum scriberet. Denique non ita omnes huic apologiæ acquieverunt, quin etiam nostro sæculo dum Parisiensia Jaii Biblia edita sunt, nonnulli ex Hispanis Joanni Morino epistolas dirigerent, quibus eum à consilio inserendarum in istam editionem paraphrasum dimoverent. Nihilominus altera sententia prævaluit, & tam in Bibliis Parisiensibus, quàm postea in Anglicanis Paraphrases editæ sunt. Itaque docent hujus sententiæ authores, quod licet istæ Paraphrases pluribus fabulis & superstitionibus fœdatæ sint, quas nec credit Ecclesia, nec approbat; plura tamen continent quæ Ecclesiæ possunt esse utilia, ejusque causam adversùs Judæos non parum promovent. 1.° In eo quod Hebraici textus integritatem confirment, multisque in locis, ubi variant lectiones meliori stabiliendæ non parum inserviant. 2.° In eo quod multos fidei nostræ articulos contra Judæos confirment.

v. g. cum plura Scripturæ loca & Prophetias quibus maximè urgentur Judæi de Messiâ exponunt. 3.° In eo quod locis obscuris atque difficilibus plurimum lucis afferant, tum in exponendis priscis Judæorum consuetudinibus & ritibus, tum in tradendâ ac determinandâ plurium vocabulorum genuinâ significatione.

Sed ut circa difficultatem istam, quod nobis videtur, aperiamus; licet non inficiemur quin istæ Paraphrases utilitatem aliquam afferre possint Ecclesiæ in iis quæ modò notavimus, nihilominus, quia multo plura sunt in illis quæ Judæis favent, eorumque superstitiones confirmant & approbant, multò congruentius, nostro judicio, fuisset istas paraphrases separatim à Bibliis edere, quàm eas in eodem opere cum Scripturis collocando ansam præbere Judæis gloriandi, quasi Ecclesia eorum deliria & impietates approbaret ac in canone Scripturæ computaret.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE SCRIPTURÆ VERSIONIBUS in genere, & de historia Versionis LXX. Interpretum in particulari.

CUM testante Apostolo Paulo, ante adventum Christi, solis Judæis ut populo peculiari, & præ cunctis gentibus electo sua Deus eloquia credidisset, quandiu sui juris fuit hic populus, summopere cavit, ne divini verbi arcana Gentilibus manifesta fierent: ne aut thesaurum sibi concreditum dissipare, aut eloquia sacra prophanorum irrisioni & blasphemiæ exponere videretur. Sed postquam extra natale solum Babyloniis aliisque Gentibus, Deo propter ejus prævaricationes sic jubente, servire compulsus est, linguæ sacræ oblitus, victorum linguas addiscere, iisque uti necesse habuit. Hinc factum est ut Scripturam sacram in aliorum linguas converte-

re decreverit, ne divini verbi intelligentia, quæ ei antea familiaris fuerat, obſcura poſtmodum & incomperta evaderet. Inde eſt quod poſt reditum è captivitate Babilonicâ quoties in Synagogis Scripturæ textus legebatur, toties lectionem explanatio linguâ Chaldaicâ ſequebatur, ut ſuperiori diſſertatione diximus. Cum autem proceſſu temporis maxima multitudo Judæorum in Ægiptum aſportata, ibique etiam Chaldaicæ linguæ ferè oblita eſſet, in eorum ſolatium eadem Scriptura in græcum ſermonem tranſlata eſt. Hac porro tranſlatione Scriptura quæ prius Judæis erat peculiaris, communis facta eſt cunctis gentibus. Quod quidem divinâ diſpenſatione ita ordinatum eſt, ut paulatim ejus lectioni gentilis populus aſſueſceret, ne poſt adventum Chriſti Evangelio prædicato tot ac tanta miracula quæ in gratiam Iſraëlitarum facta in Scripturis narrantur, viderentur eſſe fabuloſa; vel etiam Prophetiæ quas in Chriſto completas eſſe Apoſtoli prædicabant, ab ipſis poſt mortem Chriſti confictæ crederentur.

Denique poſt vaſtatam à Tito Imperatore Judæam direptas dirutaſque Judæorum Urbes, præcipueque Hieroſolimam funditus everſam, diſperſis per univerſum orbem Judæis, proceſſu temporis tot verſiones habuit Scriptura, quot linguas recutiti diſperſi didicerunt.

Sed & à Chriſtianis, ad quos vetus Teſtamentum cum novo tranſivit, Scriptura utriuſque fœderis, in omnes linguas tranſlata eſt. Verum harum omnium verſionum hiſtoricam aut criticam diſcuſſionem longius proſequi nec vacat, nec nobis in animo eſt. De celebrioribus Græcâ nimirum & Latinâ, quarum cognitio majorem afferre poteſt utilitatem, paulo fuſius agemus; cæteras pleraſque vel indicaſſe ſufficiet.

Circa Græcam verſionem τῶν ο tria potiſſimùm agere inſtituimus. 1.° Hiſtoriam ejus diſcutiemus. 2.° De ejus authoritate inquiremus. 3.° Varias ejus editiones cum veteres tum recentiores recenſebimus.

Hiſtoria verſionis, quæ nomen LXX. Interpretum præfert primũ ab Ariſtæâ, teſte illius ut volunt oculato, conſcripta eſt; quamdeinde Joſephus & Philo, ille in libris antiquitatum, hic l. 2. de vita Moſis, ex Ariſtæâ breviarunt. Dehinc ſancti Patres

eandem cum quibusdam Hellenistarum additionibus post Philonis & Josephi tempora excogitatis, retulerunt. Demum post sanctorum Patrum sæcula omnes scholastici Doctores, qui ad superius usque sæculum floruerunt, ac passim alii scriptores qui de versionibus textus sacri aliquid attigerunt, hanc Aristeæ Historiam cum suis plerumque additamentis unanimi consensu receperunt.

Verum superiori sæculo, quo cœperunt plerique auctores in evolvendis veterum scriptis esse diligentiores, in discutiendis historiis cautiores, & in fictis operibus detegendis sagaciores: [A] nonnulli in rebus Criticis non indocti, fictionem Judaicam in Aristeæ Historiâ subodorati sunt, ac re discussâ & sedulò examinatâ [B] plura falsitatis argumenta protulerunt. Sed cum tot sæculorum cursus, tot Scriptorum concursus, tot Patrum consensus, contra novam opinionem præscribere videretur; hinc factum est, ut plerique alii etiam eruditi [C] maluerint veterum traditioni inhærere, quam recentiorum argumentis assentiri. Ex quo contigit, ut diversas rationes, quibus ea resolverent quæ à prioribus adducebantur, excogitarint. Porro licet nostro sæculo [D] plures magis emunctæ naris authores, ad priorum sententiam accesserint; non defuerunt [E] tamen viri doctissimi qui veterum authoritatem

A *Lud. Vives ad lib. ij. de civ. c. 42.*

B *Scaliger in animad. Eusebianis. ad an. 1734.*

C *Bellarminus l. 2. de verbo Dei c. 6. & lib. de scrip. Eccl. Pamelius ad Tertull. Apolog. nota 270. Ioannes Despeires de 70. interp. dubio 1.° pag. 10. Margarinus Bignius in Bibliot. Patr. Salianus ad an. 1375. pag. 364.*

D *Andreas Rivetus Isagoge ad sacram Scripturam. Henricus Valesius in notis ad Hist. Eusebii l. 5. c. 9. Ioan. Bona Card. in notitia authorum in ejus operibus citatorum. Ægidius Menagius in Diogenem Laertium pag. 130.*

E *Possevinus in Apparatu sacro. Ioan. Mor. in exerc. bibl. Iacobus Usserius in sintag. de 70. interp. & in annal. vet. Testam. Vualtonus ad Biblia polig. Proleg. Vossius in Dissertatione de 70. interp.*

horum

horum rationibus præpoſuerunt, & quibus potuerunt viribus labentem ſententiam ſuſtinuerunt. Nihilominus quæ Hiſtoriam Ariſteæ rejicit ſententia, hodie viris doctis [f] videtur magis arridere; & à nonnullis tanquam certa traditur. Cum autem horum rationes ſatis firmæ ac ſolidæ nobis videantur, ut antiquorum authoritati, in re criticâ, & à veteribus potiùs ſuppoſitâ quàm poſitâ & aſſertâ, præponderare poſſint, earum præcipuas hic breviter aſſeremus, deinde objectionibus adverſariorum ſatisfacere conabimur.

Priùs tamen quàm ad eas veniamus, prænotatum velim ſententiam, quam hîc amplectimur longe diverſam eſſe ab eâ quam Leo à Caſtro, Salmeron & Serrarius ſecuti ſunt, nempe Leo à Caſtro comment. in Iſaiam, Salm. Prolegom. biblico. 6. pag. 67. Serrar. prolegomenorum Biblicorum c. 7. q. primâ, quam tamen cum noſtra perperam confundunt viri alioqui doctiſſimi Gerardus Voſſius, & Brianus Vualtonus: ille lib 1. de Hiſtoriis græcis c. 15. pag. 77. hic in prolegomenis. Illi enim authores ea omnia, quæ à veteribus ex Ariſtæâ referuntur, vera & certa eſſe approbantes libellum qui ſub Ariſteæ nomine hodiè legitur, ſuppoſititiū & ab eo quem ſancti Patres habuerant diverſum eſſe contendunt. Nos contrà libellū hodiernum Ariſteæ eundem eſſe ſupponentes cum illo quem veteres habuerunt, ut ex collatione locorum quæ à veteribus de Ariſteæ libro citata ſunt, invictè demonſtratur, utrumque codicem tum hodiernum tum veterem ſuppoſititium & à Judæo quodam in gratiam Helleniſtarum confictum eſſe contendimus. Hoc poſito.

Probatur 1.° hæc ſententia. Juxta omnes Ariſteæ Codices tam veteres quam recentiores verſio, τῶν ὁ facta eſt ſub Philadelpho, procurante apud Regem Demetrio Phaleræo ejus bibliothecæ Præfecto: Atqui conſtat Demetrium Phaleræum

[f] *Henricus Hody Differt. de Hiſt. Ariſteæ. Ludovicus Pinius Differt. Prælim. ad Bibl. aut. Eccleſ.*

neque bibliothecæ curam, neque ullum aliud officium sub Philadelpho habuisse: ergo liber qui nomen Aristeæ præfert non ab Aristeâ coævo ipsius Philadelphi scriptus, sed ab aliquo Hellenistâ falsò illi adscriptus est. Probatur minor ex iis quæ de Phaleræo refert Hermippus apud Laertium. docet enim Demetrium, cum post mortem Cassandri in Ægiptum fugisset metu Antigoni, authorem fuisse Ptolomæo Lagi ut Philadelphum filium Berenices filiis Euridices in regni successione postponeret. Cujus concilium cum neglexisset Ptolomæus, statim atque Philadelphus mortuo patre solus regno potitus est, Demetrium procul à se in exilium delegavit, ubi paulò post mortuus est. Ergo Demetrius nullo unquam potitus est officio apud Philadelphum, pro indeque nec Bibliothecæ præfectus fuit, nec versionem τῶν ὁ apud Regem procuravit. Porro sic se habet Laertii locus in vita ejusdem Demetrii: *Hermippus tradit illum post Cassandri mortem Antigonum metuentem ad Ptolomæum Soterem venisse, apud quem cum diu fuisset præter cætera ei concilium dedisse ut Regnum Euridices filiis relinqueret. Quod cum ei non suasisset, sed contra is diadema filiis Berenices obtulisset, ait hunc ipsum post mortem ejus in ditione suâ custodiri jussisse, donec de illo aliquid statueretur. Hoc autem in loco remissius agebat, ac fortè dormiens morsu aspidis manum appetentis vitâ privatus est, sepultusque in Basilidis præfecturâ prope Diospolim.* Hæc ille.

Cum hoc argumentum ex Hermippo petitum peremptoriũ sit, mirũ est quantum hoc testimonium torserit Aristeæ propugnatores, & quot responsiones excogitarint ut argumentum istud eluderent. Sed ab illis omnibus fusè vindicat Hermippũ supra laudatus Henricus Hodi in dissertatione de hac historia; quam cum quisque possit consulere, nobis ea breviter attigisse sufficiet. Quidam igitur ut Serrarius Gretzerus, Gerardus Vossius, Salianus, Usserius, Waltonus & alii, quò faciliùs ab Hermippo se expediant, eum tanquam authorem gentilem & obscurum cui res Judaicæ fuerunt incognitæ, rejiciunt; eique sanctorum Patrum authoritatem & consensum opponunt. Sed quid tandem contra Hermippi testimonium facit quod gentilis fuerit? An quia gentilis, ideo de Phaleræo & Philadelpho

itidem gentilibus ſcribere non potuit? Aut quid ſanctorum Patrum authoritas ad elevandam Hermippi authoritatem facit? An ea quæ de hiſtoria ſeptuaginta interpretum ſcripſerunt, aliunde quàm ab Ariſtæa habuerunt? Atqui de ipſius Ariſteæ libri ſinceritate agitur, de qua Patres nihil unquam ſcripſerunt. At, inquiunt, Hermippus hiſtoricus ſub Adriano tantum floruit, proindeque Demetrii hiſtoriam minus callere potuit, à quam Ariſtæas eidem Demetrio coævus. Sed præter iſtũ Hermippum qui Beritius fuit, conſtat alium fuiſſe Smirnæum multò antiquiorem, qui vitas Philoſophorum ſcripſit, & à quo pleraſque accepit Laërtius, quem Hermippum conſtat Theophraſto Phaleræi coætaneo aut æqualem fuiſſe, ut volunt Iſaacus Caſobonus & Menagius, aut illis ſaltem ſubparem ut probabilius eſſe cenſet Hodius.

Alii ut Iſaac Voſſius in diſſertatione de ſeptuaginta Interpretibus & Joannes Baptiſta Rictiolus reſpondent falſa hîc Hermippum prodidiſſe 1°. Cum aſſerit Demetrium poſt Caſſandri mortem Ægiptum petiiſſe: quod probant ex Diodoro Siculo, qui ſi Voſſio credimus, fugam Demetrii in Ægyptum aſſignat anno ſecundo Olimpiadis 118: cum tamen certum ſit Caſſandrum non ante annum ſecundum Olimpiadis 120. diem extremum obiiſſe. 2°. Cum aſſerit Demetrii fugam ex Antigoni metu contigiſſe; quem tamen ante Caſſandrum obiiſſe conſtat. Atqui certum eſt in utrâque reſponſione Voſſii Criticam eeſpitaſſe. Quod enim ad Diodorum attinet, non aſſerit, ut vult Voſſius, Demetrium iſto anno fugiſſe in Ægiptum: imò contrarium innuit cum eum primum Thebas, ubi Caſſander regnabat, veniſſe, ac demùm in Ægiptum fugiſſe aſſerit. Quod idem habent Anagraphæ Olimpiadum & Strabo libro quarto Geographiæ, ubi diſertè aſſerit fugam in Ægiptum non niſi poſt Caſſandri obitum contigiſſe. Ad id verò quod de Antigono ſubdit, reſpondetur Hermippum non loqui de Antigono magno Demetrii Poliorcetis patre, ſed de Antigono Caſſandri filio, qui licet vulgò Antipater ſoleat nominari, tamen Antigonus etiam appellatur, ut patet ex Euſebiano Canone, & excerptis quæ Euſebiano Chronico Scaliger attexuit.

Causa autem metus Demetrii esse potuit, quòd post trucidatam ab Antigono propriam matrem, eò quòd in divisione Regni paterni eam minori filio & Antigoni fratri favisse suspicaretur, timuerit Demetrius, ne ob similem suspicionem, similem quoque pœnam ab Antigono sustineret.

Alii respondent Demetrium Regis Philadelphi odium primùm quidem incurrisse, sed postea in ejus gratiam rediisse, nec mortem ejus per aspidem ab Hermippo relatam esse, sed à Laertio Hermippi narrationi additam fuisse. Ita Usserius, Serrarius, & Salianus. Sed præterquàm satis clarum est ex loco superiùs allato gratis asseri mortem à Laërtio memoratam ex Hermippo desumptam non esse, idem mortis genus Demetrio tribuunt etiam Cicero Oratione pro Rabirio Posthumo, & Suidas. Adde quod nulla authoritas adduci potest, quâ reconciliatio ista suadeatur, & ratio videtur ipsi contraria; cum nemo non videat Demetrium non potuisse gravius in Philadelphum peccare, quam suadendo patri ejus ut alterum Regni constitueret hæredem.

Alii denique ut Gerardus & Isaac Vossii, Dionisius Petavius &c. respondent versionem τῶν ὸ factam fuisse per illud Biennium quo cum patre regnavit Philadelphus, quo tempore certum est Demetrium adhuc vixisse & à Ptolomeo Lago in honore habitum fuisse. Sed ista doctissimorum virorum responsio multis modis ex ipso Aristeâ confutatur. 1°. Enim si superstite adhuc Ptolomæo Lagi versio ista confecta est, cur in totâ ejus historiâ ne verbum quidem de Lago ab Aristeâ dictum est? Cur apud Josephum & Philonem, cum hujus versionis historiam referunt, altum est de Lago silentium? Cur Epistola Demetrii ad solum Philadelphum conscripta est? Cur Epistola ad Eleazarum Pontificem solius Philadelphi præfert nomen? Cur denique ipsius Eleazari Epistola quæ uxoris & filiorum Philadelphi meminit, de ipso regni capite & Philadelphi patre tacuit? 2°. Ex Aristeâ constat Philadelphum, quo tempore versio nostra confecta est, uxorem & liberos habuisse; atqui non nisi post mortem patris ipsum uxorem duxisse multa probant.

Primò enim Herodianus affirmat eum in νεότητι seu in adolescentiâ regnum suscepisse; Porphirius autem apud Eusebium in Chronico libro primo affirmat eum tunc adhuc fuisse, τὸν παῖδα puerum.

2°. Ex Justino constat Ptolomęum Ceraunum, qui natu major erat Philapelpho, immaturum juvenem adhuc fuisse quando à Gallis occisus est, quod confirmat etiam Diodorus cum dicit eum fuisse, τὴν ἡλικίαν νέον πάνθιλυ, atqui ex Eusebii Chronico & aliis colligitur non nisi sub finem Olimpiadis 124ª. aut initium 125ª. Ceraunum à Gallis interfectum fuisse, non autem septem annis postquam Philadelphus regnare cæperat. 2°. Athænæus describens stupendam Pompam quam Philadelphus regnans cum patre celebravit, meminit quidem patris Ptolomæi & matris Berenices, sed de uxore omninò tacet. Quod satis ostendit eum uxorem nundum habuisse.

3°. Ex Epistolâ Eleazari Pontificis constat uxorem quam tunc habebat Philadelphus fuisse sororem ejus Arsinoën, quam eumduxisse plerique authores testantur. Atqui Philadelphus non potuit Arsinoën uxorem habere nisi multis annis post mortem patris: constat enim Arsinoën primum Lysimacho Regi Thraciæ, deinde post ejus mortem Ptolomæo Ceraunò in matrimonium datam fuisse, ut ex Justino probat Hodius suprà laudatus, ex quo hæc desumpsimus.

4°. Constat ex toto Aristeæ libro versionem τῶν ό non priùs ceptam fuisse quàm Philadelphus Bibliothecam numerosissimam collegisset & innumeris propemodum libris adornasset. At certum est Philadelphum non, nisi post multos annos à suscepto regno, de Bibliothecâ cogitasse. Testantur enim omnes qui de Philadelphi studio in colligendis libris scripserunt, eum non nisi sub finem vitæ huic se studio addixisse: imò, si fides est Vitruvio, id serò admodum exequutus est Ptolomæus; tradit enim eum instruxisse Bibliothecam exemplo Regum Attalicorum seu Trojanorum. At primus qui Pergami Bibliotecam adornavit Eumenes anno duntaxat 4°. Olympiadis 129. regnare cœpit. Quo tempore Philadelphus triginta annis aut circiter jam regnaverat. Sed etsi

daremus Philadelphum ab ipso regni initio de adornandâ Bibliothecâ cogitasse ; cum tamen juxtà Aristeam plusquam 84. mille volumina jam congregasset Demetrius , priusquam de Judæorum libris cogitaret : nemo est qui non videat tantam librorum copiam intrâ biennium non potuisse comparari ; sicque versionem non esse factam eo tempore quo cum patre adhuc regnabat Philadelphus.

Probatur 2°. νοθεία libri Aristeæ ex eo quod Demetrium Phaleræum Alexandrinæ Bibliothecæ præfectum facit ; cum tamen extrà omnem veri speciem sit , tantum virum , qui apud Athenienses ἄρχοντος dignitatem habuerat , & in Ægipto maximis honoribus fuerat cumulatus, eô redactum fuisse miseriæ ut Bibliothecæ curam suscipere cogeretur. Scio quidem Demetrium virum doctissimum huic muneri obeundo ineptum non fuisse : sed non fuit olim consuetudo ut viris doctis , qui in aliquo honore habebantur, Bibliothecarum cura traderetur. Nec contrarium probat Isaacus Vossius cum Dyonisium Tyrannum nobis objicit , qui privatus regno pueros docere coactus est : hic enim ab omnibus odio habebatur : Demetrius verò maximo in honore fuit apud Ptolomæum , ut testis est Ælianus apud Varronem Hist. lib. 3. cap. 13.

Probatur 3°. Ex eo quod Aristeas utitur testimonio Ecatis Abderitæ tanquam veteris auctoris , quem tamen constat sub Ptolomæo Lagi vixisse , ut patet ex Josepho , lib. 1. contrà Appionem.

Confirmatur ex eo quod idem Aristeas asserit Menedemum Erethriensem presentem fuisse in Ægipto quando versio Græca sub Philadelpho confecta est. At 1° Menedemus obiit septem circiter annis postquam Philadelphus regnum susceperat , scilicet tempore quo Antigonus Gonotas Gallos vicit ; tunc autem plusquam octogenarius erat. Quî fieri ergo potuit ut versioni interesset, quæ, ut ex Aristea infertur, non nisi multis annis post septimum Philadelphi confecta est. 2°. Legimus quidem Menedemum apud Ptolomæum Lagi legatione functum esse priusquam ad Lysimachum se conferret, at nullus eorum qui de eo scripserunt , memoriæ tradidit

eum ad Philadelphum profectum unquam fuisse : quod tamen satis memorandum fuisset, si nimirum in tàm longævâ ætate tàm durum & difficile iter suscepisset.

Probatur 4°. ex victoriâ insigni quam à Ptolomæo Philadelpho contrà Antigonum reportatam fuisse asserit Aristæas eo tempore, quo Interpretes ad ipsum venerunt. Nullam enim aliam victoriam reportatam contrà Antigonum legimus præter eam quæ ex Antigono magno Demetrii Polyorcetis patre reportata est. At victoriam illam quæ contigit anno 3°. Olympiadis 118. non Ptolomæus Philadelphus, qui vix dum natus fuerat, sed Ptolomæus Lagi obtinuit. Graviter igitur hâc in re hallucinatus est Aristeas, qui id Philadelpho tribuit, quod tanto tempore factum est ante eum. Fingit ergo cum istis rebus interfuisse se asserit.

Respondent Isaacus Vossius & nonnulli, non ipsum diem victoriæ sed anniversarium tunc à Philadelpho celebratum fuisse, cum septuaginta Interpretes adfuerunt. Sed præter quam istam victoriam patri non sibi tribuisset Philadelphus, victoria illa non erat ita insignis, ut anniversario die celebrari mereretur. Propriè enim loquendo nulla fuit victoria; siquidem prælium nullum commissum est, sed Antigonus dumtaxat ob sui exercitus calamitates, Demetrius verò ob tempestates coacti sunt ad propria redire. Præterea Diodorus qui lib. 2°. narrat Ptolomæum post Antigoni recessum sacrificio Diis oblato cum amicis epulatum esse, nunquam anniversarium fuisset omissurus, si talem Ptolomæus instituisset.

Probatur 5°. Ex fabulis & nugis quibus hæc Aristeæ historia respersa est, quæ Judæi alicujus manum & ingenium apertè sapiunt, ac pleno ore redolent.

Talia sunt 1°. Quæ de septuagenario Interpretum numero refert, quem numerum à Demetrio postulatum asserit: in quo manifestum est alludi ad eorum numerum, ex quibus Synedrium constabat. Quorsùm enim ad unicum librum Græcâ Linguâ donandum 72. homines adhiberentur, quasi non esset satis notum in hisce rebus multitudinem obesse potiùs & discordiam gignere, quàm prodesse & concordiæ

inservire? Quorsum istum numerum ex duodecim Tribubus, & senos ex singulis sumere? Demus aliquos ex decem Tribubus deportatis in Judæâ remansisse aut in Judæam rediisse; sed certè in minori erant numero respectu aliorum. Quomodò igitur nec plures ex Tribu Judâ, nec pauciores ex singulis, ad id muneris apti inventi sunt?

2°. Fingitur Demetrium, qui quotidie Regem alloquebatur, cum quo etiam paulò ante de libris Judæorum sermonem habuerat, cum tamen non nisi per epistolam adiisse. Deinde tres Epistolæ quæ apud Aristeam referuntur, Regis scilicet Demetrii, & Eleazari unicum authorem habeant. Quem igitur nisi fictum? Quis autem credet Isaaco Vossio asserenti Aristeam res sui temporis, & quibus aderat, narrantem, potuisse tamen illas epistolas, non iis quibus scriptæ erant verbis, sed suo modo & stylo referre.

3°. Supponit Aristeas nullos Legis Judæorum libros in totâ Ægipto extitisse: quod quam sit falsum & absurdum facile quisque judicabit, qui perspexerit ab annis plurimis, ipso fatente Aristeâ, multa Judæorum millia in Ægipto habitasse, & Alexandrum Magnum, testante Josepho, coloniam eorum Alexandriæ collocasse. Quod si ut extrà dubium est, tales libri in Ægipto facilè poterant inveniri, quorsum tàm celebris Ptolomæi ad Eleazarum legatio ut libros & Interpretes haberet, quos in suo regno tam facilè poterat invenire?

4°. Apertè fabulam sapiunt quæ apud eundem Aristeam narrat Ptolomæus de quodam Theopompo & altero Theodecto qui gravissimis pænis afflicti fuerant, eò quod aliquid ex libris Judæorum in suos transferre voluissent, sicque hominibus res divinas manifestassent. Quis hic cum Richardo Simonio non advertat affinitatem hujus narrationis cum iis, quæ Judæi accidisse fingunt, quando Jonathan Paraphrases Chaldaicas composuit?

5°. Quis sibi inducat in animum Ptolomæum Regem pro uno Legis Judæorum volumine plus impendere voluisse, quàm in reliquâ Bibliothecâ comparandâ impendisset? Quis non percipiat fictionem cum dicitur Regem & alios diris eos

devovisse,

devoviffe, qui ex factâ tranflatione quidquam mutarent ? cum dicitur Regem anniverfarium diem pro tranflatione factâ inftituiffe, librum Legis feptics adoraffe, ad confpectum ejus lacrymatum effe ; Sacerdotes Ægiptiorum folitos fuiffe Judæos appellare Dei homines &c. Mitto alia plurima ejufdem furfuris, quæ Hodyum confulenti aut ipfum Ariftex librum legenti paffim occurrent

Cæterùm ex iis omnibus fimul fumptis non dubitamus invictum argumentum adverfus librorum Ariftex fînceritatem confici ; omnemque qui feriò dicta perpenderit, fententiam pro nobis adverfus Arifteam prolaturum.

Quod autem pro fuâ opinione tuendâ fanctos Patres proferunt adverfarii, nihil omninò ad eam tuendam aut noftram infirmandam juvat. Ut enim libenter fatemur fanctos Patres Arifteam fecutos effe, ejufque Hiftoriam veram habuiffe, fic ipfos Ariftex libri finceritatem aut νοθείαν nunquam difcuffiffe contendimus. Enim verò cum Ariftex liber, quem ex Judæis Patres habuerant, tantùm extolleret verfionem τῶν ὁ, quam Judæi quantùm poterant, tunc deprimebant ; non potuit fanctis Patribus in fufpicionem venire, librum iftum à Judæo fuiffe confictum ; nec, fi eis id in mentem veniffet, utile erat ad Criticæ leges id examinare. Miffis itaque adverfariorum hâc in parte objectionibus, unica fupereft quæ alicujus momenti effe videtur ; illa fcilicet quæ petitur ex teftimonio Ariftobuli Judæi Peripatetici, qui fexaginta circiter annis poft Arifteam fub Ptolomæo Philometore vivebat. Hic igitur in Commentariis, quos in Leges Mofaïcas fcripfit, quafque Philometori Regi infcripfit, ut teftantur Clemens Alexandrinus, & Eufebius, non folum commemorat verfionem fub Ptolomæo Philadelpho factam, fed etiam à Demetrio Phalereo procuratam difertè afferit. At inquiunt adverfarii nemo res geftas fub Philadelpho meliùs noffe potuit quàm Ariftobulus, qui & nepoti ejus Philometori à ftudiis erat & ætatis ejus adeò vicinus, ut res fub eo geftas ab oculatis teftibus difcere potuerit. Sed refpondetur, 1°. Suppofito quod ifti Commentarii fint Ariftobuli, qui etiam eo tempore vixerit, nihil

tamen magis ex ejus testimonio confici, quàm ex ipso Pseudonimo Aristeâ, à quo verisimillimum est accepisse quæ de versione istâ protulit. 2°. Aristobulum Commentarios suos non Philometori, sed alicui ex posterioribus Ptolomæis inscripsisse: siquidem multis annis post Philometorem vivebat ut patet ex Epistolâ lib. 2°. Machabæorum præfixâ, quæ plusquàm viginti annis post Philometoris obitum scripta est, nimirum anno æræ Machabæorum. 188. id est juxtà Eusebii computum 123. post mortem Philadelphi. Hoc autem indè confirmatur quòd Clemens & Eusebius, ex quibus habemus Aristobulum suos commentarios Philometori inscripsisse, hâc in re non sibi constant, dum eum modo Philometorem, modo Philadelphum nominant. Anatholius verò apud Eusebium lib. 7°. cap. 32. in Computo paschali Aristobulum unum ex septuaginta Interpretibus facit. 3°. Denique hos commentarios Aristobulo suppositos esse, sicque eodem morbo, quo Aristeæ libellum laborare. Primus enim de iis mentionem fecit Clemens Alexandr. qui exeunte 2°. sæculo vivebat: quo sæculo, quot libri veteribus suppositi sint, nemo est qui nesciat; præsertim cum eo consilio scripti videantur illi commentarii ut ostendant Gentiles Philosophos, quidquid boni scripserunt ex Mosis Legibus desumpsisse: qui scopus erat ferè omnium Patrum illius ætatis. Suspicionem auget etiam Josephi silentium. Quomodò enim tàm eximium opus, quod Eusebii & aliorum laudes meruit, Josepho Judæo fuit incognitum? Aut si notum, quomodò Josephus libros adeò celebres ut Regi Ptolomeo inscribi meruissent, tàm alto silentio sepelire, aut sine laude prætermittere potuit? Nullum itaque negotium sententiæ nostræ facit testimonium Aristobuli, quod tot modis infirmatur. Sed quoquo modo res se habeat de isto testimonio, sententiam nostram non potest evertere: parum enim refert quo tempore liber Aristeæ confictus fuerit, an scilicet ante Aristobulum, an verò postea, dummodo constet eum esse confictum; quod ni fallor abundè à nobis probatum est.

Quæres quid igitur de versionis Græcæ historiâ sentiendum

ſit, & cur ſeptuaginta Interpretum nomen ſortita ſit, ſi à totidem Interpretibus non prodiit?

Reſpondeo nihil ferè certi de eâ ſtatui poſſe, cum nihil apud veteres reperiatur, quod ex Ariſteæ libro & figmentis Judæorum deſumptum non ſit: illud tamen certum videri, verſionem hanc circà Philadelphi tempora factam eſſe: tùm quod ex eo tempore Gentiles majorem rerum Judaicarum cognitionem habuerint: tùm quod omnem veri ſpeciem ſuperet Ariſteæ librum nullum habere fundamentum, nec quidquam veri continere. Id etiam doctis pleriſque certum videtur, juxtà pſeudo-Ariſteæ, Joſephi, & D. Hieronimi teſtimonia, ſolum Pentateuchum 1°. converſum fuiſſe; poſtea verò reliquos libros: maximè cum ſtilus verſionis Pentateuchi à ſtilo cæterorum librorum diverſus ſit. Cur autem ſeptuaginta Interpretum nomen ſortita ſit, indè factum ſuſpicatur Simonius Crit. lib. 2° cap. 2°, quòd à Synedrio magno ſeptuaginta Seniorum approbata ſit. Sed levis eſt illa conjectura; probabiliusque videtur ab eo tempore id nomen habuiſſe, quo Ariſteæ liber fidem obtinuit.

DISSERTATIO OCTAVA.

DE AUCTORITATE

Verſionis ſeptuaginta Interpretum.

VErſionis Græcæ quam vulgò ſeptuaginta Interpretum dicimus, authoritas duplici reſpectu conſiderari poteſt, Judæorum nempè, & Chriſtianorum. Cum enim hæc verſio longè ante Chriſti Domini adventum facta ſit, eamque Chriſti Eccleſia à Synagogâ acceperit, primò inquirendum videtur, quanti eam fecerint Judæi, tàm ante quàm poſt Salvatoris adventum. 2°. quo in pretio eadem à Chriſtianis habita ſit.

Quod igitur ad Judæos ſpectat, cum eo tempore quo

hæc Scripturæ tranſlatio facta eſt Judæis plærisque in Egipto commorantibus lingua Græca vernacula eſſet, Hebraicæ verò, qua ſacer textus conſcriptus erat, intelligentia jam à multis ſæculis tantùm penès doctos remanſiſſet, eo ferè modo, quo hodiè apud nos Latinæ linguæ cognitio; dubium non eſt quin valdè accepta fuerit iiſdem Judæis Scripturæ verſio, quæ facilem cuilibet Judæo divini verbi præbebat intelligentiam, & magiſtros ipſos Judæorum, tùm in explicandis ſuæ genti Hæbraicis Scripturæ codicibus, tùm in erudiendis Proſelytis, tùm in confundendis Gentilibus, multimodè juvabat. Hinc tanta elogia quæ huic verſioni à Joſepho, Philone & aliis tribuuntur. Hinc Ariſteæ liber confictus ad illam extollendam; hinc poſtmodum prodiit fabula de ſeptuaginta Cellulis; hinc denique tanta apud omnes Judæos hujus verſionis æſtimatio, ut extrà Judæam & Chaldæam vix alia Scripturæ exemplaria privatim à Judæis legerentur. Et hæc quidem æſtimatio verſionis τῶν ό, eò uſque permanſit apud Judæos donec natâ Chriſti Eccleſiâ animadverterunt eam Religioni Chriſtianæ maximam utilitatem afferre, Evangelioque Chriſti diſſeminando ac fidei propagandæ mirum in modum inſervire. Cum enim Apoſtoli & primi Chriſtiani eas Prophetias in Chriſto adimpletas prædicarent, quæ jam diù in linguam Græcam converſæ, in manibus Gentilium erant, proindèque nec fictionis à Judæis aut Gentilibus argui poterant; indè non modicum fructum eorum prædicatio referebat, & Eccleſiam naſcentem verſio jam antiqua maximè provehebat.

Ab illo igitur tempore Judæi in odium Chriſtianorum cœperunt detrahere verſioni ſeptuaginta Interpretum, & eam quaſi Hebraico textui minùs conformem traducere, ut patet ex Epiſtolis divi Ignatii. Poſtquam autem Aquila Judæus aliam verſionem Hebraico textui de verbo ad verbum, ut ferunt, reſpondentem adornavit, tunc verſionem ſeptuaginta Interpretum magis adhuc aſpernati ſunt, eâque relictâ, plerique huic novæ verſioni adhæſerunt; quamvis plures etiam eâ nihilominùs uti non deſtiterint, eòquod & antiquior eſſet, & ipſis familiarior. Ex odio verò quod ob Chriſtianos in

hanc verſionem plerique Judæi conceperunt, ortum fortaſſe jejunium quod in eorum Kalendariis ob factam verſionem τῶν ο annotatur, ut obſervat Scaliger in notis ad Euſebium.

Antequam autem ad Chriſtianos tranſeamus diſcutienda eſt hîc celebris quæſtio, an ſcilicet verſionem τῶν ο aliquandò in Synagogis publicè legerint Judæi; & an ex illâ lectione an verò aliundè quidam apud eos dicti ſint Helleniſtæ. Circà quod animadvertendum plures viros doctos exiſtimaſſe, ac nunc etiam multos exiſtimare bifariàm olim Judæos in lectione Scripturæ fuiſſe diviſos. Docent enim eos qui Paleſtinam incolebant, paucis aliorum coloniis exceptis, non alias in Synagogis Scripturas publicè legiſſe præter Hebraicas, eoſque indè Hæbræos fuiſſe nuncupatos. Alios verò qui extrà Paleſtinam in Ægipto & Italia vivebant cum iis coloniis quas Hieroſolymis habebant, Græcis Bibliis uti ſolitos, non ſolum ad privatos uſus, quod omnes facilè concedunt; ſed etiam ad uſus publicos Synagogæ; hincque illos denominatos fuiſſe Helleniſtas. Sed hanc Helleniſtarum notionem fusè confutat Salmaſius in diſſertatione de Helleniſticâ. Alii ut Iſaac Voſſius in tractatu de Sybillinis oraculis, & in Reſp. ad Criticam R. Symonii, iſtam notionem cum Salmaſio reprobant; aliam tamen tradunt rationibus & inſtituto Salmaſii magis adhuc contrariam. Volunt enim eos nec à linguâ Helleniſticâ, nec à Græcorum Scripturæ codicum lectione dictos eſſe Helleniſtas; ſed inde id cognomen ſortitos, quod partes Romanorum tuerentur, iiſque tributa ſolverent: alios autem qui Cæſari tributa ſolvenda negarent, volunt Hebræos eſſe appellatos. Verſionem verò ſeptuaginta Interpretum non in Helleniſtarum tantùm, ſed in Hebræorum etiam Synagogis publicè lectam fuiſſe contendunt: adduntque nullam aliam linguam Hieroſolymis aut in totâ Judæâ fuiſſe vernaculam tempore Chriſti, & primis Eccleſiæ ſæculis, præter Græcam, quæ ibi tandiù permanſit, donec Arabes Provincias illas invaſerunt. At certè cum hæc utràque opinio meris nixa ſit conjecturis, nec ullum in antiquitate ſundamentum habeat, ſaltèm quod ab illis Auctoribus indicetur; probabilior nobis vibetur Salmaſii ſententia tàm

quoad Hellenistarum denominationem, quàm quoad Scripturarum in Synagogis lectionem.

Docet igitur 1°. Salmasius loco citato Hellenistas neque Græcos, neque Palæstinos Judæos fuisse: nunquam enim reperitur apud authores, Judæos Hebræis opponi, aut è contrà: Hebræi enim nomen nationem, non linguam designat. Undè tàm apud sacros quàm apud prophanos authores, Judæi quocumque loco commorantes sæpissimè Hebræi appellantur: & indè est quod licet Paulus ex Ciliciâ esset oriundus, Hebræum tamen ex Hebræis se nominat, non Hellenistam. Constat nihilominùs, inquit Salmasius, Hellenistas non fuisse religione Gentiles: antequam enim Evangelium ad Gentes transiisset, jam erant Hellenistæ inter credentes. Verisimilius est ergò Hellenistas fuisse Judæos Proselytos, hoc est religione Judæos, licet Gentiles natione: maximum enim fuisse istorum Proselytorum numerum indè constat, quod Tacitus lib 2°. Annalium referat Romæ sub Tiberio ad quatuor millia Libertinorum Judaicam Religionem suscepisse. Hinc est fortasse quod actor. 7°. in creatione Diaconorum, quæ ad compescendum murmur Hellenistarum ab Apostolis facta est, expresè notatur quòd Nicolaus fuerit advena, seu Proselytus Antiochenus.

2°. Contendit Salmasius in Synagogis Judæorum, tàm in Judæâ quàm in aliis regionibus non aliam Scripturam in Synagogis lectam fuisse quàm Hebraicam. Hoc autem probat 1°. ex Epiphanio, qui expresè docet Judæis consuetudinem fuisse, ut Scripturas Hebraicè legerent: refert enim Nazaræos, quamvis Christiani essent, seipsos in Hebraicâ linguâ diligenter exercuisse, & omnes veteris Testamenti libros Hebraicè legisse quemadmodum Judæis solitum erat. Ex quo loco apertè colligitur, Judæos tempore D. Epiphanii nonnisi Hebraicè legisse Scripturas, quemadmodum ab eis acceperant Nazaræi. 2°. Quia si Judæi Græcam versionem in Synagogis legissent, vel id fecissent, quia versionem textui prætulissent, vel quòd Græca lingua ipsis esset vernacula. Atqui neutrum horum potest assignari, non primum: quis enim dicere audeat Judæos textum Hebraicum minoris

unquam fecisse quàm versionem Græcam ? neque etiam secundum ; quia vernaculæ linguæ nullam rationem habent in Synagogis , ut patet ex praxi hodiernâ Judæorum , Germanorum , Gallorum , Italorum & Lusitanorum , qui licet vernaculas habeant Scripturæ versiones quas privatim legunt , in Synagogis tamen non nisi Hebraicis utuntur. Neque dici potest praxim illam recentiorem esse ; contrarium enim patet ex aliâ consuetudine quam habent iidem Judæi , codices, qui Synagogis inserviunt , scribendi sine punctis & accentibus ; quod non nisi ex antiquissimâ traditione provenire potest. Tùm etiam quia falsum est linguam Græcam apud Judæos penè omnes olim fuisse vernaculam , ut contendit Isaac Vossius nimio præjudicio pro versione τῶν ὁ laborans. Constat enim 1°. nec id diffiteri potest Vossius , Judæos seu potiùs Israelitas , qui Chaldæam & Assiryam incoluerunt , Græcam linguam non habuisse vernaculam : atqui totæ decem tribus ex duodecim in istas regiones translatæ sunt, ibique, teste Josepho, remanserunt etiam post solutam à Cyro captivitatem : ergo jam maxima pars Judæorum aliâ linguâ quam Græcâ utebatur. 2°. Quod attinet ad eos Judæos , qui Jerosolimis & in Judæâ habitabant , vix alteri quam Vossio in mentem venire potuisset aliam linguam à Græcâ non habuisse communem. Tot enim nobis in novo Testamento se præbent argumenta , quæ probant linguam Chaldaicam seu Chaldaico-Syriacam tempore Christi & Apostolorum Jerosolimis fuisse vernaculam , ut planè cæcutiat qui hoc in Scripturis non agnoscat.

Primò enim , voces quæ in Evangelio latinè non redduntur Chaldaicæ sunt , ut Abba , Satana , Siloë , Gabata &c.

Secundò, ad quid titulus crucis linguâ Hebraicâ , aut aliâ quàm Græcâ conscriptus fuisset , si lingua Hebraica seu potiùs Syriaca Jerosolimis vernacula non fuisset ? Atqui ideò præter Hæbraicam Græca etiam & Latina additæ sunt, quia plerique Græci Proselyti Hebraicam , nonnulli autem Romani Græcam simul & Hebraicam ignorabant.

Tertiò, cur Paulus actor. 22. Judæos alloquens Hebraicè eis loqutus est, nisi quia Judæis hæc lingua tunc erat vernacula?

Quartò, cur D. Mathæus Evangelium pro his, qui Jerosolimis & in Judæâ crediderunt, scribens, id Hebraicâ seu Syriacâ linguâ composuisset, nisi lingua ista tunc Judæis vernacula fuisset? Porrò Hæbræo-Syriace scripsisse Evangelium testantur omnes veteres, Papias apud Eusebium, Irenæus, Hyeronimus, Epiphanius, Author Synopsis Scripturæ apud Athanasium, Cyrillus Jerosol. Augustinus & cæteri. Imo Irenæus & Hyeronimus disertè asserunt istud Evangelium linguâ vulgari Judæorum fuisse conscriptum.

Quintò, idem disertè asserit D. Petrus actor 1. dum dicit agrum triginta argenteis emptum linguâ Jerosolymitanâ vocatum esse Haceldama; quæ vox cum sit Syriaca manifestè demonstrat linguam Syriacam Jerosolimis vulgarem fuisse.

Sextò, idem ex eo quoque probatur, quod Epistola D. Pauli ad Hebræos Hebræo-Syriace scripta fuerit, ut testantur ex veteribus quicumque eam D. Pauli esse agnoverunt.

Ex quibus omnibus plusquam certò colligitur linguam Syriacam Jerosolimis tempore Christi & Apostolorum fuisse vernaculam; & Isaacum Vossium, cum id negavit, æstu disputationis & præjudicio anticipatæ opinionis pro septuaginta Interpretibus abreptum fuisse; proindèque nimis inconsideratè negasse aliam Scripturam à versione τῶν ὁ in Synagogis lectam fuisse.

Ex Talmude tamen aliqua suboritur difficultas contrà istam sententiam pro parte Vossii: legitur enim in Ghemarâ Hyerosolimitanâ solâ cap. 7. R. *Levi ivit Cæsaræam, audiensque eos legentes lectionem Deuteronomii 6. Græcè voluit impedire ipsos. R. Iose id animadvertens irascebatur dicens: qui non potest legere Hebraicè, num omninò non leget? Imò legat quâcumque linguâ quam intelligit & novit, & sic officio suo satisfaciet.* Idem etiam confirmatur ex Justino Apol. 2. ubi testatur versionem Græcam ab omnibus Judæis legi; quod Tertullianus Apologetici cap. 18. de Synagogis disertè asserit. Sed facile est difficultates istas solvere. Id enim quod de Ghemata objicitur, sententiam Vossii potiùs evertit, quàm

quam ſtatuit. 1°. Enim patet ex iſto loco talem lectionem inſolitam fuiſſe nec in conſuetudine habitam, alioqui R. Levi nunquam tentaſſet ipſam prohibere. 2. Licet R. Joſe pro lectione Græcâ ſteterit, eam tamen in iis locis tantùm tueri aggreſſus eſt, ubi nullus Hebraicè legere noverat, ac conſequenter tacitè concedebat à verſionis Græcæ lectione abſtinendum, ubicumque Hebraicæ litteræ legi poſſent. Sicubi ergo; verſio τῶν ὁ publicè in Synagogis legeretur, id, inquit Salmaſius, fiebat apud Proſelitos tantùm, qui Hebraicè legere neſciebant, non apud Judæos natione qui lectionem illam non ignorabant. Ad Juſtinum autem reſpondetur eum non loqui de lectione, quæ in Synagogis fiebat; Tertullianum verò id de Synagogis etiam Judæorum aſſerere, quia de facto in Synagogis Proſelitorum, qui etiam Judæi dicebantur, talis lectio frequentabatur.

Si cui tamen iſta non faciunt ſatis, eum notare velim nos in Salmaſii ſententiâ tuendâ, cum de Græcis agitur, nonnihil hæſitare; licet de eâ, cum ſermo eſt de Judæis Hyeroſolymitanis, Babiloniis & Aſſiriis, nullatenùs dubitemus. Sed hæc de verſionis τῶν ὁ apud Judæos authoritate dicta ſufficiant. Ad Chriſtianos veniamus.

Quod igitur attinet ad authoritatem quam apud Chriſtianos primis Eccleſiæ ſæculis verſio ſeptuaginta Interpretum habuit, certum eſt maximi eam feciſſe omnes veteres, qui quatuor primis ſæculis floruerunt. Nec ſolum in pretio eam habuerunt, ſed ſummis etiam laudibus cumularunt. Hinc eam ubique contrà omnes adverſarios tuentur. Hinc docent ſeptuaginta Interpretes in ſuâ verſione à Deo fuiſſe inſpiratos. Hinc denique illos Prophetarum vices & officia peregiſſe aſſeruerunt. At verò tanta hujus verſionis apud veteres Chriſtianos exiſtimatio ex duplici fonte profluxit. 1°. Ex acceptâ à Judæis opinione, quod ſeptuaginta Interpretes in totidem cellulis à Ptolomæo incluſi, ſic in Hebraico textu vertendo à Deo inſpirati fuiſſent, ut poſt ſeptuaginta dies collatis inter ſe tranſlationibus ſingulis, tanta inter omnes convenientia comperta eſſet, ut non ſine magno ſtupore deprehendiſſent Philadelphus & omnes qui aderant,

eos non solum eundem sensum ubique reddidisse, sed ita etiam in vocibus convenisse, ut ne in unâ quidem ab invicem discrepassent. Alterum ex quo hæc versio tantam apud veteres nacta est authoritatem, est quòd persuasum habuerint plerique sanctorum Patrum Christum Dominum & Apostolos, in locis ex veteri Testamento citandis neglecto Hebraico textu solius versionis τῶν ὀ rationem habuisse. Verùm in hoc utroque capite D. Hieronimus, qui minus in versionem Græcam propendebat, & ergà textum Hebraicum magis afficiebatur, à communi aliorum opinione recessit. 1. Enim historiam de septuaginta cellulis tanquam fabulam rejicit, & ex contrario Aristeæ testimonio confutat. 2. Contendit Christum & Apostolos, cum loca de veteri Testamento adduxerunt, Hebraico textu usos fuisse non versione τῶν ὀ. nisi interdum cum ad populos loquebantur, quia communiter jam recepta & pervulgata erat apud Gentes, ut habet S. Doctor in quæstionibus ad Genesim. Ex hâc diversitate D. Hieronimi ab aliis patribus, factum est etiam ut idem S. Doctor de versionis τῶν ὀ. authoritate, longè aliam conceperit opinionem. Non solùm enim eos Prophetas egisse aut fuisse à Deo inspiratos, palàm constanterque negavit: sed etiam errori obnoxios fuisse, & de facto pluribus in locis errasse sine hæsitatione asseruit. Quod si quandò aliud de septuaginta Interpretibus sensisse videtur & similia cæteris Patribus in eorum laudem protulisse, id ex aliorum opinione potiùs quàm ex propriâ fecit, & magis ut inimicis, qui de contemptâ Ecclesiæ versione ipsi invidiam apud multos fecerant, os obstrueret, quàm ut suum calculum reliquis Patribus adderet, aut versioni huic authoritatem conciliaret. De quibus omnibus consuli possunt præfationes ejusdem S. Doctoris in diversos Scripturæ libros. Et hæc quidem de Patribus.

Jam verò recentiores trifariàm dividuntur, circà authoritatem hujus versionis. Alii enim eandem huic versioni conciliare conantur authoritatem, quam ei olim Patres tribuerunt; ut nimirum in omnibus infallibilis & à Spiritu sancto inspirata habeatur: adduntque ad Patrum sententiam hanc

versionem Hebraico textui, cum diversitas occurrit, longè esse præferendam: quod Patres nunquam docuerunt, ut suprà à nobis ostensum est. Alii verò ita eam deprimunt, ut eam tanquam corruptissimam & penè infinitis scatentem erroribus versionem rejiciant, ac sæpè Interpretes ignorantiæ in transferendo accusent; proindeque veritatem Hebraicam illi in omnibus præferendam censeant. Alii denique mediâ incedentes viâ sic versionis hujus partes tuentur, ob venerandam ejus canitiem, & eam quam Ecclesiæ nascenti utilitatem attulit; ut tamen ejus authores non fuisse Prophetas à Deo inspiratos, sed Interpretes errori obnoxios definiant, textumque Hebraicum in plerisque etsi non semper ei præponant. Secunda sententia manifestè excessu peccat. Neque enim ita corrupta est, quam nunc habemus, Græca versio, ut diversa esse censenda sit ab eâ, quam veteres habuerunt. Si pauca excipias, quæ ex Theodotionis & aliorum versionibus cum illà commixta sunt, cætera omnia ferè cum iis conveniunt, quæ olim ex eâ à Patribus adducta sunt. Sæpè etiam in iis locis in quibus recentiores ignorantiæ culpam septuaginta Interpretibus objiciunt, indè tantùm provenit diversitas, quòd aliter tunc legerint, quàm à nobis hodie legatur. Denique nævi qui Amanuensium oscitantiâ in diversis locis respersi sunt, huic versioni in vitium verti nequeunt. Quæ verò inter primam & tertiam sententiam intercedit differentia, maximâ parte oritur ex præjudicatâ opinione eorum quæ de hâc versione à Patribus dicta & credita sunt. Quamobrem ut tertiam sententiam hic tueamur, discutienda à nobis est historia de septuaginta cellulis Interpretum, & utrum Christus & Apostoli huic versioni ita addicti fuerint, ut Hebraico textu neglecto, semper ex eâ testimonia deprompserint.

Historia Cellularum vix ullam hodie potest facere difficultatem. Jam enim satis convenit inter eruditos eam fabulis & figmentis Judæorum esse annumerandam. Enim verò ut olim à Hieronimo notatum est, cum nec Philo, nec Josephus, nec ipse Aristeas, qui nihil eorum omisit ex quibus hæc versio commendari poterat, de circumstantiâ illâ,

quæ tanti momenti fuiſſet, quidquam dixerint: imò cum Ariſteas ipſe huic hiſtoriæ apertè contrarius ſit, dum narrat Interpretes ſimul in uno loco poſitos, ac inter ſe differentes totum opus perfeciſſe; nemo eſt qui non videat hiſtoriam iſtam, meram eſſe fabulam quam poſt Ariſteam Judæi excogitarunt ut majorem ſuæ verſioni authoritatem conciliarent. Licet autem aliam hujus fabulæ originem non ſit neceſſe quærere præter Judæorum ingenium ad quælibet figmenta pronum; ſi tamen hic eſſet conjecturæ locus, ſuſpicarer illam, ex malè intellecto Philonis loco, ubi de his Interpretibus agit, profluxiſſe: ſic autem ſe habet Philonis locus lib 2°. de vitâ Moſis: *In eo ſeceſſu cum conſediſſent ſolitarii, nemine interveniente arbitro præter naturæ partes Terram, Aquam, Aërem, Cælum de quibus proximùm prodituri erant Myſteria; tanquam numine correpti prophetabant, non alii alia; ſed omnes ad verbum, quaſi quodam ſuggerente & interius dictante ſingulis inviſibiliter.* Quibus verbis exaggerat quidem Philo, quomodo ſeptuaginta Interpretes in Pharum inſulam ſecedentes, & à cæterorum hominum conſortio ſeparati, ſuam verſionem confecerint: ſed nullatenus aſſerit eos in totidem cellulis fuiſſe incluſos, ut volunt cellularum aſſertores. At cum & de prophetiâ loquatur & de ſingulorum in eadem verba conſenſu, & de ſolitario ſeceſſu, facilè potuit quis indè inferre eos in tali receſſu à ſe invicem ſeparatos, ſicque in diverſis locis ſeu cellulis ad ſuam verſionem elaborandam fuiſſe incluſos.

Quod ſpectat ad aliud caput quæſtionis, utrum ſcilicet Chriſtus & Apoſtoli neglecto Hebraico textu hanc verſionem ſequuti ſint; ſciendum eſt non unam eſſe Eruditorum hâc de re ſententiam. Alii enim ut Voſſius, affirmativam ſequuntur cum pleriſque Patribus. Alii ut Salmaſius & Simonius negativam tenent. Alii denique ut Uſſerius, Capellus & Valtonus mediam amplectuntur; docentque modo verſionem iſtam, modo Hebraicum textum à Chriſto & Apoſtolis citatum fuiſſe, ne aut verſionem communiter jam receptam negligere, aut eam textui præferre videren-

tur. Ut autem mentem nostram circà difficultatem hanc aperiamus; distinguendum nobis videtur inter Christum Dominum & Apostolos. Cum enim Christus Dominus solis Judæis prædicaverit, eorumque regionem nunquam egressus sit; probabiliùs videtur eum Scripturæ loca quæ citabat ex Hebraico textu sumpsisse quàm ex versione τῶν ό. Hoc à nobis indè probatur, 1°. Quod lingua Græca Christo Domino non esset vernacula, sed Hebraica seu Syriaca; quæ cum multò majorem habeat affinitatem cum Hebraico Scripturæ textu quàm Græcâ, verisimiliùs videtur Christum Hebraicam Scripturam usurpasse quàm Græcam. 2°. Quia S. Matthæus qui pro Judæis fidelibus Hebraico-Syriacè scripsit Evangelium, testimonia quæ affert citat juxtà Hebraicũ textum non juxtà versionem τῶν ό; ut ex Evangelio Nazaræorum annotavit D. Hieronimus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Matthæo. At quis credat Matthæum voluisse testimonia ex Hebræo desumere, si Christus Dominus eâdem linguâ loquens, ea non ex Hebræo, sed ex versione τῶν ό desumpsisset? 3°. Quia nonnunquam ea loca, quæ tùm Christus, tùm Evangelistæ citant nullibi extant in versione τῶν ό, sed in solo textu Hebraico, ut v. g. *Ex Ægipto vocavi filium meum. Qui credit in me flumina de v ntre ejus fluent aquæ vivæ. Videbunt in quem transfixerunt. Nazaræus vocabitur &c.* Cum igitur ista loca ex versione τῶν ό non possint esse desumpta, probabiliùs videtur etiam alia loca, quæ à Christo Domino adducta sunt, ex eodem textu fuisse desumpta, quàm statuere Christum Dominum qui non Græcè, sed Hebraicè, & ad Judæos loquebatur, modo ex textu, modo ex versione loca citasse. 4°. Denique idem probant pleraque alia loca, quæ licet in versione τῶν ό & in Hebræo non reperiantur, constat tamen ex diversitate lectionis, ex Hebræo, non ex versione esse citata, ut verbi gratiâ Matth. 2°. 18. *Rachel plorans filios suos & noluit consolari.* In versione enim habetur *Rachel plorans noluit conquiescere super filiis suis.* Item Matth. 4°. *Lux orta est eis*; in versione habetur. *Lux orietur vobis.* Isaiæ 9. 2. sic etiam Matth. 8°. 17. 12. 18. & 21. 5°. Loca citantur prout

jacent in Hebræo. At nulla afferri poteſt probabilis ratio, cur Evangeliſta aliter iſta loca retuliſſet quàm in verſione, ſi Chriſtus Dominus ſecundùm quod habentur in verſione, illa citaſſet. E contrà verò facilè reddi poteſt ratio, cur etſi Chriſtus Hebraicum textum citarit, Evangeliſtæ nihilominùs pleraque loca quæ in verſione habebantur, retulerint: nimirùm quia cum Græcè ſcriberent, & ad gentes quibus verſio Græca jam diù nota erat & familiaris; non debuerunt aliter loca Scripturæ citare, quàm in eâ habebantur, niſi cum major vis alicujus loci in Hebræo poſtulabat ut juxtà Hebraicum textum referrentur. Cœterùm notant aliqui recentiores, ex quadraginta locis quæ de veteri Teſtamento in Evangeliis citantur, viginti duo magis ad Hebraicum textum, quàm ad verſionem accedere, quatuordecim verò eſſe quæ cum textu & verſione conveniunt: quatuor autem quæ magis ſequuntur verſionem quàm Hebraicum textum; ac tandem quinque eſſe quæ relictâ verſione, ut potè palàm vitiosâ, ſoli Hebraico textui ad amuſſim reſpondent.

Jam verò quod attinet ad Apoſtolos, qui Græcè & ad Græcos ſcripſerunt, ac Græcè loquuti ſunt, certum nobis videtur & extrà controverſiam poſitum eos communiter Græcâ verſione uſos, præterquam in nonnullis locis ubi major vis expreſſionis erat in Hebræo, quæ peculiariter ad eorum inſtitutum & dictorum confirmationem faciebat. Sic D. Paulus in epiſtolis, licet vulgò Græcam verſionem ſequatur, ſæpè nihilominùs ad Hebraicum textum recurrit, ut Roman. 9°. 17. 10. 15. 11. 4. 12. 19. 1ª. Corinth. 14°. 21. 15. 54. &c. Conſule Jacobum Uſſerium in Syntagmate cap. 3, & Capellum Criticæ ſacræ lib. 2° cap. 1°. 3°. & 4°.

Cæterùm Salmaſii ſententiam hic non moramur, qui abſque ullo fundamento docet omnes Apoſtolos Hebraicè ſcripſiſſe. Sed neque aliam ſententiam hic referendam aut confutandam arbitramur, quâ author Anonimus conatus eſt tribus diſſertatiunculis, quæ ad calcem Criticæ Capelli referuntur, ſtatuere neque Chriſtum neque Apoſtolos verſionem Græcam unquam laudaſſe, neque loca quæ in novo

Teſtamento de veteri referuntur, ex illa verſione eſſe deſumpta : ſed ea potiùs quæ nunc locis citatis in verſione habentur, ex verbis Chriſti & Apoſtolorum in illam eſſe tranſlata. Docet etiam idem Anonimus Apoſtolos neque ex Græco, neque ex Hebræo loca Scripturæ citaſſe : ſed ea ad ſuum inſtitutum accommodaſſe, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis : procedente verò tempore aliquos Interpretes, loca iſta in Græcam verſionem iiſdem verbis quibus ab Apoſtolis adducta erant, tranſtuliſſe. Ideò autem hanc ſententiam prætermittimus, ne in eâ confutandâ temporis jacturam faciamus.

His iſta ſtatutis circà loca quæ ex veteri Teſtamento in novo citantur, ut ad authoritatem verſionis τῶν ὁ redeamus; dicendum eſt, magnam ei deberi authoritatem, tùm propter eam quam habet antiquitatem &, ut nonnulli loqui amant, venerandam canitiem : tùm propter eam quæ veteribus Chriſtianis debetur reverentiam ; ut potè qui nullam aliam Scripturam, quâ publicè uterentur habuerint : tùm etiam quòd cum ſeptuaginta Interpretes ſæpè in ſuo codice aliter legerint, quàm in hodiernis Hebraicis habeatur, multis in locis textus hodiernus ad illam verſionem emendari poſſit : tùm denique quod cum Interpretes iſti nonnunquam paraphraſtas egerint, eorum expoſitio interdùm magnam lucem locis difficillimis affert. Quia tamen aliundè certum eſt verſionem hanc multis in locis deficere, & ante D. Hieronimi tempora in multis jam à priſtino ſplendore decidiſſe, plureſque nævos habuiſſe, partim ob Amanuenſium culpam, partim ob editionum diverſitatem; illi plus æquo huic verſioni tribuere nobis videntur, qui non ſolùm eam textui præferunt, ſed quidquid in eâ occurrit ſtatim abſque examine tanquam Dei oraculum recipiendum decernunt, & quidquid cum eâ non convenit, corruptelæ & depravationis inſimulant.



DISPUTATIO NONA.

DE VARIIS EDITIONIBUS versionis septuaginta Interpretum.

CUm versio septuaginta Interpretum, quæ omnium Scripturæ versionum antiquissima est, tribus jam ferè sæculis ante Christi Domini adventum trita fuerit, & apud Judæos plerosque in Ægypto aliisque Provinciis usu recepta; fieri non potuit quin diversorum Amanuensium inadvertentiâ, negligentiâ, oscitantiâ, temeritate, aut ignorantiâ, multas maculas contraheret. Sed cum post Christi Domini tempora, prædicato ubique Evangelio, non apud solos Judæos, sed apud omnes gentes evulgata sit, & infinitis propemodum exemplaribus aucta, hinc factum est ut crescente exemplarium numero sphalmatum quoque ac nævorum numerus augeretur. Quod cum plerisque viris doctis perspectum esset nonnulli diversis temporibus diversisque locis suos codices juxtà leges Criticæ ex aliis melioris notæ codicibus emaculantes, versionem τῶν ό emendatiorem & puriorem ediderunt. Porrò tres ejusmodi editiones nobis occurrunt, quæ veteribus celebriores & apud eos magis receptæ sunt. Prima fuit Origenis. Secunda Luciani Martyris. Tertia Hesychii: de quibus sigillatim hic nobis agendum est; postea verò de recentioribus ejusdem versionis editionibus nonnulla subjiciemus.

Inter omnes editiones versionis τῶν ό celeberrima & majori in pretio habita semper fuit, quam Origenes Adamantius in suis Exaplis adornavit. Enim verò omnem curam adhibuit Origenes ut eam omnibus modis illustraret, & Ecclesiæ utilem redderet. In iis perquirendis quæ ad eam aliquid conferre poterant, studio non defuit: in iis comparandis quæ opus promovere poterant, impensas non timuit: in iis

iis denique quæ editionis elucubrationem ſpectabant, labori non pepercit. Primùm igitur verſiones Aquilæ, Theoditionis & Symmachi ſibi comparavit: deinde cum temporibus Caracallæ & Alexandri Mammeæ filii Imperatorum duæ aliæ repertæ fuiſſent, eas etiam ſibi adſcivit Origenes, iiſque tertiam in Pſalmos Hierichunte repertam adjecit. Eam porrò quæ ſub Alexandro reperta eſt, Nicopoli inventam fuiſſe conſtat, alteram verò Hierichunte juxtà Epiphanium de pond. & menſ. & authorem Synopſis inter opera Athanaſii. Sed Euſebius aſſerit incertum eſſe undè Origenes eam habuerit. Has igitur omnes verſiones unà cum verſione τῶν ὁ quam ex Serapæo codice exſcripſerat, & Hebraico textu, tàm Hebraicis quàm Græcis litteris ſcripto, in unum corpus colligens, & per totidem columnas diſtinguens, Exapla primum compoſuit, poſteà verò omiſſis Hebraico textu & poſterioribus verſionibus ex Aquilâ, Symmacho, Theodotione & ſeptuaginta Interpretibus Tetrapla confecit. Porrò hunc ordinem Exapla continebant, ut primò textum Hebraicum propriis characteribus, deinde eundem Græcis litteris conſcriptum, tertiò Aquilæ, quartò Symmachi, quintò ſeptuaginta Interpretum, ſextò Theodotionis, ſeptimò quintam, octavo ſextam & ſeptimam in Pſalmos exhiberent verſiones. Ex quo apparet Joſephum Scaligerum, niſi eum malè intellexerit Henſius, deceptum fuiſſe cum docuit in Exaplis Origenis textum Hebraicum utroque caractere ſcriptum poſt omnes verſiones collocatum fuiſſe: contrarium enim apparet ex omnibus veteribus, ac etiamnùm ad oculum conſpicitur in ſpecimine Exaplorum, quod ex manuſcripto Barberino in ſextum volumen Bibliorum intulit Waltonus.

Multa ſunt circà Exaplorum editionem, de quibus plerique recentiores inter ſe diſſentiunt & deceptant. Primùm enim de Exaplorum nomine; undè ſcilicet fluxerit. Circà quod omiſsâ Eraſmi & Magdeburgenſium etimologiâ ut nimis alienâ, qui illa à verbo ἐξαπλῶ explano, denominata volunt, duæ ſunt potiſſimum ſententiæ. Alii enim ex numero columnarum Exaplorum nomen tenent: alii verò ex numero verſionum.

Pro primâ ſententiâ ſtant Waltonus, Symonius & aliquatenùs Huetius. Pro alterâ verò pugnant Ferrandus, Iſaac Voſſius, & Jacobus Uſſerius; cum hac tamen differentiâ quòd Uſſerius editiones Scripturæ potiùs attendit quàm verſiones: undè duas Hebraici textus columnas pro unâ editione numerat. Voſſius autem & Ferrandus contendunt Hebraicum textum ad Tetraplorum aut Exaplorum nomen nihil contuliſſe, ſed ſolas verſiones. At verò doctiſſimus Huetius qui pro columnis magis inclinat omnem difficultatem amovere ſibi videtur, dum notat quintam aut ſextam verſiones non omnes Scripturæ libros ſed aliquos tantùm exhibuiſſe, ut teſtis eſt D. Hieronimus in caput tertium Epiſtolæ ad Titum. Ex quo factum putat, ut licet cum aliis editionibus in eodem Exaplorum corpore legerentur; nihilominus iſta omnia quæ alicubi ἕπταπλα, ὕκταπλα, & ἐννέαπλα, dici poterant; ex majori parte Exaplorum nomen retinuerint.

Ut autem in re difficillimâ mentem noſtram aperiamus, licet Huetii ſententia Epiphanium & Ruffinum pro ſe habere videatur, qui ex quatuor primis verſionibus & duplici Hebraico textu, Exapla denominant: nihilominus Euſebii locus, quem citat & refert Ferrandus, ipſi & Voſſio magis favere videtur, & ex verſionum, quas recenſuerat, numero Exaplorum nomen eruere. Hæc autem ſunt Euſebii verba: *Tantam porrò curam ac diligentiam in divinis Scripturis perſcrutandis adhibebat Origenes; ut Hebraicam etiam linguam didicerit, aliorum quoque qui præter ſeptuaginta Scripturas interpretati ſunt, verſiones perveſtigaverit, nonnullas denique interpretationes à tritis illis vulgatisque Aquilæ ſcilicet Symmachi & Theodotionis diverſas repererit, quas ille quidem ex neſcio quibus erutas angulis, primus in lucem produxit; & cum obſcurum incompertumque haberet cujusnam eſſent autoris, hoc ſolum de ipſis annotavit; alteram quidem à ſe repertam eſſe Nicopoli juxtà Actium, alteram verò in alio quodam loco. Quin etiam in Exaplis Pſalmorum exemplaribus poſt inſignes illas quatuor editiones cum non quintam modo, ſed etiam ſextam ac ſeptimam apponeret verſionem, rurſus in*

principio unius notavit inventam illam fuisse Hierichunte in dolio temporibus Antonii Caracallæ, qui Severi filius fuit. Has igitur omnes interpretationes cum in unum corpus collegisset, & per certa cola ac membra distinxisset, & sibi invicèm è regione opposuisset unà cum Hæbraico textu, Exaplorum nobis exemplaria reliquit. Postea verò editiorem Aquilæ Symmachi & Theodotionis cum septuaginta Interpretum versione, seorsim in tetraplis digessit. Hactenus Eusebius. Ex quibus verbis manifestè apparet ipsum in Exaplorum denominatione, magis versionum quàm textus Hebraici rationem habuisse. Sed non est necesse diutiùs in hâc disputatione immorari quæ ferè est de solo nomine.

Cæterùm hallucinatur Isaac Vossius cum asserit Hebraicum textum in Tetraplis utroque charactere exaratum, unà cum quatuor versionibus locum habuisse. Non solum enim Eusebius, Epiphanius & Hieronimus de solis versionibus meminerunt; sed etiam apertè repugnat Epiphanius cum istis quatuor versionibus unà cum duplici textu Hebraico nomen Exaplorum tribuit. Neque felicior est idem Vossius cum absque ullo veterum testimonio solo anticipatæ opinionis præjudicio nixus, asserit etiam Samaritanum Pentateuchum tàm in Exaplis quàm in Tetraplis locum habuisse. Quis enim credat Eusebium, Epiphanium, Hieronimum & Ruffinum qui multis in locis de Origenis opere scripserunt & singulas illius editiones recensuerunt, Samatitanum Pentateuchum silentio prætermissuros fuisse, si inter cæteras editiones locum habuisset? Eusebium quidem pro se adducit Vossius: sed ut eum ad suas partes inclinet ejus locum sub specie correctionis corrumpere cogitur: cum enim Eusebii locus sic latinè reddi debeat: *Usurpatas apud Iudæos Scripturas primigenias, ipsis Hebræorum litteris descriptas comparasse:* Vossius ita locum vertit ut dicatur eum comparasse sibi Scripturas, *Quæ apud Iudæos prototipis Hebræorum litteris descriptæ esse feruntur,* pro accusativo Græco πρωτοτύπυς dativum πρωτοτύποις substituens. Addendum quod etiamsi locus pro Vossii judicio corrigendus esset, nihilominùs de primigeniis Hebræorum characteribus, non per oppositionem ad Esdræ characteres, sed

ad Græcos ſub quibus textus Hebraicus in Exaplis repreſentabatur, intelligendus eſſet.

Jam verò alia exurgit quæſtio circà hanc Origenis editionem; nimirùm utrùm Origenes ſicut Tetrapla diſtinxit ab Exaplis, & ſeparatim edidit; ſic etiam Octapla ab iiſdem Exaplis diſtinxerit, & editionem quæ nomen iſtud haberet elucubrarit. Affirmativam ſtatuere videtur Epiphanius loco citato de pond & menſ. quem ſecuti ſunt hactenùs ferè omnes Eruditi ut Petavius, Valtonus, Symonius, Uſſerius Armacanus, & alii. Sed negativam multo melius aſtruunt non nulli viri doctiſſimi, Henricus Valeſius, Ferrandus, Voſſius, & Pinius aſſerentes certum eſſe neque Euſebium, neque Hieronimum, quibus hâc in re major fides adhibenda eſt, Octapla ab Exaplis diſtinxiſſe; ſiquidem inter Exaplorum editiones & verſiones quintam & ſextam numerant atque ſeptimam, ex quibus alii Octapla conficiunt; nec ullius editionis præterquàm Exaplorum & Tetraplorum meminerunt. Porrò, ut id obiter dicam, nonnulli viri docti ex malè intellecto eodem Epiphanii loco decepti, putarunt Tetraplorum editionem Exapla præceſſiſſe, cum Euſebius contrarium expreſsè tradat.

Supereſt ad hujus materiæ abſolutionem ut non nulla de operâ, quam in editione τῶν ὀ corrigendâ, adhibuit Origenes, & de iis quæ illi inſeruit, adjiciamus. Quod operam attinet: rem ab alio meliùs diſcere non poſſumus quàm ab ipſo Origene, qui de eâ ſic ſcribit: *In exemplaribus quidem veteris Teſtamenti quæcunque fuerunt conſonantia Deo præſtante coaptare potuimus; utentes judicio cæterarum editionum. Ea enim quæ videbantur apud ſeptuaginta dubia eſſe propter conſonantiam exemplariorum, facientes judicium ex editionibus reliquis, conſonantia ſervavimus, & quædam quidem notavimus quaſi non poſita in Hebræo, non audentes ea omnia auferre, quædam ſub aſtericis addidimus, ut ſit manifeſtum, quoniam quæ non fuerunt poſita apud ſeptuaginta, ex editionibus cæteris addidimus convenienter Hebræo.* Hæc Origenes. Ex quibus apparet ipſum verſionem τῶν ὀ ad alias omnes editiones, & ut veriſimillimum eſt ad melioris notæ codices

contuliſſe, & quàm accuratè potuit edidiſſe. In eam verò nonnulla ex aliis inſeruiſſe ſub aſtericis, ex eodem loco conſtat. Quod ut melius intelligatur, advertendum eſt ex D. Hieronimo Origenem duo circà hanc verſionem egiſſe. Primùm eſt quòd ea loca notarit quæ ex Hebræo aberrant, & in editione τῶν ὁ abundare videbantur. Secundum quod ea loca addiderit, quæ cùm in verſione non apparerent, in Hebræo tamen legebantur. Primam autem elucubrationem Obeliſco, ſecundam Aſterico annotavit. Has quidem notas, non alio conſilio uſurpatas aſſerit Ruffinus, quàm ut ſciremus, non quid nobis, ſed quid Judæis adverſum nos certantibus, aut deeſſe, aut abundare videretur. Verùm aliter cenſet Hieronimus; vult enim Aſtericos ab Origene appoſitos, ut verſioni ex Hebræo lux nova accederet: Obeliſcos verò, ut quod in verſione abundabat, veru confodiendum eſſe indicaretur. Quæ Hieronimi ſententia magis convenire videtur cum adducto Origenis loco, quàm expoſitio Ruffini.

Præter Aſtericos & Obelcos, quibus hæc verſio in Exaplis paſſim notabatur, aliarum etiam notarum meminit Epiphanius nimirùm Lemniſci & Hypolemniſci; ſed valdè obſcurus eſt in eorum uſu exponendo. Id tamen velle videtur, Lemniſcum tunc ab Origene poſitum, cum plura Interpretum paria (Interpretes enim in triginta ſex paria, & totidem cellulas diviſos fuiſſe putavit Epiphanius:) inter ſe in verſione convenerant; Hypolemniſcum verò cum unicum par ita erat. Sed hanc expoſitionem, quam ſecuti ſunt etiam Heſychius & Iſidorus, meritò ut fictionem rejicit Andreas Maſius. Joannes verò Curterius alium iſtarum notarum uſum excogitavit; vult enim Lemniſcum tunc appoſitum fuiſſe, cum Interpretes in verbis quidem conveniunt, diſſenſiunt verò in ſenſu: Hypolemniſcum autem, cùm tàm in verbis, quàm in ſenſu diſcrepant. Sed longè probabilior eſt ſententia Maſii docentis Lemniſcum notatum fuiſſe, cum plures, Hypolemniſcum cum pauciores codices in unam lectionem conveniebant. Porrò hæc erat iſtarum notarum forma, Obeliſci ⟻ Aſterici * Lemniſci ÷ Hypolemniſci. ⁒

Cæterùm licet D. Hieronimus in Origenem paulò ſeverior has ejus notas & additiones alicubi vituperet, & corruptionis nomine inſimulet; certum tamen eſt notas illas & ingenioſè excogitatas, & utiliter ab Origene additas fuiſſe. Quòd ſi quæ poſtmodum à librariis omiſſæ confuſionem aliquam in verſionem τῶν ὁ invexerint, id non Origenis culpæ, quam nullam fuiſſe ſuo exemplo probavit ipſe Hieronimus, ſed amanuenſium negligentiæ tribuendum eſt. Verùm hæc de Origenis editione dicta ſufficiant.

Quod ſpectat Heſychii & Luciani editiones, hoc unum de iis ſcimus, earum primam ab Heſychio Ægyptio Epiſcopo ſub finem tertii ſæculi elaboratam fuiſſe; ſecundam verò à Luciano Presbytero Antiocheno. Hanc circà Conſtantinopolim & Antiochiam, illam verò Alexandriæ & in Ægypto locum obtinuiſſe teſtis eſt Hieronimus in epiſtolâ ad Chromatium his verbis: *Alexandria & Ægyptus in ſeptuaginta ſuis Heſychium probat: mediæ inter hos Provinciæ Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt: totuſque orbis hâc inter ſe varietate compugnat.* Idem D. Hieronimus præfatione in Evangelia eos corruptionis in Scripturas invectæ arguit, & pauciſſimos habuiſſe codices aſſerit, quod non video, quî cum iſto loco conſiliari poſſit. En ejus verba ad Damaſum: *Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Heſychio nuncupatos paucorum hominum aſſerit perverſa contentio: quibus utique nec in toto veteri inſtrumento, poſt ſeptuaginta Interpretes emendare quid licuit; nec in novo profuit emendaſſe, cum multarum gentium linguis Scriptura antea tranſlata, doceat falſa eſſe, quæ addita ſunt.*

Circà Luciani & Heſychii editiones id notatu dignum eſt, eas Obelis & Aſtericis notatas fuiſſe ad imitationem Origenianæ editionis, ut ex Hieronimo ſatis clarè deducit Huetius. Sed in hoc vir doctiſſimus peccaſſe videtur, quod aſſerat iſtas notas ab ipſis verſionum authoribus appoſitas fuiſſe. Cum enim altum ſit hâc de re in totâ antiquitate ſilentium, nec ullus ex veteribus alteri quàm Origeni Obelos & Aſtericos tribuerit, veriſimilius eſt notas illas ex Origene ad

Luciani & Hesychii editiones posteà transiisse, quàm eas ab istis authoribus manasse.

Porrò antequàm ea quæ veteres editiones hujus versionis spectant, absolvamus, Jacobo Usserio breviter occurrendum est, qui quoniam inter versionem communem septuaginta Interpretum & eam quæ extabat in Exaplis apud veteres distingui perspexit, non solùm duas unius versionis editiones, sed duas omninò versiones esse arbitratus est. Sciendum est igitur istam veterum distinctionem nullatenùs duas versiones designare, sed per versionem communem, seu κοινὴν, ut Patres vocant, eam editionem intelligi, quæ ex iis descripta est exemplaribus, quæ ab Origene correcta non sunt; ex quibus suam editionem posteà confecit Lucianus, à quo etiam λουκιανὸς appellata est, ut notat D. Hieronimus. Per eam verò quæ in Exaplis habebatur eandem versionem intelligi, sed ex melioris notæ codicibus desumptam & emendatam, quam Origenes in Exaplorum & Tetraplorum editionem inseruit. Ea verò quæ pro duplici versione statuenda profert Usserius, arguunt quidem diversitatem aliquam inter istas editiones, sed non probant duas fuisse versiones.

Quod spectat ad recentiores hujus versionis editiones; quemadmodum apud veteres tres tantùm fuerunt celebriores editiones (nam quæ ab Eusebio & Pamphilo tradita est, ab Origenis editione, quæ in Exaplis habebatur, non differebat) sic omnes quæ ab inventâ arte typographicâ factæ sunt à tribus præcipuis Complutensi, Venetâ & Romanâ, velut è fontibus rivi profluxerunt. Primam ex vetustissimis exemplaribus manuscriptis edidit Cardinalis Ximenius Archiepiscopus Toletanus anno 1515. quam Arias Montanus 1571. in Biblia Regia, Comelinus anno 1599. in Parisiensia Tetrascelida Francisci Vatabi commentariis illustrata, & Michaël le Jay anno 1645, in Biblia Polyglotta transtulerunt. Secundam ex vetustissimis itidem exemplaribus apud Aldum edidit Andreas Asulanus anno 1518. quam ordine mutato Argentorati anno 1526 Joannes Laureicenus, Basileæ anno 1545 cum Melancthonis præfatione Joannes Hervagius, ibidemque anno 1550 cum latinâ versione Nicolaus Bulingerus,

ac demùm Francofurti cum notis Junii, ut vulgò creditur, anno 1597. ejusdem urbis Typographi recudi procurarunt. Tertiam denique Romæ nobis tradidit Antonius Caraffa Cardinalis anno 1587. ex vetustissimo codice Vaticano, cui ex duobus aliis nonnullis in locis suppletum est. Hanc Græcè tantùm editam Flamminius nobiliùs collectis, quæ apud veteres Patres ex ea proferuntur testimoniis paucis additis, ubi veterum loca deerant latinam fecit, & anno sequenti ibidem edidit. Utramque autem, id est tàm Latinam quàm Græcam versionem cum scholiis & notis elegantissimè edidit Parisiis Joannes Morinus anno 1628. apud Nicolaum Bluon. Eandem in Biblia Polyglotta Londini anno 1657. edita transtulit Brianus Waltonus, ac demùm quibusdam immutatis ex manuscripto quem Alexandrinum & suum Anglici scriptores appellant ibidem in 4°. separatim ediderunt.

Quæritur vulgò quænam istarum trium editionum sinceram septuaginta Interpretum versionem magis referat. Circà quod non una est apud Eruditos sententia. Romanam plerique viri eruditi cæteris præferunt, ut Andræas Masius, præfat. in Josue, Joannes Morinus præfat. in sua Biblia, & exercit. 9. Brianus Waltonus in prolegomenis ad Biblia Polyglotta, & Simonius l. 2. Criticæ c. 3. At contrà Isaac Vossius eam omnium minùs sinceram magisque corruptam esse contendit. Complutensem verò, quam alii etiam Venetæ postponunt, duabus aliis anteponit. At certè in eâ re, quâ à plerisque viris doctis dissentit, suam sententiam non satis firmis probat argumentis. Ut enim Romana editio suos habeat nævos, cùm tamen aliæ pluribus adhuc scateant mendis, his Romanam postponere nulla ratio suadet. Complutensem verò editionem dum Hebraico textui accommodare authores ejus studuerunt, à genuinis septuaginta Interpretum codicibus multùm recesserunt, ut Jacobus Usserius in syntagmate de septuaginta Interpretibus c. 8. brevi errorum specimine exhibito facilè demonstrat. Dum tamen J. Morinus tàm in præfat. suæ editionis quàm in exercitationibus Biblicis suum exemplar nimiis effert laudibus, & paucissimis exceptis, mirum & omnimodam cum vera τῶν ό versione consensum habere

habere contendit, à rectâ semitâ sui operis præjudicio abreptus, exorbitat. Enim verò idem Usserius doctissimè probat multis hanc in rem ex ipsâ editione adductis exemplis, & cum iis quæ de versione τῶν ὁ veteres notarunt collatis, nullam esse ex quatuor notis, quibus suam editionem τοὺς ὁ in omnibus repræsentare contendit Morinus, quæ illi in omnibus conveniat, imò quæ eam multis scatere nævis & multis corruptionibus mixtam non demonstret. Sic ergo Romana editio cæteris præferenda est, ut tamen ad eam emaculandam & primæ sinceritati restituendam plurima adhuc desiderari fateamur.

Neque est quod quisquam objiciat antiquitatem codicis Vaticani, ex quo editio illa desumpta est, quem D. Hieronimi tempora præcessisse volunt. Nam ut de tantâ antiquitate, de quâ nonnulli hæsitant, quæstionem non moveam, antiquitas illa codicem ab errore immunem non arguit. Certum est enim D. Jeronimi ætate plerosque codices τῶν ὁ multis nec levibus corruptelis laborasse; ac inter alias causas quæ sanctum doctorem ad aliam versionem ex Hebraico textu conficiendam impulerunt corruptionem versionis τῶν ὁ non ultimam fuisse, ut ipse testatur pluribus in locis.

DISSERTATIO DECIMA.

De Latinâ Versione Vulgatâ.

CUM ab initio nascentis Ecclesiæ Græca versio 70. Interpretum, quæ jam diù apud Græcos authoritatẽ adepta erat, per totum Orientem in omnibus Ecclesiis obtinuerit, hinc factum est ut cum Latini de Scripturæ versione suis procurandâ cogitarunt, illam in suam linguam converterint, eo consilio ut in eâdẽ Scripturæ lectione universa Ecclesia conveniret. Licet autem temporis processu, versiones latinæ penè infinitæ prodierint, una tamen inter alias, quam Augustinus Italam, Hieronimus Vulgatam, Gregorius veterem nuncuparunt,

quamque omnium primam fuisse meritò suspicamur, principem locum obtinuit. Hanc sub Apostolorum temporibus elaboratam multi opinantur, nec sine aliquo fundamento, ne latina Ecclesia Scripturarum thesauro tandiù privaretur. At quo demùm tempore, & à quo facta sit, certò definiri nullatenùs potest. Ejus authorem in vertendo fuisse θεωπνεύςον cum asserit Serrarius, plerisque nugari videtur; præsertim cum ejus sententia nullo nixa sit veterum testimonio. Certè quam huic versioni authoritatem veteres tribuerunt, non à Latinis sed à Græcis Interpretibus mutuati sunt.

Porrò versionem hanc multis jam sæculis oblitteratam, & omninò extinctam, Flaminius nobilius superiori sæculo excitare aggressus, & restituere conatus est. Cujus opus etsi propter immensum laborem sedulamque quam in evolvendis Patribus impendit operam, laudem & æstimationem Eruditorum mereatur; non est tamen existimandum illud veterem Vulgatam, eo modo quo tempore Patrum exstitit, nobis omninò repræsentare. Præterquàm enim certum est sanctos Patres in locis Scripturæ citandis sæpè sensum potiùs attendisse quàm verba; constat etiam eos non ita Vulgatæ adhæsisse, quin interdùm aliis versionibus uterentur; ut ex eo palàm fit, quòd in diversis Patribus plerumque diversimodè eadem loca Scripturæ referantur. Quæ cum ita sint, de antiquâ versione judicium certum ferre non possumus, nec proindè de eâ fusiùs agere necesse habemus. Ad eam igitur quæ hodie nostra est, sermonem convertimus.

Circà Vulgatam hodiernam duæ potissimum quæstiones moveri solent. Prima ejus authorem, secunda ejusdem authoritatem inquirit. Authorem quod attinet, plerique Catholici eam Hieronimo tribuunt, intèr quos sunt Eugubinus, Mariana & Serrarius: nonnulli tamen ut Pagninus, Driedo, & Erasmus, quibus heterodoxi ferè omnes adstipulantur, eam sancto Doctori abjudicant. Verùm nisi præconceptum in vulgatam versionem odium, plerosque ex Protestantibus rapuisset, & errata, quibus ante correctionem scatebat, nonnullos ex Catholicis movissent, facillimum erat D. Hieronimum in hâc versione authorem agnoscere.

Primò enim id ex eo patet, quòd vulgata verſio hodierna eadem ſit cum eâ quæ in commentariis D. Hieronimi in Prophetas ex Hebræo facta reperitur. Si quis enim eas inter ſe contulerit, vix in integro capite unius verbuli differentiam annotabit.

Secundò D. Hieronimus iis omnibus libris quos ex Hebræo convertit, præfationes appoſuit, ut ipſe teſtatur; at eas omnes vulgatæ verſioni in omnibus codicibus præfixas cernimus. Quis autem credet totum D. Hieronimi opus amiſſum eſſe; omnes autem ejus præfationes interitum evaſiſſe? Aut quis non credet potiùs iſtas præfationes propter opus Hieronimi in Vulgatâ aſſervatum, etiam fuiſſe conſervatas?

Tertiò clarum eſt vulgatam verſionem non ex 70. Interpretibus, ſed ex Hebræo factam eſſe. Iis enim in locis, quibus ab Hebræo differunt Interpretes, differt quoque, ut plurimum, Vulgata ab Interpretibus, & cum Hebræo convenit: in aliis verò locis, quibus eadem profert uterque codex, vulgata verſio ſuam nihilominùs originem adhuc oſtendit; verſionis enim phraſi neglectâ Hebraicam ferè ſemper ad litteram exprimit. Atqui certum eſt nullum ex veteribus præter D. Hieronimum verſionem ex Hebræo feciſſe. Non alteri igitur quam S. Doctori vulgata verſio tribuenda eſt.

At certum eſt nihilominùs verſionem iſtam non ita pertinere ad D. Hieronimum, ut nihil omninò, quod ipſius Hieronimi non ſit, in eâ habeatur. Primò enim liber Pſalmorum non eſt ex verſione Hieronimi; ſed ex verſione τῶν ό & ut multi volunt ex correctione Luciani: quod ſuo loco diſcutiemus. Secundò, neque etiam Hieronimo tribui poſſunt libri Machabæorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Baruc, cum libros iſtos Hieronimus nuſquam verterit: cæteros verò pauciſſimis exceptis quæ tùm ex veteri Vulgatâ, tùm ex Theodotionis verſione admixta ſunt, totos eſſe Hieronimi dubitari nequit. Enimverò quod ad ea attinet quæ ex veteri Vulgatâ retenta ſunt, ſciendum eſt verſionem D. Hieronimi non ſtatim in Eccleſiâ obtinuiſſe authoritatem; cum è

contrà plurimos initio habuerit contradictores tàm inter ejus amicos, quàm inter adversarios, ne ipso quidem Augustino excepto, qui eam in suis Ecclesiis legi prohibuit. Sed post Hieronimi obitum id paulatim consecuta est, quod ipso vivente obtinere non poterat. Procedente verò tempore sola etiam authoritatem in usu obtinuit. Ex quo enim Gregorius magnus eam in libris Moralium veteri prætulit, ab aliis etiam sensim sine sensu prælata est, donec tandem sola recepta est veteri penitùs neglectâ. Sed cum ita successivè nacta sit authoritatem, ut aliquandiù sancti Patres partim novam partim veterem usurparint; hinc factum est ut etiam cum primas tenere & sola in usu esse cæpit, quædam etiam ex veteri quæ penitùs abjici non potuerant, immixta habere cæperit, quæ deindè cum in eâ relicta & retenta sint, ad nos usque pervenerunt. Porrò ex multis capitibus hæc veteris versioris in nonnullis locis permixtio deprehenditur. Primò enim pluribus in locis quibus 70. Interpretes ab Hebræo dissentiunt, Vulgata nihilominùs cum illis convenit, ut Gen. 4. ℣. 8. 8. ℣. 7. 14. ℣. 5. &c. Secundò nonnullis in locis D. Hieronimus in suis commentariis aliter vertendum docet, quàm in Vulgatâ habeatur, ut Gen. 3. ℣. 15. 4. ℣. 8. &c. Tertiò nonnullis etiam in locis vulgata versio quædam addit quæ in Hebræo non habentur, alibi verò nonnulla omittit quæ tamen habentur in Hebræo. Hinc est quod Villalpandus & Pradus asserunt centum in locis aliter vertisse D. Hieronimum quàm in Vulgatâ habeatur. Verùm paulò audacior est ista assertatio: nec enim ea quæ modo retulimus ita presè sunt accipienda, ut quoties aliquid diversum ab Hebræo, aut Hieronimi Commentariis in Vulgatâ reperitur, statim aliter ab ipso Hieronimo conversum judicetur. Licet enim Hieronimi versio in plerisque Hebraicam litteram expresserit; nonnullis tamen in locis 70. Interpretibus suam versionem attemperavit. quo magis facilem aditum apud fideles ipsi consiliaret. Deindè rigorem grammaticalem vocum Hebraicarum non ita premendum in versione judicavit, ac in commentariis suis aut traditionibus Hebraicis pressit. Denique fieri etiam potest ut alicubi

D. Hieronimus aliter quidem verterit, postea verò in commentariis aliam versionem prætulerit, ut eum fecisse cernimus ad Esaiæ. 17. Ubicumque ergo Vulgata ab Hebræo aut Hieronimo differt, priùs juxtà Criticæ regulas ejus versio discutienda, & cum Hieronimo conferenda est, quàm ab ejus translatione aliena judicetur.

Cæterùm quæ hucusque de authore vulgatæ versionis diximus à nemine possunt in dubium revocari, ex quo doctissimus Joannes Martianæus Congregationis S. Mauri monachus ipsam D. Hieronimi puram versionem edidit ex vetustissimis codicibus M. SS. sub titulo *Divinæ Bibliothecæ* seu *Canonis Hebraicæ veritatis*. Tanta enim est inter illam & nostram Vulgatam convenientia, ut iis libris quos notavimus & paucis locis exceptis, versionem D. Hieronimi Vulgata nostra de verbo ad verbum exprimat. Undè sic habet idem Martianæus proleg. 2. in tom. 1. operum D. Hieronimi: *Quanquam in vulgatâ sacrorum Bibliorum editione aliquot integri libri retenti sint ex antiquâ illâ versione quæ usu obtinebat ante Ieronimum, maxima tamen pars veteris Testamenti pura puta est interpretatio quam è fontibus Hebræis nobis edidit eximius ille Doctor*. Et infrà: *adverte diligenter canonem Hebraicæ veritatis, uno psalterio excepto, totum reperiri in vulgatâ latinâ, cum duobus insuper Tobiæ & Iudith voluminibus de Chaldaico in Latinum conversis ab eodem Ecclesiæ Catholicæ Interprete maximo. Prætereà habes in libro psalmorum posteriorem emendationem Ieronimi quam ipse edidit cum signis astericorum & obelorum .... Reliqui omnes libri instrumenti veteris retenti sunt ex illâ antiquâ vulgatâ quæ communis vel Italica dicta perhibetur. Hi sunt liber Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, ac libri Machabæorum primus & secundus. Nonnullas etiam deprehendimus sententias ac versus integros è veteri illâ editione in libros præcipuè Regum, inque Proverbia Salomonis derivatos.* Hæc ille Jeronimianæ versionis restitutor. Ex quibus ea quæ de authore vulgatæ versionis diximus mirificè confirmantur.

Jam verò ut ad alteram quæstionem veniamus, graves dudum sunt circà vulgatæ versionis authoritatem Protestantium

ac reformatorum cum Catholicis altercationes, nonnullæ etiam Catholicorum inter se dissentiones. Imprimis heterodoxi, ex quo Tridentini Patres Vulgatam authenticam declararunt, conviciis suis tùm Vulgatam, tùm Ecclesiam ipsam lacessere non desinunt, hanc tyrannidis, istam corruptionis accusantes. Sed quàm iniqui sint in Vulgatam dum eam corruptionis insimulant, & quasi pessimam versionem exagitant, norunt & agnoscunt quotquot hodiè apud ipsos cordati reperiuntur; hanc enim versionem maximi faciunt, & optimam esse fatentur. Quàm verò in Ecclesiam Catholicam sint injuriosi & maledici ex ipsismet etiam colligere & arguere promptum est. Cum enim probè noverint, (quod etiam nonnulli eorum referunt) plerosque Doctores Catholicos viros gravissimos & doctissimos, ex quibus etiam aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, docere non aliam fuisse Concilii mentem, cum vulgatam versionem authenticam declaravit, quàm eam in his quæ fidem & bonos mores spectant, incorruptam declarare; eamque inter omnes quæ tunc circumferebantur, tanquam erroris suspicioni minùs obnoxiam propter ejus antiquitatem, ad publicum Ecclesiæ usum eligere ac determinare: nullatenùs vero eam immunem ab omni nævo seu errato vel amanuensium vel interpretis definire: non possunt absque gravi calumniâ Ecclesiam Catholicam hâc in re Tyrannidis accusare; cum ne ipsi quidem ejus decretum eo modo quo à Catholicis exponitur intellectum, rejicere, aut ejus æquitatem inficiari audeant. Quid enim, ut ipsos adversarios hâc in causâ judices appellem, magis æquum erat vel rationi consentaneum fieri poterat, quàm eò tempore, quò tot novæ versiones ab hominibus plerumque minùs doctis utriusque partis factæ irrepserant, eam ad usum Ecclesiæ seligere, quæ & Hieronimum virum sanctissimum authorem haberet, & ab annis mille à Patribus usitata, tàm benè de Ecclesiâ meruisset: & quod caput est, in suspicionem erroris, aut partium studii, hæreticis venire non posset?

At, inquiunt adversarii, vulgata versio authentica dici à Consilio non debuit. Nulla enim versio quantùmvis perfecta

authentiam ex ſe habere poteſt : ſed ſoli originario textui hæc prærogativa convenit. Verùm ut taceam quaslibet vocum definitiones pro arbitrio proferri poſſe, dummodò explicentur, ut vox authentica quâ utitur Concilium toties à Catholicis expoſita eſt : undè habent hæretici ſolis originariis poſſe authentiam tribui ? Num è contrà in ipſo jure Civili ac foro contentioſo quælibet ἀπόγραφα modo corruptelæ ſeu depravationis immunia ſint, non minùs ac ipſa authographa fidem obtinent ? Quod ſi in præſenti inſtituto authographi neceſſitas ab adverſariis premeretur ; cum certum ſit nulla jam ſupereſſe Prophetarum ſeu Apoſtolorum authographa , ſed ipſos Hebraicos Græcoſque codices tantùm ἀπόγραφα nobis exhibere ; ſequeretur vel ipſis invitis adverſariis nullam eſſe ampliùs in Eccleſiâ Scripturam authenticam. Quod ſi reponant ſaltem neceſſe eſſe ut apographum quod authenticum dicitur, ne in minimò quidem ab authographo diſcordet, quod de vulgatâ verſione aſſeri nequit ; hâc reſponſione etiam Hebraici Græcique textus authentiam jugulabunt. Cum enim in utroque textu diverſas lectiones diverſaque ſphalmata cogantur agnoſcere, neceſſe eſt etiam ut fateantur neutrum in omnibus cum authographo convenire, ſed utrumque in multis diverſum eſſe , ac conſequenter juxtà ſuas rationes authenticam cenſeri non poſſe. Si autem diverſos nævos quibus textus uterque reſperſus eſt , nihil obeſſe putent quominùs pro authentico habeatur ; nullâ ratione vulgatæ verſionis errata majori vitio illi vertere, aut eidem authentiam abjudicare poſſunt.

Verùm , inquiunt, alium prorsùs habet ſenſum definitio Tridentina ; neque Concilium cum Vulgatam declarat authenticam , ſolam errorum in fide immunitatem ei tribuit, ſed eam fontibus ipſis præfert , & ne latum unguem ab eâ diſcedere permittit, ut ſatis declaravit Congregatio Cardinaliũ explicationi Concilii à Pontifice præpoſita ſub Gregorio XIII. quorum declarationem refert Leo Allatius , in quâ expreſsè habetur , *ne unum quidem Iota in Scripturâ admitti poſſe , quod vulgatæ editioni repugnet.* Undè cum ſummi Pontifices prohibuerint ne quis præter iſtos Cardinales, Concilii

Tridentini decreta præſumat exprimere, hujus declarationis potior habenda eſt ratio, quàm privatorum hominum, quibus Concilii mentem ab iſtâ Congregatione diſcere neceſse fuit, exponere verò non licuit. Ita Theologi Batavi in Epiſtolis criticis adverſus Simonium quibus plerique Catholici de Theologorum grege in hâc Conſilii explicatione patrocinantur. Sed facile eſt ab utrorumq; laqueis ſe expedire, ac iſtarum aranearum telas diſrumpere. Si enim hanc eſſe Concilii mentem oſtenderimus, quam ipſi tribuimus, ſtatim omnis difficultas evaneſcet, & plumbea adverſariorum tela retundentur. Atqui iſtud præſtare nobis difficile non erit.

Primò nullus mentem Concilii ac decreti ejus de Vulgatâ, melius noſſe potuit, quàm qui Concilio tunc temporis interfuerunt ejuſque condendo decreto præfuerunt. Teſtatur autem Andreas Vega qui Seſſioni quartæ Concilii in quâ Decretum iſtud editum eſt intererat, ſe pluries à Cardinali Cervino qui eidem Seſſioni ut Legatus Apoſtolicus præerat, quique poſteà ad ſummi Pontificatus apicem evectus eſt, dictum audiviſſe, Concilium nihil aliud per hocce decretum intendiſſe, vel intendere, niſi verſionem vulgatam ab omni prorsùs errore in fide & bonis moribus immunem, ac cæteris latinis verſionibus præponendam declarare. Ne quis autem id Vegam Cervino mendaciter putet affingere voluiſſe, notandum id Vegam ſcripſiſſe & publici juris feciſſe cum adhuc Cervinus viveret, à quo, ſi falſa narraſſet, de mendacio argui & puniri potuiſſet.

Secundò, idem de Concilii mente teſtatum faciunt qui poſteà eidem Conſilio adfuerunt Melchior Canus, Salmeron, Laines, Andradius, & alii, quique diù cum his qui decretum iſtud ediderant converſati ſunt, & ſenſum Concilii proculdubio didicerunt.

Tertiò, idem quoque de Concilio teſtatur & probat Cardinalis Pallavicinus in ejuſdem Concilii hiſtoriâ, ubi poſt multa quæ ad id demonſtrandum refert, profert etiam hanc in rem epiſtolas Farneſii & Maphæi ad Legatos, & Legatorum ad Farneſium mutuò datas, ex quibus conſtat tùm Romæ tum in Concilio ab omnibus agnitum & pro

certo

certo habitum fuiſſe vulgatam verſionem plurimis mendis ſcatere, non ſolum quæ ex amanuenſium vel typographorum culpa; ſed etiam ex Interpretis errore procederent; ob eamque cauſam optaſſe Romanos ut aliquid de erratorum emendatione decerneretur; quod ſufficienter factum reſponderunt Legati, cum de accuratiſſimâ editione Vulgatæ procurandâ in ſuo decreto ſtatuerunt.

Ad id verò quod proferunt de Cardinalium declaratione, certum eſt illam nullam unquam authoritatem habuiſſe, neque legem unquam feciſſe. Quod cum jam ſatis pateat ex ſuprà dictis, etiam indè confirmatur, quòd à tempore Gregorii XIII. multi graves Theologi ac viri doctiſſimi qui eandem quam profitemur ſententiam tenuerunt, eodemque modo Conſilii mentem expoſuerunt, nullam tamen ejus declarationis, quamvis ipſis non incognitæ, rationem habuerunt. Etſi autem ea mens fuiſſet hujus Congregationis Cardinalium, quam illi tribuunt adverſarii, nullus tamen eſſet, qui his non crederet libentiùs qui Concilio interfuerunt, & Tridentini decreti expoſitionem ab ipſo Concilio acceperunt, quàm his Cardinalibus, qui cum diù poſt iſtud decretum vixerint, Concilii mentem non ita perſpectam habuerunt. Sed nobis neceſſe non eſt laudatos authores huic declarationi opponere: ſiquidem ex ipſiusmet Congregationis judicio nullam meretur authoritatem. Declararunt enim Cardinales diù poſt iſtam declarationem inter priores declarationes eas ſolas authoritatem habere, quæ à poſterioribus confirmatæ eſſent: quod cum circà eam quæ objicitur factum non ſit, ſequitur ex poſteriori Congregationis decreto nullam ei ineſſe authoritatem. Imò quod hîc obiter notatum velim, pleræque iſtarum declarationum in tantùm Romæ viluerunt, ut nonnullæ etiam in librorum prohibitorum indicem relatæ ſint.

Itaque remotâ Hæreticorum calumniâ, qui eo ſenſu Vulgatæ authentiam definitam volunt, ut ſola pro verâ Scripturâ divinitus inſpiratâ poſſet haberi, originarii verò textus tanquàm Scripturæ ſpuriæ rejicerentur. Difficultas eſt inter Doctores Catholicos circà authoritatem quæ ex Concilii

Tridentini mente vulgatæ versioni tribuenda est : plures enim Theologi eam sententiam amplectentes quam universæ Ecclesiæ tribuunt heterodoxi , & ex quâ occasionem arripiunt eandem de tyrannide accusandi, docent summam authoritatem vulgatæ versioni à Concilio attributam esse ; nec solum fontibus adæquatam , sed ita prælatam esse ut non jam versio ex fontibus , sed ex versione fontes corrigendi sint. Ex quo Concilii decreto volunt Vulgatam versionem maximè à tempore correctionis per Clementem VIII. factæ , quandam infallibilitatem & ἀναμαρτησίαν consecutam esse : ita ut vel minimum nævum in eâ notare aut leve mendum reprehendere crimen sit. Hanc sententiam præter vulgus Theologorum tenent etiam nonnulli dogmatici, qui aliquod nomen inter eruditos consecuti sunt , ut Pineda , Ludovicus Tena , Melchior Canus , Joannes Morinus & alii. Imò nonnulli ut suum scopum assequantur, docent D. Jeronimum peculiari Spiritus Sancti afflatu versionem illam condidisse , eodemque Spiritu dirigente & movente ejus opus ab omni errore exemptum fuisse , nec usquam à textûs originarii obscuritate , omonymiâ , ambiguitate , transpositione , quæcumque illæ fuerint , neque ullis mendis quæ textum Hebraicum eo tempore quo illum versit , invaserant , aut latinum insederant cum novi Testamenti translationem antiquam, comparato ei textu Græco reformavit , ita decipi potuisse , ut errorem aliquem vertendo commiserit. Verba sunt Morini Exercit. Biblic. l. 1. exerc. 6. c. 12. ubi pro eâdem sententiâ citat Salmeronem & Tithelmannum quibus adjungere potuisset etiam Gretserum. Vide Serrarium in Prolegomenis Biblicis cap. 19. quæst. 8.

At verò plurimi alii Theologi prioribus nec merito impares , nec eruditione inferiores , quorum sententiam ferè jam sequuntur quotquot inter dogmaticos alicujus doctrinæ laude præfulgent, contendunt non aliam fuisse Concilii mentem cum Vulgatam authenticam esse declaravit, quàm eam ab omni errore in fide & bonis moribus immunem asserere, ut suprà à nobis ostensum est : nullatenùs autem voluisse

Concilium aut Vulgatam fontibus adæquare, nedum præferre; aut eam ab omni errore librariorum aut Interpretis & nævo immunem asserere. Hanc sententiam præter Andream Vegam l. 15. c. 9. Andradium l. 4. defens. Concil. Trid. Pallavicinum & alios suprà laudatos, amplectuntur etiam Sixtus Senensis, Joannes Mariana, Serrarius, Bronfrerius, Adamus Condzen, Simonius, Cabassutius, Natalis Alexander, & plures alii.

Multis autem ac firmissimis rationibus sententiam adversariorum evertunt. Primò quia ex illâ sequeretur neque Græcam Ecclesiam, neque ullam ex Christianorum orientalium societatibus Scripturam sacram habere; cum nulla ex illis Vulgatâ utatur; licet multi inter Orientales Romanam Ecclesiam agnoscant.

Secundò, quia dubium non est quin versio τῶν ὁ primis Ecclesiæ sæculis authentica habita sit, cum plerique veterum eam à Spiritu Sancto dictatam, & miraculis authoritatem adeptam esse crediderint. At non ideò eam unquam aut ab omni nævo immunem, aut fontibus præferendam duxerunt; imò contrariùm omninò expresſè docuerunt, ut suo loco à nobis ostensum est.

Tertiò quia certum est vulgatam versionem, quando decretum Tridentinum editum est, multis nævis respersam fuisse, ut ex subsecutis emendationibus Sixti V. & Clementis VIII. manifestum est. Non poterat ergo Concilium cùm decretum suum edidit, eam in sensu adversariorum authenticam declarare. Quàm absurdum est autem dicere quod respondent adversarii, eam declarationem Concilii pro tempore correctionem subsequuto esse intelligendam! Quid enim magis incongruum excogitari potest, quàm Concilium declarasse ne levissimum quidem nævum Vulgatæ superfuturum post correctionem, quasi de correctorum infallibilitate certum fuisset? aut dicere Vulgatam declaratam esse authenticam pro eo statu quem post quadraginta annos habitura erat?

Quartò. Sententiam adversariorum planè evertunt tùm ipsi qui Vulgatæ emendationi præfuerunt, tùm qui Bibliis

Clementis VIII. præfationem apposuerunt; cùm ingenuè fateantur Vulgatam non ita expurgatam fuisse, ut nullus omninò nævus superesset: sed è contrà nonnulla loca certis de causis à se fuisse relicta quæ correctione adhuc egere videbantur. Sic enim habet Bellarminus, unus ex Correctoribus, in Epistolâ ad Lucam Burgensem qui suas in Vulgatam observationes ad eum miserat, quibus multa adhuc inemendata remansisse ostendebat, quæ tamen correctoriâ manu videbantur indigere. *Scias, velim*, inquit, *Vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata; multa enim de industriâ justis de causis pertransivimus quæ correctione indigere videbrntur. Variæ lectiones quæ in Bibliis Lovaniensibus habentur, & in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omninò addendæ.* Authores verò Epistolæ Bibliis Clementis VIII. præfixæ ita habent: *& verò quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus M. SS. Hebrais Græcisque fontibus, & ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum sit: in hac tamen pervulgata lectione sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt: tùm quod* &c.

Ex quibus clarum est eos à vero Concilii sensu exorbitare qui putant ejus authoritati eum contrarium fore, qui vel levissimum errorem, seu nævum in Vulgatâ annotaret. Siquidem tàm qui ejus emendationi quàm qui editioni præfuerunt contrarium apertè profitentur. Jam vero quod multi adversariorum asserunt, Jeronimum, cum suam versionem faceret, fuisse θεόπνευστον & infallibilem, tàm ridiculum est asserere quàm quod magis. Sufficiet autem ad istud delirium confutandum Jeronimum ipsum contrarium omninò profiteri; & se quandoque malè transtulisse ingenuè fateri. Hæc sunt ejus verba in Esai. 4. *Melius reor*, inquit, *proprium errorem reprehendere, quam dum erubesco imperitiam confiteri in errore persistere in eo quod transtuli.*

Cæterùm quod hîc Morinum inter eos retulimus, qui in Vulgatâ nullum omninò nævum agnoscunt, summamque illi tribuunt authoritatem, nonnullis fortasse difficultatem faciet.

Idem enim Morinus contrarium tàm certum ſtatuit, ut non vereatur aſſerere, quòd ſi omnes qui nævos in Vulgatâ agoſcunt damnandi eſſent, vix ullus damnationem vitare poſſet Catholicus, cum vix ullus ſit qui id alicubi non agnoſcat. Sed ſciendum eſt iſtam Morini aſſertionem non impedire quominus ſummam in omnibus authoritatem Vulgatæ tribuendam, eamque ab omni errore immunem putet. Singulari enim opinione utrumque in ſuis diſſertationibus conciliare conatur, dum variantes Vulgatæ lectiones & ab Hebraico vel Græco textu diverſitates duplicis authenticitatis diſtinctione canonicas facit. Docet igitur Morinus aliud in Scripturis authenticum eſſe ex naturâ ſuâ, aliud verò per accidens. Ex naturâ ſuâ authenticum eſt quod eodem modo in Scripturis habetur, quo à Spiritu Sancto primitus inſpiratum eſt ſacris Scriptoribus. Per accidens verò authenticum eſt, quod licet à Spiritu Sancto inſpiratum non ſit, ex Eccleſiæ judicio authoritatem adeptum & pro Canonico habitum eſt. *Quemadmodùm enim*, inquit Morinus, *nonnulla quæ ex Prophanis Authoribus in Scripturis habentur, priùs quàm ab Authoribus Sacris laudarentur, humanam tantùm habebant authoritatem. Poſteà verò quàm ab Apoſtolis citata fuerunt, divinam conſecuta ſunt: ſic diverſæ lectiones quæ vel ex librariorum errore, vel ex Interpretum vitio in Scripturam irrepſerunt, ex ſe humanam tantùm habent authoritatem. Sed ex quo verſio vel textus in quo habentur, pro authentico ab Eccleſia receptus eſt, divinam infallibilem, & Canonicam conſequuntur.* Et hæc quidem eſt Joan. Morini ſententia, quæ tantum aberrat à verâ Theologiâ, ut quomodo viro doctiſſimo in mentem venire potuerit, ſatis mirari nequeam. Sed hæc de Vulgatâ dicta ſufficiant.



DISSERTATIO UNDECIMA.

DE

Canone Scripturarum.

PER Canonem Scripturarum nihil aliud hic intelligimus præter Catalogum librorum quos Sacris Scriptoribus divinitùs inspiratos credit Ecclesia. De quo quidem cum præsenti dissertatione agere instituerimus; ut quæ de eo dicemus clariora sint, primum de Canone veteris Testamenti agemus, posteà verò novi disputationem adjungemus.

Quod spectat ad primum Hebræi trifariàm partiuntur veteris Testamenti libros, nimirùm in Legem, Prophetas, & Hagyographa. Nomine Legis quinque Moysis libros complectuntur: inter Prophetas verò censent, primò librum Josue, deinde Judicum, cui Ruth quoque ob temporis affinitatem adjungunt. Posteà verò libros Samuelis & posteriores Regum, ac deinceps alios qui in nostris Bibliis Prophetarum nominibus inscribuntur, uno Daniele, quem Hagyographis accensent, excepto. Denique inter Hagyographa computant libros Job, & Psalmorum, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Danielem, Verba dierùm, seu libros Paralipomenon & Esdram. Ex quibus patet eos non nisi viginti duos pro Canonicis agnoscere; ac proindè libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici & Machabæorum extrà canonem reponere.

Difficultas est circà libros Esther & Baruch, utrum in Canone Judæorum fuerint, an extrà Canonem rejecti. Nonnulli enim qui Canonem Judæorum sequuti fuisse videntur, libros illos inter Canonicos referunt: alii verò qui eundem Canonem sequuti sunt, eos rejiciunt. Liber Esther inter Canonicos recensetur ab Origene, Concilio Laodiceno, Jeronimo, Epiphanio, Hilario & Cyrillo Alexandrino.

Rejicitur verò à Josepho, Melitone, Athanasio, authore Synopsis inter ejusdem sancti opera, Gregorio Nazianzeno, Leontio, authore libri de cœlesti Hierarchiâ, Nicephoro, & aliis. Liber autem Baruch recipitur in Canone Laodiceno. Item à Cyrillo Jerosolimitano, Athanasio, & authore Synopsis, qui omnes Jeremiæ illum adjungunt. At Origenes, Melito, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius de illo non meminerunt. D. autem Hieronimus illum expressè rejicit. Sed quidquid sit de Canone Judæorum, certum est istos libros in Scripturis computandos esse, & pro Canonicis recipiendos. Præterquàm enim recepti sunt in Conciliis Carthaginensi tertio, & Romano sub Gelasio Papâ, Estheris actio laudatur à Clemente Romano, & Clemente Alexandrino; Baruch verò ut Scriptura divina laudatur ab eodem Clemente, Cypriano, Basilio, Ambrosio, Augustino, Chrisostomo &c.

Judæorum Catalogo freti Lutherani & Calvinistæ quinque libros superiùs memoratos, nimirùm, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum ex suo Canone expungunt, eosque ad Apocrypha rejiciunt. Sed in istâ sententiâ tuendâ malè affectum in Ecclesiam animum magis demonstrant, quàm suæ Theologiæ principiis insistant: neque hâc in parte judæos tantum imitari, quantum Ecclesiæ contradicere, student. Enimverò cum juxtà eorum principia sacrorum codicum divinitas non ex traditione Ecclesiæ, sed ex diversis sanctitatis characteribus quibus divinos se produnt, agnoscatur: non aliam possunt afferre causam cur quinque prædictos libros repudient, nisi quod vel talibus divinitatis notis destituti sint, vel aliquid veritati pietativè contrarium contineant. At certè neutrum istorum de illis sine summâ injuriâ dici potest.

Primò enim si de prædictis libris deposito præjudicio loquantur adversarii, facilè concedent eos in omnibus pietatem spirare & inspirare, nec minoribus divinitatis characteribus & notis præfulgere, quàm cæteros Scripturæ libros. Imò negare non possunt quin (supposità traditione quam non agnoscunt) liber Ecclesiastici longè magis afflatum

divinum ſapiat, quàm liber Cantici Canticorum.

Secundò, neque etiam his libris vitio verti poteſt quod aliquid veritati vel pietati contrarium contineant; niſi fortè Heterodoxi manifeſta principii petitione quidquid ab eorum erroribus alienum eſt, aut fidei Catholicæ doctrinam confirmat, id pietati ac veritati contrarium eſſe pronuncient. Nam etſi aliqua in hiſce libris occurrant quæ primâ fronte cum aliis Bibliorum libris, vel etiam cum prophanis hiſtoriis vix conciliari poſſe videantur: nihilominùs ſi conſiderentur attentiùs, & diſcutiantur accuratiùs, difficultates omnes evaneſcent, & quæ videbantur inter ſe pugnare facilè conciliabuntur, ut ſuo loco oſtendemus. Interim hîc annotaſſe ſufficiet, nonnullos adverſariorum hanc veritatem in libris Machabæorum, qui potiſſimùm difficultatem in hiſtoriâ faciunt, jam agnoviſſe, & libris ex profeſſò hâc de re editis demonſtraſſe.

Quod ſi objiciant adverſarii nullam nobis ineſſe notam quâ hos libros ut divinitùs inſpiratos agnoſcamus, nullamque rationem quâ id aſſerere poſſimus, cum nec de eorum θεοπνευσία revelationem habeamus; nec eam ex traditione acceperimus: ſiquidem Hebræi à quibus cæteros veteris Teſtamenti libros accepimus, horum authoritatem non agnoſcunt, ut paſſim docet Divus Hieronimus, & ut videre eſt apud Joſephum libro primo contrà Appionem, ubi docet eos libros qui à temporibus Artaxercis Regis Perſarum conſcripti ſunt, quales ſunt ii de quibus nunc agimus, non habere divinam authoritatem ob interruptam ſeriem Prophetarum qui uſque ad Artaxercis tempora ſibi ſemper ſucceſſerunt.

Reſpondeo, non ex novâ revelatione nobis factâ, ut cum ſuo privato ſpiritu paſſim factitant Heterodoxi; ſed ex veteri Eccleſiæ traditione his libris divinam authoritatem nos tribuere. Etſi enim primis Eccleſiæ ſæculis de eorum authoritate dubitatum ſit, præſertim ab iis Patribus qui eos in Hebræorum Canone minimè reperiri didicerant: nihilominùs proceſſu temporis eorum authoritas ab universâ Eccleſiâ agnita & recepta eſt. Nam & à Concilio Carthaginenſi tertio quod poſteà in Græcorum nomocanonem inſertum eſt,

est, & à Romano septuaginta Episcoporum sub Gelasio, & ab Innocentio 1°. in epistola ad Exuperium, inter libros Canonicos qui divinam in Ecclesiâ nacti sunt authoritatem, recensentur: & horum quidem Conciliorum definitioni non solùm Ecclesia Latina acquievit; sed etiam Græca hanc postmodùm recepit, siquidem certum est libros de quibus agimus ab Ecclesiâ Græcâ recipiunt θεοπνεύστους ut constat ex Græcorum testimoniis, quæ in fine operis de perpetuitate fidei circà Eucharistiam leguntur.

Nec quemquam movere debet, quod Hebræi libros istos, inter Canonicos minimè computarint. Primò enim notum est etiam ipsis adversariis, quòd in novo fœdere plures libri aut librorum partes non nisi post tria, quatuorve sæcula pro Canonicis habiti & ab omnibus agniti sint, cum tamen hodiè, fatentibus Heterodoxis, non minorem habere debeant authoritatem, quàm illi de quibus à nemine dubitatum est usquam. Undè etsi libri de quibus est difficultas ab Hebræis needùm agniti essent, cum Christiana Religio vigere cæpit, sufficit tamen ad authoritatem eis conciliandam, quòd tamen Ecclesia rebus meliùs perspectis eos receperit, & pro Canonicis haberi voluerit. Secundò, verum quidem est Judæos in suo codice prædictos libros non recensuisse; quia nimirùm eos solos agnoscebant qui linguâ Hebraicâ vel saltèm Chaldaicâ scripti fuerant. Sed eos nihilominùs alii Judæi qui Græcâ versione utebantur, quique Græciam & plerasque minoris Asiæ Provincias incolebant, ab initio receperant, eorumque authoritatem agnoscebant; cum enim ab his libros istos Ecclesia nascens acceperit, patet eos in sacris illorum codicibus inter alios libros θεοπνεύστους suum habuisse locum. Unde etsi à tempore quo Patribus Canon Hebræorum innotuit, nonnulli opinionibus eorum adhæserunt; ab initio tamen nascentis Ecclesiæ, nullus eos de quibus agimus libros, Apocryphis accensuit; cum è contrà plures eosdem libros tanquam θεοπνεύστους indiscriminatim cum aliis laudarint.

Primò, enim liber Tobiæ, præter authoritates Conciliorum superiùs adductas, citatur ab Irenæo, Cypriano, Hylario,

Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, & cæteris; & inter Canonicos Scripturæ libros à Spiritu Sancto compositos numeratur.

Secundò, idem præstant de libro Judith Augustinus, Hieronimus, & cæteri: actionem verò Judith laudibus suis prosequuti sunt Authores antiquissimi, nimirùm Clemens Romanus, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus.

Tertiò, libri Sapientiæ & Ecclesiastici pluribus in locis citantur ut Canonici à Divo Cypriano, Ambrosio, & Augustino. Eorum etiam testimonio utuntur Clemens Romanus, Divus Barnabas, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & cæteri.

Quartò, idem præstant de duobus Machabæorum libris Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronimus & Augustinus libro de curâ pro mortuis, & libro 18. de civitate Dei, ubi disertè asserit eos ab Ecclesiâ pro Canonicis haberi, quamvis Hebræi eos non recipiant ut Canonicos; licet minùs affirmativè, magisque hæsitanter loquatur libro contrà Gaudentium ubi agit de actione Rasiæ, qui se ipsum interfecisse refertur libro 2°. Machabæorum capite 2°. His adde Concilia Carthaginense tertium, & Romanum sub Gelasio; nec non & Innocentii primi decretum; licet in Consilio Romano unius tantùm libri fiat mentio. Porrò mirari subit quomodo Gregorius magnus, post tot ac tantas pro his libris authoritates, dubitanter nihilominùs de illis loquatur, imò disertè pronunciet non esse Canonicos, sed ad ædificationem Ecclesiæ promulgatos. Si quæ tamen fuerit adhuc circà libros supradictos dubitatio, processu temporis ablata est, eorum authoritate ubique receptâ. Hanc autem suis decretis confirmarunt Eugenius IV. in instructione ad Armenos, & Concilium Tridentinum sessione 4ª.

Ad id tandem quod ex Josepho nobis objicitur, à tempore Artaxercis Prophetarum successionem interruptam esse, respondeo 1°. tempus à Josepho assignatum non posse sumi in rigore, cum certum sit nonnullos eorum qui ab omnibus inter Prophetas & Authores θεοπνεύστων numerantur, Artaxerci Regi supervixisse. 2°. Quod si paulò post tempora

Regis Artaxercis defecit ea successio Prophetarum qui futura prædicebant, & Messiam venturum prænunciabant; non tamen defecerunt viri sancti & à Deo inspirati, qui ea quæ populo ejus insigniora eveniebant, aut quæ ipse iis occultè suggerebat, ad informandos hominum mores conscriberent. Neque enim omnes qui libros sacros conscripserunt, Prophetæ fuerunt, cum nec Josue, nec Esdras, nec Salomon qui plures libros conscripserunt, inter Prophetas à Judæis numerentur, aut eorum successioni accenseantur.

Præter istos libros, qui ab Heterodoxis integri extrà Canonem rejiciuntur, quædam sunt etiam librorum partes in veteri Testamento quas recipere detrectant, ut sunt historia Beli & Susannæ, nec non Hymnus trium puerorum apud Danielem, & Appendix libri Esther. Sunt & aliæ nonnullæ de quibus Catholici inter se disputant, num sint in Canone computandæ, ut sunt Appendix Græca ad librum Job, tituli Psalmorum, præfatiuncula Threnorum, inscriptio Proverbiorum, & Cantici Canticorum, nec non Ecclesiastici Prologus & Epilogus. Sunt denique alii nonnulli libri, quos unanimi consensu omnes extrà Canonem rejiciunt; ut sunt tertius & quartus Esdræ, tertius & quartus Machabæorum, nec non & oratio Manassis, de quibus omnibus hîc esset agendi locus: sed quia in quæstionibus quas circà singulos Scripturæ libros instituemus aptior se offeret occasio, ideò hîc eorum examini supersedebimus.

Quod spectat ad libros novi Testamenti, cum nulla sit hodiè circà illos difficultas, excepto quod Martinus Lutherus cujus sententiã reprobant omnes reformati, D. Jacobi Epistolam rejicit; sufficit hîc eos de quibus aliquandò dubitatum est, quosque Deuterocanonicos vocant, referre, ut ab aliis de quibus nemo unquam dubitavit, quosque Protocanonicos appellamus, distinguantur. Itaque in hoc numero censendi sunt caput ultimum Marci ab eo loco, *surgens manè Jesus*; historia de sudore Christi & confortatione per Angelum Lucæ 22°.. de muliere adulterâ Joannis 8°. Epistola ad Hebræos; Epistolæ Jacobi & Judæ; secunda Petri, & tertia Joannis; ac denique Apocalypsis; quæ tamen omnia, nec unquam ab

omnibus rejecta ſunt, nec ultrà quartum Eccleſiæ ſæculum ſi fortè paucos authores excipias, apud eos, qui illa non rejiciebant, dubia remanſerunt: affulgente enim Eccleſiæ Spiritu ſancto & Apoſtolicâ traditione diutiùs exploratâ, divinam apud omnes authoritatem obtinuerunt.

Quæritur, undè habeamus librum aliquem Scripturis ſacris computandum & pro verbo Dei infallibili habendum?

Reſpondeo id nos habere ex Eccleſiæ authoritate & traditione, non quòd Eccleſiæ authoritas efficere poſſit, ut liber aliquis, qui non ſit à Spiritu Sancto inſpiratus, Canonicus evadat & Canonicis annumeretur, ut perperàm nobis imponunt Hæretici: ſed quòd Eccleſia lumine traditionis illuſtrata Canonicos ab Apocryphis diſcernat, eoſque quos novit à Deo inſpiratos ab omnibus fidelibus recipiendos decernat. Enimverò vox Eccleſiæ prima eſt quam audiunt fideles & traditionis alveus unica eſt via quâ libros divinitùs inſpiratos dignoſcere & ab aliis diſtinguere poſſumus. Quæ duo ſi tollantur ruit omnis fidei certitudo, & Scriptura divina Gentilium & Athæorum ludibrio exponetur. Nam quod ad vocem Eccleſiæ attinet, antequàm Fidelis de Scripturâ quidquam audierit, jam credit in Eccleſiam, ejuſque authoritatem cum omni ſubjectione reveretur. Ipſas verò Scripturas ab alio non recipit, nec ab alio Scripturas haberi diſcit, neque ſimiliter divinas eſſe ab alio accipit, niſi ab Eccleſiâ in quam ſe credere & cujus authoritatem ſe agnoſcere ac recipere jam profeſſus eſt. Eccleſia verò undè id habere poteſt niſi ex traditione? Undè ſcire niſi ab iis qui primi eas acceperunt ab authoribus ſacris, quorum authoritatem & θεοπνευστίαν comprobatam habebant? Scio quidem Hæreticos noſtri temporis docere, aliundè nos non agnoſcere quinam ſint libri divinitùs inſpirati, & ad Scripturam Canonicam pertinentes, quàm ex ſpiritu privato, vel ex quodam nitore gratiæ & pietatis, ac aliis divinitatis characteribus quibus (inquiunt,) Spiritus Sanctus humiliter & ſimplici corde eum quærentibus ſe prodit. Sed iſta Hæreticorum doctrina non ſolùm ſacrorum codicum divinitatem adversùs Athæos probare nequit: ſed inſuper omni errori

& impietati aditum pandit ; quod utrumque facile est demonstrare.

Primò enim quomodo potuerunt adversarii Athæos de Scripturæ divinâ authoritate convincere ? Quomodo notas suas, suosque characteres illis objicient, qui negant se tales notas aut characteres in Scripturis deprehendere ? Quomodo contrà ipsos ex Prophetiis adimplendis argumentabuntur cum Athæi facilè negaturi sint Prophetias ante eventum rerum quas prędicunt esse conscriptas ; nisi contrarium illis ex traditione demonstretur ? Quomodo tandem eximia præcepta & salubria consilia ad informationem morum pertinentia quæ in Scripturis continentur in medium afferri poterunt, cum statim responsuri sint Athæi, nec ista morum præcepta aut pietatis incentiva in omnibus Scripturæ libris reperiri, cum nulla ejusmodi in Cantico Canticorum verbi gratiâ reperiantur ; neque omnes libros in quibus talia reperiuntur, ideò dici posse divinitùs inspiratos ?

Secundò doctrina ista adversariorum ad omnem impietatem viam sternit. Supposito enim quod ex solâ luce quæ in Scripturis fulget earum divinitas agnoscatur ; sequitur primò, nullum qui Scripturam integram non legerit, posse de ejus divinitate certum esse, aut actum fidei elicere. Secundò, cum juxtà adversarios articuli nostræ fidei ex solâ Scripturâ eliciantur & cognoscantur, sequitur nullum Fidelem antequàm eam integram legerit posse saltem circà mysteria sanctissimæ Trinitatis, aut Incarnationis (quæ tamen primaria sunt fidei nostræ fundamenta, ac veluti rudimenta) actum fidei efformare : proindeque mentiri ipsum quoties in recitatione Symboli se ista credere profitetur. Tertiò, talem fidelem in illo statu prudenter dubitare posse, num Evangelium sit fabula : num omnes Prophetiæ humani sint capitis figmenta : num Christus Dominus fuerit impius & pseudopropheta, meritò propter scelera à Judæis crucifixus : num resurrectio mortuorum sit delirium &c. quæ cum necessario sequantur ex doctrinâ adversariorum, ut invictè probat Illustrissimus Bossuetus Meldensis Episcopus in collatione Gallicâ cum Claudio Ministro Calvinistâ ; sunt tamen

ità impia & blaſphema, ut vel ipſis horrorem incutiant, quoties ex eorum principiis evolvuntur, illisque apertè proponuntur.

DISSERTATIO DUODECIMA.

DE DIVERSIS SCRIPTURÆ ſenſibus, ac Regulis ad eam intelligendam obſervandis.

CUM nobis propoſitum ſit in ſequentibus diſſertationibus præcipuas aliquas Scripturæ difficultates juxtà ſeverioris Criticæ leges inveſtigare, eaſque quantùm fieri poterit, aperto & genuino Scripturæ textu elucidare; neceſſe eſt antequàm ulteriùs progrediamur, & ad ſingulos Scripturæ libros deſcendamus ut aliquid de ipſo Scripturæ ſenſu, & de methodo, quæ ad eum intelligendum adhibenda eſt, præmittamus. Primùm itaque definiendum eſt, quid & quotuplex ſit Scripturæ ſenſus; poſteà verò exponendum quænam ſint regulæ quæ ad illius intelligentiam nos conducunt.

Quod ſpectat ad primum: cum apud omnes Chriſtianos conſtet Scripturam ſacram à ſpiritu Dei inſpiratam & editam eſſe; certum eſt etiam nihil aliud eſſe Scripturæ ſenſum, niſi quod verba ejus ex intentione Spiritus Sancti ſignificant. Sed quoniam *Spiritus ubi vult ſpirat, & omnia ſcrutatur etiam profunda Dei*; indè fit ut qui *vocem ejus audit, non ſemper ſciat undè veniat aut quò vadat*, id eſt, quænam ſit ejus intentio, vel quò tendat ejus inſpiratio. Hinc eſt quòd in diverſis Scripturæ ſenſibus deſignandis ac diſtinguendis varii variè ſentiunt, dum alii unicum, alii duplicem, alii etiam multiplicem eſſe Spiritus Sancti ſcopum contendunt. Itaque.

Qui unicum eſſe Scripturæ ſenſum arbitrantur, duas in claſſes inter ſe omninò oppoſitas dividuntur: alii enim ſenſum myſticum prorsùs rejicientes, ſolùm litteralem recipiunt:

alii è contrà litteralem ità negligunt ut solum mysticum pro genuino Scripturæ sensu agnoscant. Porphirius, referente Eusebio, litem movebat olim Christianis, eosque ridebat, quòd in exponendis Religionis nostræ mysteriis sensum Scripturæ spiritualem seu mysticum interdum adhiberent. Idem præstitit Julianus Apostata, qui etiam ipsos Evangelistas traducere ausus est tanquàm seductores, eò quòd aliqua Scripturæ loca in sensu mystico intellecta Christo applicassent. Sic verbi gratiâ, Mathæum accusat, quòd locum Oséc 2. *Ex Ægypto vocavi filium meum* de populo Israëlitico litteraliter dictum, ad Christum transtulerit, ut Gentibus ad fidem conversis isto testimonio illuderet. Hos magistros sequutus Martinus Lutherus, tanto odio exarsit in sensum mysticum, ut eum meretrici conferre non erubuerit: sic enim habet in Genesis caput trigesimum: *Scilicet hæc allegoria tanquàm formosa meretrix est quæ ita blanditur hominibus ut non possit non amari, præsertim ab hominibus ociosis qui sine tentatione sunt.* Ita ille. Cujus sententiam teste Sixtino Amamâ in Antibarbaro sequuntur hâc in parte multi Evangelicorum, pertendentes (inquit Amama) *unius loci & contextus unum tantum esse sensum à Spiritu Sancto intentum, quem litteralem vocant.* His Heterodoxis adjungit Serrarius Alphonsum Tostatum: sed sanè injuriam viro doctissimo, & de sacris litteris benè merito facit Serrarius. Licet enim neget de facto sensum mysticum, quem quisque pro suo arbitrio ex Scripturis eruit, à Spiritu Sancto intentum esse: nihilominùs tantum abest ut cum Heterodoxis dicat ea loca, quæ Apostoli & Evangelistæ in sensu mystico de Christo intelligenda esse docuerunt, ad ipsum duntaxat esse accommodata, nec à Spiritu Sancto intenta; ut è contrà contendat ea ad Christum pertinere sensu litterali; licet in eodem sensu litterali ad alia pertineant. Undè vix ab aliis Catholicis aliter differt Abulensis quàm in modo loquendi. Ab Hæreticis verò plurimùm discrepat; siquidem contendit unius ejusdemque loci sæpè duos esse sensus litterales.

Alteram sententiam Heterodoxis omninò oppositam sequuntur ex veteribus Philo Judæus, libro de vitâ contemplativâ,

ubi θεραπέυται suos plurimùm commendat, quòd spiritualem sensum sublimiùs quàm veteres Judæi inspicerent. Additque eos comparasse sensum litteralem corpori, quasi invento mystico & spirituali sensu esset penitùs abjiciendus. Inter recentiores verò Sebastianus Franschius præfatione ad sua paradoxa, & alii nonnulli de quibus sic loquitur Sixtus Senensis: *Graviter damnandi sunt inepti quidam nostrorum temporum expositores, qui rejectâ prorsùs litterali expositione, tanquàm re levissimi momenti, & Grammaticis potiùs, ut aiunt, quàm Theologis dignâ, in singulis Scripturæ locis coactas quasdam & insulsas allegorias protrahunt, vim inferentes divinæ Scripturæ, & destructa historiæ veritate ridiculas cogitationes venditant, tanquàm magna & arcana Ecclesiæ Sacramenta.* Hactenùs ille.

Itaque Doctores Catholici mediam inter istas sententias viam ineunt, docentque duplicem esse Scripturæ sensum, unum litteralem seu historicum, mysticum alterum seu allegoricum. Per litteralem intelligunt communiter cum Divo Thomâ, eum qui proximè & immediatè ex vocum significatione seu propriâ sive translatitiâ aut metaphoricâ colligitur. Per spiritualem verò seu mysticum, eum qui ex rebus significatis eruitur: ità ut hi duo sensus subordinationem quamdam inter se habeant; cum spiritualis in litterali fundetur, eoque posterior sit. Malè ergò Lyranus docet sensum litteralem Scripturæ eum esse quem voces in propriâ significatione designant, etiamsi à Spiritu Sancto non sit intentus: spiritualem vero eum quem voces impropriè & metaphoricè declarant; ut verbi gratiâ in hâc propositione, *vicit Leo de tribu Juda*, sensus litteralis ille sit quem ista verba strictè sumpta significant: spiritualis vero sensus sit, quod Christus vicerit. Ex quo infert eas propositiones quæ in strictâ verborum significatione falsæ sunt, ut est prædicta, nullum habere sensum litteralem. Malè etiam, aut saltèm impropriè, Abulensis, & Alphonsus à Castro sensum litteralem definiunt, eum quem voces, aut res per voces significatæ designant, modò à Spiritu sancto fuerit intentus.

Porro dari sensum spiritualem seu mysticum in Scripturis

ex

ex locis penè innumeris ejusdem Scripturæ probari potest. Pauca hîc attingimus : Joann. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto , ità exaltari oportet filium hominis &c.* Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus , ità erit filius hominis &c.* Matth. 2°. *ex Ægypto vocavi filium meum.* Joan. 19. *Os non comminuetis ex eo.* ad Galat. 4°. *Abraham duos filios habuit , unum de libera &c. hæc enim sunt duo Testamenta.* 1. Corinth. 10. *Patres nostri sub nube fuerunt & in Moyse baptisati sunt .... omnia enim in figurâ contingebant illis.* 1. Petri 3°. 1. Corinth. 9. versu 9°. *Non alligabis os bovi trituranti.* 2. Corinth. 3.° *usque hodiè cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Rom 10. versu 18. *In omnem terram exivit sonus eorum &c.*

Respondent Eterodoxi ista loca & similia in novo Testamento à Christo & Apostolis usurpari, non quod ex intentione Spiritus Sancti mysticam in veteri Testamento habuerint relationem ad ea quibus in novo applicantur : sed quod per sensum , quem vocant accommodatitium de quo infrà , seu per quamdam accommodationem, rebus novi Testamenti, tribuantur. Sed responsionem istam magis erroribus suis , quàm Scripturæ verbis accommodare studuerunt Eterodoxi: Scriptura enim non solùm ea quæ facta sunt in veteri Testamento eventibus novi accommodavit ; sed eam etiam accommodationem à Spiritu Sancto intentam fuisse expresè affirmavit. Matthei enim 2°. expresè asseritur Christum ex Ægypto rediisse , *ut impleretur quod dictum est per Prophetam.* Joan. 19. facta sunt autem ista *ut Scriptura impleretur : os non comminuetis ex eo.* ad Galat. 4°. *quæ sunt per allegoriam dicta.* 1. Corinth. 10. *omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt ...... bibebant autem de Spiritu consequente eos, petra autē erat Christus.* 1. Corinth. 9. *numquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit ; nam propter nos scripta sunt.* Ex quibus & aliis multis quæ hîc facilè adducere possemus , patet quanta sit pseudo-Evangelicorum temeritas , cum audent asserere, contrà verba Scripturæ manifestissima , nullum sensum mysticum in Scripturis à Spiritu Sancto esse intentum, nec ullum veteris Instrumenti locum aliter in novo fœdere

Christo, Apostolis, aut Fidelibus, quàm per accommodationem fuisse applicatum.

Sed etsi Scriptura tot in locis Spiritus Sancti intentionem tàm disertè non exprimeret, unica Divi Pauli sententia quâ asserit 1. Corinth. 10. præcipua omnia & insigniora, quæ circà Israelitas in veteri Testamento facta sunt, figuras fuisse & umbras, ut idem loquitur Hebr. 10. *futurorum bonorum*, seu eorum quæ in novâ Lege Christianis eventura erant: hæc, inquam, unica sententia sufficit ad evertendum adversariorum errorem. Quis enim ità desipiat, ut dicat, Spiritum Sanctum in figuris exprimendis rerum figurandarum nullam habuisse rationem, & ad illas nullatenùs attendisse? Itaque in rebus clarissimis diutiùs non immorabimur.

Porrò non est hîc silentio prætereundum, triplicem sensum mysticum vulgò à Theologis assignari, Allegoricum scilicet, Tropologicum, & Anagogicum. Allegoricus est ille quo, per ea quæ in veteri Testamento facta sunt, edocemur de iis quæ in novo Testamento sunt credenda; ut verbi gratiâ ad Galat. 4. duobus Abrahæ filiis duo Testamenta designari. Tropologicus ille est quo res gesta sive in veteri sive in novo Testamento ad mores informandos assumitur: ut Matth. 12. Christus Dominus ex pœnitentiâ Ninivitarum duritiam Judæorum arguit. Anagogicus verò est quo res gesta in veteri Lege ad beatitudinem refertur æternam; ut Hebr. 4°. Apostolus illud Psalmi nonagesimi *si introibunt in requiem meam* de terrâ promissionis dictum, refert ad requiem beatitudinis. Denique nonnulli addunt etiam Catagogicum quo res gesta ad pœnas inferni vitandas refertur. Sed de istorum omnium distinctione non est quod multum laboremus. Fatendum enim est veteres Patres istas differentias sensuum mysticorum aut non agnovisse, aut plerùmque neglexisse; siquidem illas omnes sub Allegorico sensu ut plurimùm comprehenderunt.

Quæritur vulgò à Theologis circà sensum litteralem Scripturæ, num unius ejusdemque loci sint quandoque plures sensus litterales? Affirmativam sequitur maxima pars Theologorum post D. Thomam: negativam verò tenent Medina

& Ribera ; quia , inquiunt , alioqui incerta effet Scriptura & æquivocationi obnoxia : nec poſſet quis à ſenſu litterali efficaciter argumentari ; quia quoties aliqua propoſitio duplicem patitur ſenſum , numquam poteſt eſſe præmiſſa demonſtrationis : cum enim non magis pro uno probet quàm pro altero , pro neutro efficaciter & neceſſariò probat. Nobis autem ſub diſtinctione reſpondendum videtur . ſi enim per ſenſum Scripturæ id ſolum intelligamus, quod à Spiritu Sancto primario ejus authore intenditur , probabilior videtur Medinæ & Riberæ , quàm aliorum ſententia , propter allatam rationem. Si autem ſenſum Scripturæ generalius ſumendo , ſub eo comprehendamus etiam intentionem ſcribentis aut proferentis ea quæ in Scripturis proferuntur ; fieri poteſt ut unus idemque locus duplicem ſenſum litteralem ſortiatur , ut certum eſt de Caiphæ effato *expedit ut unus moriatur pro populo* , Joann. 11.

Cæterum præter ſenſus litteralem & myſticum , nonnulli tertium alterius ſpeciei adjungunt , quem vocant communiter accommodatitium , Cajetanus verò tranſſumptivum appellat , quatenus ſcilicet Concionatores quædam Scripturæ teſtimonia ad populum inſtruendum, aut veritatem aliquam fidei illuſtrandam accommodant. Neque verò tantùm Concionatores , ſed etiam Eccleſia ipſa in officio divino quædam ex Scripturâ Sanctis accommodat. Sic verbi gratiâ Eccleſiaſtici 44. de Noë dicitur quod *inventus eſt juſtus , & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio* ; quem locum Eccleſia cuilibet Confeſſori Pontifici accommodat. Verùm hic ſenſus non eſt proprius Scripturæ , neque à Spiritu Sancto ejus authore ullo modo intentus ; ſed ex accidenri & fortuitò eveni : quippè cum alteri rei de quâ Author non cogitavit per ſolam lectoris inventionem adaptatur. Undè etſi valere poſſit ad res fidei illuſtrandas , non poteſt tamen validum pro his confirmandis argumentum ſuppeditare. Et certè cavendum eſt tàm in hoc ſenſu , quàm in myſtico uſurpando , ne dùm Allegoriis & ſenſibus pro arbitrio excogitatis indulgetur , ſenſus litteralis & hiſtoricus negligatur , ut plerique faciunt , qui cum ſenſum litteralem ignorent , confictis

expoſitionibus verba Scripturæ ad ſuum intentum detorquentes, Scripturas depravant potiùs quàm exponunt; quos meritò reprehendunt Sixtus Senenſis, Ribera, Serrarius, & doctiſſimi Theologi, qui Romæ anno 1586. Regulas ediderunt *de ratione ſtudiorum ab omnibus ſocietatis nominis Ieſu obſervandas*; quarum uſus etſi jam diù in deſuetudinem abierit, nihilominùs valdè utiles ſunt & eruditæ. Sic igitur pleroſque ſuæ ſocietatis Concionatores arguunt: *Concionatores etiam ſcholaſticis tantùm imbuti ſtudiis, non rarò in ſuis evaneſcunt cogitationibus, de Scripturis verò quas vix primoribus labris deguſtarunt, aut nihil afferunt in medium, aut parum ad rem, alienis gloſſis & bucatis argutiis Scripturam adulterantes.* Ità illi.

Denique ut nihil de iis omittamus, quæ ad inſtitutam quæſtionem attinent, ſciendum eſt Theologos inter ſe diſputare nùm ex ſenſu myſtico deſumi poſſit efficax argumentum ad res fidei confirmandas: circà quod Medina docet ſenſum myſticum non eſſe minoris roboris ad res Fidei probandas, quàm litteralem. Cæteri verò Theologi communiter contrariam ſententiam amplectuntur poſt Divum Thomam loco citato, probantque ex Dyoniſio in epiſtolâ ad Polycarpum ubi ait: myſticam Theologiam, quam alio nomine ſymbolicam appellat, non eſſe argumentativam. Quod idem docet & Divus Hieronimus agens de iis Doctoribus qui ex parabolâ mulieris abſcondentis fermentum in farinæ ſatis tribus...... Trinitatem deducebant: ſic enim de iis habet: *pius quidem ſenſus, ſed ſciendum eſt quod parabola & dubia ænigmatum intelligentia ad authoritatem dogmatum non proficit.* Nihilominùs facile eſſet utramque ſententiam conciliare, ſi diceremus Medinam & ejus aſſeclas loqui tantùm de ſenſu myſtico cognito & explorato, ut ab Apoſtolis & ſacris Scriptoribus, qui eo interdum uſi ſunt, cognoſcebatur; Authores verò ſecundæ ſententiæ loqui tantùm de ſenſu myſtico incognito, juxtà illud Divi Auguſtini: *Quis non imprudentiſſimè nitatur aliquid in allegoriâ poſitum per ſe interpretari, niſi habeat manifeſta teſtimonia, quorum luce manifeſtentur obſcura?*

Quod attinet ad regulas quæ in ſtudio Scripturarum debent obſervari, cum multi veterum Patrum de illis ſcripſerint, eas breviter hic referemus, quæ potiores & magis neceſſariæ nobis videntur. Itaque.

Prima regula hæc ſit : Scriptura eo ſpiritu legenda eſt, quo condita. Undè cum duo ſpiritus ad eam condendam concurrerint ; Spiritus Sanctus tanquàm Author primarius, & ſpiritus Scriptoris qui eam proximè deſcripſit tanquàm ſecundarius. Spiritus Sanctus autem eam cum maximâ ſinceritate abſque ullo fuco & mendacio, atque non alium ob finem quàm ut homines per eam de ſalute ſuâ, & mediis ad eam aſſequendam neceſſariis inſtruerentur, inſpiraverit : ſimiliter omnes Scriptores proximi ſanctitate claruerint, ſaltèm eo tempore, quo illam ſcripſerunt : propterea eodem ſpiritu, nempè cum maximâ animæ puritate & ſinceritate, & ad inſtructionem tàm noſtram quàm aliorum, eſt legenda : ita ut qui ſecus faciunt, vix ac ne vix quidem poſſint ejus ſenſum aſſequi.

Secunda Regula. Ad intelligentiam Scripturæ non eſt negligenda humanarum diſciplinarum ut Grammaticæ, Rethoricæ, Dialecticæ &c. cognitio : ſed præcipuè linguarum peritia magni facienda eſt ; cum eam non tantùm utilem, ſed etiam neceſſariam eſſe conſtet ad Scripturæ ſenſum eruendum.

Tertia Regula. Intelligentia Scripturæ, quantùm fieri poteſt, ex ipsâ Scripturâ petenda eſt ; loca cum locis, vetus Teſtamentum cum novo, obſcura cum manifeſtis conferendo. *Facilius* (inquit Origenes) *in Scripturâ agnoſcitur quod quæritur, ſi ex pluribus locis quæ de eâdem re ſcripta ſunt, exempla proferantur.*

Quarta Regula. A verbis Scripturæ nunquam eſt recedendum niſi evidens ratio cogat nos recedere, & ad ſenſum figuratum recurrere, aliàs tota Scriptura periret, tantùmque variis & importunis allegoriis, quas quiſque pro arbitrio fingeret, conſtaret. Et hæc eſt cauſa cur in quintâ Synodo anathema decies pronuntiatum fuit adversùs Origenem, quòd ſine ratione relicto ſenſu proprio, allegorias ſectatus eſſet.

Quinta Regula quæ ex precedenti sequitur. Tunc à propriâ verborum significatione oportet recedere, & ad impropriam recurrere, quando quod propriè significatur vel falsitatem vel absurditatem, vel indecentiam contrà honestatem morum, vel impossibilitatem involuit: verbi gratiâ, cum dicit Christus: *ego sum vitis vera. Istud*, inquit Augustinus, *non per proprietatem sed per similitudinem* intelligendum est. Et quamvis addat particulam *vera*, vult tantùm se non esse vitem infertilem, qualis ea fuit, quæ *expectata est ut faceret uvas & fecit labruscas.*

Sexta Regula. Cum aliquem Scripturæ locum per alium non possumus exprimere, neque aut per Ecclesiam, traditionem, uniformem Patrum consensum, aut per rationem ejus interpretatio constat; sed è contrà his omnibus consultis restat semper in expositione difficultas, nunquam dicendum est authorem errare; error enim ille in Spiritum Sanctum redundaret sine dubio; quippe qui est primarius & proprius Scripturæ author; alii verò tantùm secundarii & veluti instrumentales. Sed tunc asserendum est (inquit Augustinus) vel mendosum esse codicem, vel errare Interpretem, vel non intelligere.

Septima Regula. Diligenter attendendum est quomodo propositio Scripturæ distinguenda vel pronuntianda sit: distinctio quippe & pronuntiatio quæ sensum fidei aut bonis moribus repugnantem continet, vitanda est; ut cum Arriani ita distinguerent hæc verba: *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat* huic particulæ punctum annotabant subjiciendo *verbum hoc erat in principio apud Deum* quo tuerentur suam blasphemiam contrà divinitatem Christi eludendo argumentum Catholicorum.

Octava Regula. Quæ gesta sunt, ordine præpostero in Scripturis interdum describuntur per anticipationem, quando posteriora priùs recensentur, vel per recapitulationem, quando priora posteriùs commemorantur, quo sensu Matth. 26. narratur Christum post sumptionem sanguinis dixisse: *non bibam amodò de hoc genimine vitis*; à Lucâ verò hæc tanquam priùs dicta referuntur. Huc etiam referri debet quod Scrip-

tura interdùm loquitur de futuro per modum præteriti aut præsentis, ut Isaiæ 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Propterea illâ die sciet populus meus nomen meum, quia ego, qui loquebar, ecce adsum.* Quæ de Christo incarnando intelliguntur. Hoc autem factum est à Prophetis, aut potiùs à Spiritu Sancto. ut certitudo Prophetiæ hoc modo demonstraretur, cujus futurus eventus ita certus est, ac si jam præteriisset, aut actu præsens esset.

Nona Regula. Cum omnes Scriptores sacri seu veteris, seu novi Testamenti, excepto fortassis Beato Lucâ, Hebræi fuerint, varias loquendi formulas Hebræis proprias nobis reliquerunt; quo fit ut ad planiorem Scripturæ intelligentiam necessarium sit Hebraismos, seu Idiotismos hujus linguæ advertere. Hoc patet in nomine fratris, cum enim Christo attribuuntur fratres in Evangelio, hoc fit per Hebraismum, quo nomine fratris consanguineus significatur.

DISSERTATIO DECIMA TERTIA.

De Authore Pentateuchi.

MOYSEM libri Geneseos, & quatuor sequentium, quos ei adjunctos, vulgò Pentateuchi nomine indigitant, authorem esse ut certum & indubitatum, ad hoc usque sæculum tenuerant Authores omnes tàm antiqui quàm recentiores, tàm docti quàm indocti, tàm sacri quàm prophani, tàm Canonici quàm Ecclesiastici, denique tàm Judæi quàm Christiani. Hujus quæstionis facti tot catenùs fuerant testes, quot à Mosis sæculo ad nostrum usque per quater mille & amplius annos vixerunt homines. In hac tandem sententiâ Synagoga & Ecclesia adoleverunt & senuerunt, tantoque animorum consensu eam tenuerunt, ut nullus fuerit in tanto Scriptorum numero, in tàm longo sæculorum decursu, in tantâ opinionum varietate & opinantium diversitate, qui contrà tam apertam veritatem vel mutire

cogitaverit. Sed nostro demùm sæculo, quo nec multorum Philosophia potuit consentire rationi, nec Theologia subdi authoritati, nec Ethica inhærere æquitati, nec Critica insistere veritati; quo certissima quæque Historiæ quà sacræ quà prophanæ capita ab aliquibus in dubium revocata sunt: vixque ipsa fidei nostræ præcipua fundamenta tantam mali labem effugere potuerunt; non defuere etiam Authores tàm ex Catholicis, quàm ex Reformatis, qui venerandum istud antiquitatis monumentum, quo veluti fundamento ac basi Religio nostra fulcitur, Moysi adjudicarunt tanquam ab ejus mente alienum, & ab ejus ætate longè remotum. Hujus sententiæ fuerunt ex Reformatorum sectâ Hobbius, author Præadamitarum, & Spinosa; si tamen huic deistæ fuit aliqua religio. Ex Catholicis verò unus Richardus Simonius Critic. vet. Testam. l. 1. c. 5. & seq.

Ut autem suum paradoxum tueantur Authores isti statuunt nulla nobis hodie superesse divinarum Scripturarum αὐτωγράφα; sed ea, quæ ad nos usque pervenerunt, esse tantùm quædam veterum Scripturarum compendia, tantâ incuriâ scripta, & tantâ caligine obducta, ut nihil plerumque intricacius, nihil obscurius legi possit. Adduntque *multa in eis confusa, inordinata, trunca, & mutila, sæpius repetita, omissa, & extrà proprium locum posita* reperiri. Verba sunt authoris Præadamitarum. In particulari verò de Pentateucho negant illud tale, saltèm quale nunc habemus, à Mose conscriptum esse ob sequentes rationes.

Primò. Quia Deuter. 1°. sic habetur: *hæc sunt verba quæ loquutus est Moyses trans Iordanem.* Quæ verba, inquiunt, manifestè indicant librum hunc conscriptum esse postquàm Judæi jam erant in terrâ promissionis: alioqui si anteà scriptus fuisset, debuisset author dicere, non *trans Iordanem*, seu *cis Iordanem.*

Secundò. Quia in Pentateucho dùm aliquid de Mose commemoratur, id fit semper in tertiâ personâ. Sæpe etiam aliqua in ejus laudem occurrunt, ut cum Numer. 12. appellatur *mitissimus inter homines.* Et Deuter. 34°. dicitur quod *post Moysen nullus Propheta surrexit illi similis.* Quis autem

credit,

credat, inquiunt, Moysen hæc de seipso commemorare voluisse?

Tertiò. Genes. 12°. dicitur : *Chananæus autem tunc erat in terrâ*, quod manifestè indicat librum eo tempore scriptum, quo Chananæus non erat amplius in terrâ; consequenterque multo tempore post mortem Moysis.

Quartò. Genes. 22. dicitur : *appellavitque Abraham nomen illius, Dominus videt.* Quod nomen (inquiunt) huic monti non ante ædificationem templi inditum est.

Quintò. Deuter. 3°. ℣. 10. & 11°. de Og Rege Basan sic habetur : *monstratur lectus ejus ferreus qui est in Rabbath filiorum Ammon novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis.* At si ista (inquiunt) à Moyse scripta fuissent, cui bono veritatem historiæ ex lecti ejus mentione comprobare; cum Israelitæ, quos alloquebatur, ipsum Og non pridem anteà vidissent?

Sextò. Genes. 14. dicitur quod Abraham Reges, quos debellaverat, persecutus sit *usque Dan.* Atqui nomen istud multo tempore post Moysen huic urbi inditum est, ut patet ex Jud. 18. Idem dicendum de Hebron & civitatibus Jaïr Deuter. 3. ℣. 14. ubi hæc verba *usque in præsentem diem*, augent etiam difficultatem.

Septimò. Multa in Pentateucho commemorantur, quæ post mortem Mosis contigerunt, ut cum Exodi 16°. ℣. 35. dicitur : *quod filii Israël comederint manna quo usque pervenissent in terram Chanaan.* Sic etiam Genes. 36. ℣. 31. *Hæc sunt nomina Regum, qui regnaverunt in terrâ Edom priusquàm haberent Regem filii Israël.*

Octavò. In fine Deuteronomii mors & sepultura Moysis referuntur, quæ tamen à Moyse scribi non potuerunt.

Nonò. Libri à Moyse scripti sæpè in Pentateucho commemorantur, ut Exodi 24. liber fœderis. Numer. 21. liber bellorum Domini, & Deuter. 31. ℣. 9. liber legis Dei. Ergo (inquiunt) authores aliqui Moyse posteriores Pentateuchum scripserunt.

Præter hæc argumenta, quæ ex Moysis authoritate deprompta sunt, Richardus Simonius alia etiam superaddit, quibus præcipuè innititur ejus sententia circà Scripturas.

Contendit igitur fuisse semper in republicâ Judæorum quosdã à Senatu deputatos, quos Prophetas nuncupabant, qui rebus gentis suæ conscribendis incumberent, quorum scripta postmodum ab eodem Senatu examinata & approbata publicam merebantur authoritatem. Hos autem Prophetas seu Scriptores historiæ reipublicæ à Senatu dedicatos, sui temporis diaria conscripsisse asserit, quæ posteà ab aliis sequioris ætatis publicis item Scriptoribus in compendium redacta, iterùm Senatûs examini subjiciebantur. Istos autem Scriptores à Synedrio rebus cujusque sæculi conscribendis designatos, divinitùs afflatos fuisse non dubitat Symonius. Cæterùm contendit eos sicut res gestas sui temporis fusiori stylo diariorum more conscribebant; sic priorum historias ac prophetias pro suâ voluntate breviasse ac immutasse. Undè factum putat ut dum sola compendia in manibus omnium essent, fusioribus historiis in archivo reservatis, sola etiam compendia pluribus in locis mutila ac valdè neglecta ad nos usque transmissa sint. Hæc autem compendia iis in libris comprehensa esse non dubitat, quos in unum collectos veteris Testamenti nomine insignimus. Et hæc quidem sunt fundamenta, quibus Neotherica ista sententia innititur.

Verùm facile est has aranearum telas dirumpere, librosque Mosaicos ab istorum Scriptorum temerariâ assertione vindicare.

Primò enim, etsi gratis daremus adversariis, omnia loca Scripturæ quæ proferunt, alium à Mose Scriptorem habuisse; necdum tamen indè inferri posset contrà expressam utriusque fœderis infinitis in locis authoritatem; contrà receptissimam totius orbis traditionem, & indubitatam celeberrimorum Scriptorum fidem, libros istos Moysi abjudicandos esse. Enimverò etsi ea, quæ ab illis proferuntur, vera supponeremus, probarent ad summum aliquam in istis libris à tempore quo vixit Moses, mutationem factam fuisse. Quis autem nesciat libros antiquissimos quà sacros, quà prophanos, de quorum authoribus nemo unquam dubitavit, ejusmodi mutationes passos fuisse, iisque respersos esse. Quis nesciat apud Homerum, Herodotum & alios veteres

authores, præsertim historicos, plurima urbium & locorum nomina immutata, plurima etiam explicationis ergo breviter addita fuisse. Id certè fatetur ipse Simonius in responsione ad objectiones Theologorum Bataviæ. Quidni ergo idem fieri potuisse in libris Mosis facilè quisque perspiciat absque eo quod genuinum illius opus esse desinant, ipsique meritò tribuantur.

Sed quamvis abundè sufficere posset ista responsio, loca tamen ab adversariis prolata, talia non sunt, ut in eâ solâ nobis hærere necesse sit. Cum enim nullus locus ex iis quæ proferunt adversarii ætatem posteriorem, & manum Moysis ævo recentiorem efficaciter arguat, non est cur ad immutationes & additiones postmodum factas recurramus: quod ut manifestum fiat, breviter ad singula loca respondebimus. Itaque.

Ad primum respondeo, Verba Hebraici textus non magis *trans jordanem* quam *cis jordanem* significare, ut probat Franciscus Vatablus, & fatentur Pagninus, Buxtorfius, & quotquot mediocriter linguam Hebraicam callent. Undè si ad litteram vertatur hic locus, dicendum erit non *trans jordanem*, sed *in transitu jordanis*, sive cum Israelitæ Jordanem proximè transituri erant.

Ad secundum. Nihil fecisse Mosen sive cum de se in tertiâ personâ locutus est, sive cum aliqua quæ ipsi in honorem vertebantur, protulit, quod non idem etiam Julius Cæsar in suis commentariis & Josephus in libris de bello Judaico effecerint.

Ad tertium. Dum dicitur quòd *Chananæus tunc erat in terrâ* sensum non esse quòd olim antequàm hic liber scriberetur, Chananæus erat in terrâ, ex quâ jam diù ejectus fuisset, quando conscriptus est, ut inferre conatur objectio: sed quòd eo tempore, quo Abraham cœpit istam regionem incolere, eam Chananæus jam tùm occupabat & possidebat.

Ad quartum. Objectionem gratis omninò supponere montem istum non ante ædificationem templi, appellatum esse montem *in quo Dominus videbit*; cum è contrà clarum sit ex Scripturâ montem istum denominationem suam sortitum

esse à responsione Abrahæ ad filium suum, quando ipso interrogante ubi esset victima holocausti, respondit pater, *Deus providebit sibi victimam fili mi.*

Ad quintum. Potuisse id Moysen dicere: Primò quia licet ipse Moyses Og Regem Basan occidisset, non est tamen probabile omnes Israelitas, qui in tanto numero erant, ipsum Og vidisse. Secundò quia etsi illum omnes vidissent (quod parum verisimile est) poterat nihilominùs Moses ex conservato apud Ammonitas illius gigantis lecto, fidem sibi apud posteros conciliare, ut solent omnes Historici, dum aliquid narrant, quod etsi eo quo scribunt tempore satis notum sit, dubium tamen posteris posset ingerere.

Ad sextum. Primò non fore mirum si nomina aliqua, quæ nonnullis urbibus post obitum Moysis indita sunt, in ejus libris iisdem urbibus tribuerentur, ut suprà dictum est. Secundò nihil hic afferri ab adversariis, quod Moses ipse scribere non potuerit. Nam certum est civitates Jaïr nomen istud sortitas esse ipsius Mosis tempore; neque magis posteriorem ætatem arguere id quod subditur, eas nimirum sic fuisse appellatas *usque in præsentem diem*, quàm dum Petrus Apostolus Actor. 1°. dicit agrum Judæ proditoris vocatum esse *Haceldama usque in præsentem diem*, indè inferri possit id longo tempore post mortem Judæ à Divo Petro dictum esse. Quod verò ad Dan attinet, nomen istud ipso etiam Moyse antiquius est, siquidem Jordanis fluvius à duplici fonte Jor nimirum & Dan suam appellationem habuit, & præter urbem, quæ à tribu Dan sic designata est, erat & alia urbs ejusdem nominis in tribu Juda circà regionem Sodomorum.

Ad septimum. Primò Moysen facile scribere potuisse filios Israël manna comedisse quadraginta annis, siquidem didicerat à Deo totidem eos annis in deserto futuros, priusquàm terram promissionis hæreditarent; ut patet ex Num. 14. Secundò Mosen similiter certò præscivisse futurum ut filii Israël aliquando Regem haberent, ut patet ex Deuter. 17°. sicque nihil obfuisse quominus diceret: *antequàm haberent Regem filii Israël.*

Ad octavum. Omissâ responsione Josephi & Philonis, qui volunt hoc à Mose scriptum fuisse spiritu prophetico, libenter fatemur, ea quæ de morte & sepulturâ Mosis ibi habentur, aut ab Esdrâ, aut quod probabilius est, à Josüe Mosis successore addita fuisse.

Ad nonum. Primò nihil juvaturum adversariorum sententiam, aut librorum Mosis veritatem infirmaturum, etiamsi fateremur aliquos libros Mose antiquiores aut priùs jam ab ipso editos, postmodum in Pentateucho citatos esse. 2°. Probari nullatenus posse ab adversariis Mosen de ullo alio libro, qui in Pentateucho non comprehenderetur, loquutum fuisse. 1°. Enim valdè incertum est, an aliquis fuerit unquam liber bellorum Domini. Præterquàm enim in Hebræo non habetur: *sicut scriptum est*, sed: *sicut scribetur*, aut *dicetur*; siquidem vox Hebraica tàm significat, dicetur, quàm scribetur; & sensus videtur esse, fore ut Israelitæ isto uterentur proverbio cum in sæculis futuris narraturi erant bella Domini; nisi quis malit cum nonnullis aliis id interpretari de aliquo Cantico in quo bella Domini & victoriæ ejus laudabantur. 2°. Locus Exodi 24. non probat Moysen scripsisse alium fœderis librum ab ipso Exodi libro distinctum: sed tantum illum ea quæ in monte à Deo didicerat coràm populo pronuntiasse; ac posteà in ipso Exodi volumine conscripsisse. 3°. Liber Legis de quo mentio fit in Deuteronomio, ab ipso Deuteronomio non distinguitur.

Ex quibus omnibus patet, quam levibus nixi fundamentis, & quantâ temeritate conentur adversarii librorum Mosis authoritatem evertere, & receptam ab omni ævo traditionem in dubium revocare. Sed necesse est ad opinionem istam radicitùs convellendam, ut de publicis Symonii Scriptoribus pauca subjungamus.

Sciendum est igitur ea omnia, quæ de Scriptoribus istis fusè prosequitur Symonius tàm in Criticâ, quàm in ejus defensione, meram hypotesim continere, nullumque in Scripturâ aut veterum scriptis habere firmum fundamentum. Quid enim etsi Prophetæ in Scripturis appellantur, qui plerosque Scripturæ libros ediderunt; an ideò istam

appellationem sortiti sunt, quia conscribendis sui temporis historiis deputati erant? An verò potiùs quia prophetico spiritu pleni futura prædicebant, divinamque voluntatem populo suo manifestabant? Certè hæc posterior appellationis istius ratio ubique Scripturarum manifesta est: sed prior nullibi comparet; nec uspiam ostendere poterit Symonius quemquam in Scripturis Prophetam fuisse nuncupatum, qui spiritu prophetico afflatus non fuerit. Asserere verò cum eodem Symonio illos omnes, qui scribendæ historiæ à Senatu deputabantur, prophetico spiritu statim afflatos fuisse, non solum est petere principium, sed etiam Scripturam Sacram Athæorum & impiorum ludibrio exponere. Quomodo enim probabit Symonius quoslibet de Israelitico populo, statim atque scribendis historiis à Senatu deputati erant, infallibiles evasisse, ac Divino Spiritu fuisse repletos? Aut quomodo persuadebit publicis illis Scriptoribus aliam deberi fidem quam aliis quibuslibet Prophanæ Historiæ publicis item Scriptoribus? Neque ab hâc difficultate expediet se Symonius respondendo Senatum Judæorum à quo tales Scriptores constituebantur, fuisse divinitùs inspiratum. Quidquid enim sit de Senatus istius perpetuâ duratione, & infallibilitate, constat non aliam fuisse istius cætus infallibilitatem, quàm quæ hodie à Catholicis totius Ecclesiæ cætui in Conciliis tribuitur. At auderet-ne asserere Symonius eum omnem Scriptorem qui ab œcumenico Concilio sui temporis historiæ conscribendæ deputaretur, statim ab istâ deputatione infallibilem evasurum, & in exequendo munere fore divinitus inspiratum? Neque magis pro Symonio facit quod talium Scriptorum libri, priusquàm in republicâ consequerentur autoritatem, Senatus judicio & examini subjicerentur. Præterquàm enim tale examen magis adhuc incertum est quàm talium Scriptorum existentia & successio; tantùm abest ut aliquid pro eorum divinâ inspiratione faciat, ut eam potiùs elevet & evertat. Si enim tales Scriptores fuissent à Deo in suis historiis inspirati, non debuissent posteà subjici Senatus examini. Nunquam enim talis inspiratio in Conciliis definitur, nisi cum ab aliquibus in dubium revocatur. At juxtà

Symonium dubitari non poterat de publicorum Scriptorum autoritate, & divinâ inſpiratione. Adde quod talis inſpiratio nonniſi ex traditione & aliis ſignis exterioribus ab Eccleſiâ definiri poteſt. Eccleſia enim ſuam infallibilitatem divinâ inſpiratione non conſequitur, ſed directione, quâ in fidei examine ab omni errore immunis conſervatur. At quo tandem ſigno, Senatus Judæorum de ſuorum hiſtoricorum divinâ inſpiratione & ἀναμαρτησία judicaſſet? Quidquid circà hoc dixerit Symonius ſine ullo erit fundamento.

Quod verò ſubjungit Symonius de privilegio ſuorum Scriptorum, quo nimirum præcedentium Prophetarum libros pro ſuâ voluntate breviabant, & ſola ſua compendia populo legenda præbebant, magis adhuc temerarium eſt & inſulſum. Quis enim ferat authorem Catholicum & virum alioqui eruditum aſſerere cum Præadamitarum patrono nullam nobis ſupereſſe Scripturam niſi breviatam, mutilam, confuſam, intricatam, multisque refertam ſynonimis inutilibus, & hiſtoriis quæ aliter & aliter à diverſis Scriptoribus referuntur? Quis ſibi perſuadeat frequentes earumdem vocum & ſententiarum per alias ſynonimas repetitiones breviati libri argumentum eſſe, & non potiùs ad linguæ genium, ſeu idiotiſmum pertinere; & ſimplicem primi Scriptoris ſtilum, potiuſquàm excogitatum breviatoris ſermonem exhibere? Quis credat omnes Scripturæ libros eſſe mera compendia, quia id de nonnullis Scriptura videtur aſſerere? Quis credat eos à tempore quo facti ſunt & Spiritu Sancto inſpirante conditi, ſæpius tactos & immutatos fuiſſe? Quis demùm credat omnium librorũ Scripturæ compendia ad nos uſque perveniſſe, integra verò & primitiva ſacrorum Scriptorũ volumina non ſolùm periiſſe, ſed etiam omnibus veteribus ſive Chriſtianis ſive Judæis fuiſſe incognita? Hæc & alia multa quæ ſubjungi facile poſſent ſatis demonſtrant, quàm abſurda ſit opinio quâ Symonius ſua compendia nullis niſi arenoſis nixa fundamentis, reluctantibus Patribus, & ipſâ invitâ ratione conatur adſtruere.

Quæri poteſt quo tempore Pentateuchus à Moſe conſcriptus fuerit? Ad quod reſpondeo nonnullos autores, ut Ludovicum Thenam, & Bened. Pererium, docere librum

Genesis à Mose scriptum fuisse ante egressum Israelitarum de Ægypto. Sed probabiliorem esse Eusebii & veterum opinionem asserentium nonnisi post Legis promulgationem, eum fuisse conscriptum. Hoc autem inde patet, quia liber Geneseos nonnullis in locis manifestè alludit ad aliqua Legis præcepta; ut cum Genes. 2°. loquitur Moses de sabbati sanctificatione, & Genes. 7°. ℣. 8°. de animalibus mundis & immundis. Cæteros libros quod attinet, certum est eos post Legem promulgatam scriptos fuisse, immò probabilissimum ex nonnullis phrasibus, verbi gratiâ, *usque in presentem diem*, non nisi post multos annos ab egressu de Ægypto, & paulò ante obitum Mosis esse editos.

DISSERTATIO DECIMA QUARTA.

AN ANTE ADAMUM ALII homines extiterint, & utrum mundus in instanti creatus fuerit.

QUAMVIS paradoxum, quo non ità pridem Author anonymus ex reformatorum sectâ astruere conatus est Adamũ non fuisse primum hominem, sed infinito jam propemodũ tempore ante ipsũ alios extitisse, magis contemptu & risu, quàm confutatione dignum videatur: nihilominùs quia hisce temporibus plures reperiuntur inter ipsos Christianos, qui nullam occasionem prætermittunt Religionem nostram deprimendi, & sacram Scripturam ludibrio exponendi; quique ea omnia quæ adversùs alterutram vel utramque aliquid facere videntur, avidè arripiunt: ne fortè Præadamitarum autoris rationibus abutantur, ejusque cavillationes & deliria pro firmissimis argumentis venditent; non pigebit hîc eas referre, & sacræ Scripturæ malleo conterere. Itaque.

Prima ratio quâ suos Præadamitas adstruere conatur Neotericus

Neotericus Author, quam etiam paſſim urget, tum in diſſertatione, tum in ſyſtemate Theologico, petitur ex Roman. 5°. ubi Apoſtolus loquens de prævaricatione Adami, & de peccato originali ſic habet: *uſque ad Legem enim peccatum erat in mundo, peccatum verò non imputabatur cum non eſſet Lex.* Ex quo loco ſic argumentatur: Lex de quâ hîc loquitur Apoſtolus eſt lex à Deo Adamo impoſita; ſiquidem eſt lex ante quam nulla adhuc fuerat. Nihilominùs tamen agnoſcit Apoſtolus ante illam legem, quam Adamus in creatione accepit, peccatum jam fuiſſe in mundo, quamvis ob carentiam Legis non imputaretur mundo. Ergo agnoſcit Apoſtolus ante creationem Adami jam extitiſſe homines peccatores, proindeque Præadamitas. Sed facilè confutatur iſta ratio; manifeſtè enim petit principium, cum gratis ſupponat Legem de quâ loquitur Apoſtolus, eſſe legem Adamo à Deo impoſitam. Contrarium enim manifeſtum eſt ex ipſo capite quinto à Præadamitâ citato, in quo certum eſt Legis nomine non aliam à Moſaicâ deſignari. Primò quia diſertis verbis Apoſtolus Moyſen nominat, cum dicit mortem regnaſſe ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in iis qui non peccaverunt. Secundò quia per Legem eam intelligit in quâ juxtà ipſum nemo juſtificari potuit. At iſtam Legem non aliam eſſe à Moſaicâ paſſim inculcat Apoſtolus in Epiſtolis ad Romanos, ad Galatas, & ad Hebræos. Tertiò quia ſi ratio Præadamitæ ſubſiſteret, falsò aſſeruiſſet ibidem Apoſtolus mortem & peccatum per Adamum in mundum intraſſe; ſiquidem ante ipſum multi jam extitiſſent qui morti ſubjacuiſſent, ut fatetur ipſe Præadamita.

Quod ſi urgeat locum Apoſtoli in quo ſic habetur, *Peccatum non imputabatur cum non eſſet Lex.* Reſpondeo primo locum iſtum in Græco ſic haberi ἀμαρθία δὲ ὐκ νομίσεται ὐκ ὄντος νομῦ, id eſt peccatum verò non imputatur, (vel potiùs non putatur ſeu non cenſetur) cum nulla eſt Lex. Vide Biblia Plantiniana anni 1580. notas Joannis Benedicti, & pleroſque Interpretes. Secundò iſtud Axioma non afferri ab Apoſtolo per oppoſitionem ad Legem Moyſis aut Adami:

sed in genere per oppositionem ad omnem legem juxtà illud Romanorum quarti : *ubi non est Lex nec prævaricatio.* Ex quo infert Apostolus, quod cum peccatum jam regnarit antequam Lex Mosaica existeret, aliam legem fuisse violatam quâ peccatum originale contraheretur.

Secunda ratio Præadamitæ petitur ex diversâ origine Judæorum atque Gentilium, quæ hinc probatur quod Judæi in Scripturis ubique à Gentilibus distinguantur. Judæi enim vocantur filii Dei, Gentiles verò filii hominum. Vel siquando Judæi vocantur filii hominum, tunc Gentiles vocantur tantum Terrigenæ. At undè ista distinctio nisi quia Judæi ab Adamo, qui à Deo plasmatus est, originem ducunt, Gentiles verò ab hominibus quos ab initio mundi Deo jubente terra produxit. Sed respondeo hic quoque Præadamitam petere principium ac supponere quod probandum est: diversæ quippe appellationes diversam originem non arguunt, sed tantùm prærogativas diversas. Hoc autem indè probatur quòd plerumque in locis à Præadamitâ prolatis, non alii Judæis opponuntur quam Chananæi, Philistæi, Idumæi, aut Ægyptii, quos tamen ab Adamo, non minùs quàm Judæos oriundos esse ne ipse quidem inficiari potest.

Tertia ratio Præadamitæ talis est. Creatio hominis quæ refertur Geneseos secundo, diversa & posterior est ab ea quæ Geneseos primo refertur; atqui creatio quæ Geneseos secundo refertur est creatio Adami; ergo creatio quæ Geneseos primo narratur, est creatio Præadamitarum. Probatur major, 1°. quia Geneseos primo dicitur quod Deus masculum & fœminam simul creaverit, *masculum & fæminam creavit eos*; cum tamen Geneseos secundo expresè habeatur Adamum ante Evam formatum esse, certòque colligatur ex eodem capite non modicum temporis spatium intercessisse: siquidem non est formata mulier, nisi postquàm Adamo in Paradiso collocato, nominibusque cunctis animantibus impositis, quasi experimento advertit Deus non esse bonum hominem esse solum. Secundo quia in primo capite priùs mentio fit de specie quàm de individuis, fecit hominem *masculum & fæminam creavit eos*. In secundo vero capite non

ita. 3°. Quia perfici non potuerunt uno die sexto, quo primos homines creatos fuisse Scriptura asserit, quæcunque capite secundo ante creationem Evæ facta referuntur, ut sunt formatio hominis, inspiratio animæ, translatio in Paradisum, adductio animantium, quorum plurima cum in remotissimis regionibus essent creata, tam citò adduci non potuerunt, impositio nominum juxtà cujusque naturam, sopor Adami, uxoris ædificatio, & ad virum adductio. 4°. Quia Eva nonnisi lunâ secundâ creata est, ut volunt Judæi, referente Salmasio in annis climatericis.

Respondeo negando majorem. Contrarium enim in Scripturis ubique manifestè apparet: & certè utramque Scripturam tàm veteris quàm novi Testamenti evertemus, si cum Præadamita statuerimus Adamum non esse primum hominem. Nam primò si infinitis penè temporibus ante Adamum jam extitissent homines, ut vult Præadamita, cur necesse erat, ut Adam à Deo crearetur, cum tàm facile ex aliis hominibus nasci posset. Secundò cur dixisset Deus non est bonum hominem esse solum, si tunc temporis tot extitissent fœminæ quæ Adamo in matrimonium jungi potuissent? Tertiò cur primùm tandem Adami tempore indita fuissent cunctis animantibus sua nomina? Quartò cur homo de quo loquitur Scriptura Geneseos 1°. versu 27°. non minùs disertè vocatur Adam quàm qui Geneseos secundò creatus est? Imò cur Hebraicè omnes homines Adami nomine nuncupantur, nisi quia omnes de terrâ rufâ, ut dicitur Geneseos secundo? Idque adeò clarum est, ut id vel ipsi Poetæ agnoverint, quod patet ex Juvenali satyrâ sextâ, in quâ Prometheo tribuit, quòd primos homines ex luto formarit.

Compositique luto (inquit) *nullos habuere parentes.*

Quintò Scriptura asserit Geneseos secundò, Sapientiæ undecimo, & Romanorum quinto, mortem ab Adamo incepisse. Et tamen si Præadamitæ credimus, infinitis ante eum sæculis homines jam moriebantur. Sextò cur Geneseos 2°. Eva mater omnium viventium vocaretur, quæ tamen, si Præadamitæ ratio subsisteret, paucissimorū tantùm in aliorum

comparatione mater esset? Septimò cur Chronologia sacra ordine Syntethico ab Adamo orditur Genesèos quarto, in eumque ordine Analitico desinit Lucæ tertiò? Octavò cur omnes homines passim in Scripturis vocantur filii Adam, ut Deuteronomii 32. versu 8. Ecclesiastes 3°. Hieremiæ 32. 1. Regum cap. 26 versu 19°. 2. Regum cap. 7. versu 14°? Nono cur Christus Mathæi 19°. de divortiis agens & rem ἀπ'ἀρχῆς repetens recenset Adami & Evæ matrimonium, nisi quia de facto fuit omnium primum? Quo etiam sensu idem Christus asserit Joannis 8°. Satanam homicidam fuisse ab initio. Decimò cur Apostolus actorum 17°. coràm Atheniensibus differens dicit omnes homines esse *ab uno sanguine*, nisi quia de facto ex uno Adamo omnes prodierunt? Nec responderi potest ideò omnes ex uno sanguine, quia ex eâdem terrâ: alioquin homines & asini ex eodem sanguine dicendi essent. Undecimò cur idem Apostolus Romanorum 5°. dicit per Adami peccatum mortem in omnes homines pervasisse, quia in eo omnes peccaverunt: nisi quia de facto omnes in eo seminaliter fuerunt? Et certè injustum foret peccatum alicujus imputari alteri & in eo puniri, qui nullâ ratione cum eo qui peccavit conjungeretur. Duodecimò cur 1. ad Corinthios cap. 11°. idem Apostolus ad Gentiles scribens universim de specie hominum asserit non virum ex muliere, sed mulierem ex viro, si id de solis Judæis verum esset? Cur primæ ad Timotheum 2. ut mulierum subjectionem ergà viros probet, assumit Adamum primum fuisse formatum deinde Evam? Quid enim istud faceret pro mulieribus Gentilium quæ juxtà authorem Præadamitam unâ cum viris formatæ sunt? Cur denique primæ ad Corinthios cap. 15°. versib. 45. 47. 48. & 49. Adam absolutè & sine restrictione dicitur *primus homo*; præsertim cum instituta comparatio ab Apostolo inter Adamum & Christum stare non possit, nisi quemadmodum omnes ducunt originem cœlestem à Christo, terrestrem etiam ducant ab Adamo?

Ad rationes vero quibus Præadamita majorem sui argumenti probare contendit, negatur masculum & fœminam eodem instanti creatos esse, nisi quis fingere velit cum Rabbinis

hominem creatum esse ἀνδρογύνον. Masculum & fœminam creatos Scriptura quidem dicit, at eodem instanti creatos non dicit. Ludit autem Præadamita dum asserit tempus seu moram Deo fuisse necessariam ad plasmandum seu formandum Adamum: quasi verò Deus sit sicut homines. Idem esto judicium de supposititio experimento, quo vult Deum comprobasse, non esse bonum hominem esse solum. Fingit autem cum de animantibus in remotissimis regionibus creatis agit: quippe cum omnia juxtà Paradisum essent condita, ac per hoc facilè adducibilia. Sapientissimus porrò Adamus facilè imponebat nomina rebus. Ridendum verò se præbet author systematis, cum tradit Adamum infantem creatum fuisse, Evamque similiter, Adamo jam adulto, infantem creatam; ut ei grandior facta matrimonio jungeretur. Quis enim Adamo infanti ubera sua præbuit? aut pultes coxit? aut eum fasciis involvit? Ejusdem furfuris est quod addit Adamum edoctum fuisse naturalem historiam ut animalibus nomina posset imponere. Id autem hausit Præadamita ex quorumdam fabulis qui Sombocher Adami præceptorem faciunt. Stultum denique pariter est quod de Judæis ex Salmasio refert Præadamita, Adamum lunâ primâ, Evam verò lunâ secundâ creatos esse; siquidem quarto die Luna creata est, biduò antè creationem Adami; tuncque ut admodùm probabile est, Soli erat opposita, quamquam etsi Scriptura assereret, quod obtrudit Præadamita, facile posset explicari, quomodo Adamo & Evâ eodem die solari creatis, diversis tamen lunæ diebus creati essent. Cæterùm tàm impropriè urgetur vox ædificandi in muliere pro diuturniori morâ in ejus creatione asserendâ, ac impropriè diceretur Deum lapidibus ac cæmento usum esse in ejus creatione.

Quarta ratio Præadamitæ talis est: Incredibile est & contrà consilium Dei initio mundi unicum hominem esse creatum. Sed necesse fuit plures simul in singulis regionibus creari; alioqui terra, quæ mirum in modum ornata fuerat in creatione, priùs in solitudinem redacta fuisset, sylvisque repleta, quàm habitari posset. Insuper & multiplicatæ in singulis regionibus bestiæ eas reddidissent inhabitabiles. Quæ

duo prohibuerunt quominùs Deus deleret pariter omnes populos terræ Chanaan, quos paulatim tantùm delere voluit, ut habetur Exodi 23. & Deuteronomii 7°. Sed respondetur hanc rationem frivolam esse. Primò enim tunc tantum solitudo horrorem incutit cum est privativa, non verò cum est tantùm negativa; sufficiebatque ut Adamus sciret omnem terram filiis suis brevi multiplicandis esse destinatam. 2°. Multiplicatio bestiarum timenda non erat, siquidem duæ tantùm cujusque speciei fuerant conditæ, proindèque cum eis etiam genus humanum multiplicabatur.

Quinta ratio Præadamitæ ex eo petitur quod Genes. 3°. Scriptura referat Abel fuisse pastorem ovium, Caïn verò agricolam: hæc enim duo necessariò supponere videntur Præadamitas. Ad quid enim Abel habuisset greges ovium, nisi fuissent homines qui eorum carnibus vescerentur? Ad quid oves custodisset, nisi jam tunc fuissent fures? Similiter quomodò potuisset Caïn agriculturam exercere nisi jam tunc temporis plures aliæ artes extitissent quas agricultura supponit? Ejusmodi sunt artes effodendi ferrarias, fornaces excitandi, malleos fabricandi quibus secures cuderentur, & vomeres, ad cædendas arbores terramque secandam. Prætereà divisio bonorum quæ tunc erat in usu satis arguit societatem jam diù formatam. Sed respondetur negando tot artes, quot author enumerat, necessarias fuisse, ad georgicam aut bucolicam artem. Quis enim nesciat artes omnes ab exiguis & rudibus initiis paulatim ad perfectionem progressum fecisse? Deindè facillimum tunc erat terram colere, hocque faciliùs adhuc in Mesopotamiâ quàm alibi. An autem ferro an aliter tunc sulcata fuerit terra incertum est: id facilè ex cæsis & acutis silicibus, aut ad id aptatis arborum ramis fieri poterat. Sed etsi diceretur Adamum præcipuas artes calluisse, easque filiosque suos docuisse, nihil incredibile & exoticum assereretur. Quod autem ad Abelem attinet, non solùm ob fures cavendos, sed etiam ob lupos arcendos custodiuntur oves. Id tamen ob utrumque præstare potuit Abel. Dubitari enim non potest eo tempore quo Abel occisus est, nimirùm circà annum 129um. Adami, jam plures extitisse

hominum miriades. Cum enim Scriptura indicet cædem Abelis contigisse multis diebus postquàm ipse & Caïn suas artes separatim exercebant, statimque post occisum Abelem Seth natus referatur; immeritò cædem Abelis ante annum mundi 129. aut circiter collocaremus. At eo tempore utrumque jamdiù uxorem duxisse non solùm ratio suadet, sed etiam Scriptura clarè insinuat, cum eos separatim res suas habuisse indicat. Separari enim non debuerunt à parentibus nisi ut uxoribus quæ unâ cum ipsis ex omnium consensu natæ sunt, adhererent. At si juxtà Hebræorum magistros supponamus eos saltèm anno ætatis 20°. uxores duxisse, ac similiter reliquos magno numero ab Adamo genitos idem præstitisse, facile apparebit jam tunc temporis genus humanum mirum in modum multiplicatum fuisse.

Sexta ratio petitur ex eo quod Caïn fratrem suum extrà conspectum omnium duxerit ut eum interficeret, nimirùm ne statim apprehenderetur & puniretur. Deindè etiam ex timore quo metuebat ne à quovis statim occideretur. Ut quid enim id timere potuisset, si præter Adamum & Evam nullus tunc superfuisset? Ut quid etiam in aliam regionem profugus migrasset? Nec certè absque fundamento erat ejus timor, siquidem Scripturâ referente *Deus posuit in eo signum ut non interficeret eum omnis qui invenisset illum.* Confirmatur etiam ex eo quod Josephus refert eum in latrociniis totam vitam transegisse. Idem quoque probat quod Scriptura refert Caïn ædificasse civitatem quam vocavit nomine filii sui Enoch. Quomodo enim solus id facere potuisset? vel potiùs quomodo id facere cogitasset? Sed ista ratio sufficienter confutatur ex responsione ad præcedentem: supponit enim homines qui tunc vivebant non potuisse alios esse quam Præadamitas, quod tamen falsum esse demonstravimus.

Septima ratio indè petitur quod omnes antiqui Philosophi aut mundum æternum effecerint, aut ejus originem omnibus incognitam esse agnoverint. At si ea tantùm fuisset mundi duratio, inquit Præadamita, quæ ab Adamo fluxit, fieri-ne potuisset ut in istas opiniones abirent Philosophi?

Sed respondetur 1°. Quod si etiam veteres omnes mundi æternitatem astruerent, nihil aliud indè conficeretur nisi eos ejus originem ignorasse, quod nullatenùs juvat Præadamitam. 2°. Nullum ferè ex veteribus antè universalem mundi æternitatem statuisse, ut in 8um. Physicorum observant Conimbricenses.

Octava ratio petitur ex veterum Gentilium chronologiis quæ multo longiori tempore extenduntur, quàm ea quæ in Scripturis habetur. Chaldæi enim teste Diodoro Siculo usque ad Alexandrum magnum septuaginta annorum millia numerabant, ex quo sydera cæpissent observare; quod etiam de iisdem refert Cicero libro 2°. de divinatione. Ægyptii verò referente apud Salmasium vetustissimo Scriptore 30a. Regum suorum Dynastias faciunt quas per tres annorum myriades durasse volunt. Refert autem Diodorus libro 1°. Bibliotecæ parte secundâ Reges indigenas ultrà 4700. Ægyptum gubernasse. Herodotus in Euterpe narrat sibi à Sacerdotibus Ægypti ostensos fuisse in quodam cænaculo 341. Colossos, quos imagines esse totidem Regum hominum asserebant; ostendebantque non solùm eorum genealogiam, sed etiã tempus quo isti regnum tenuerant nimirùm. 10340. Refert etiam Plato in Timæo Solonem ab Ægyptio Sacerdote irrisum quod nesciret Athenas cives inclytos habuisse decem mille annis antè diluvium. Quod idem ex Platone refert nec refellit Arnobius. Denique Sinarum periodus referente Scaligero in libro de emendatione temporum constat annis 88888. cum quibus omnibus conveniunt Americani in suis chronologiis. Sed respondetur Præadamitam fabulas pro veritate adoptare, cùm Ægyptiorum, Chaldæorum & aliorum chronologiis fidem adhibet. Sed & sibi in hâc parte contradicit. Negare enim nequit populos istos ex Adamo esse oriundos. Si tamen statuamus apud istos populos annos menstruos fuisse aut quadrimestres, quales in Ægypto viguisse testantur Diodorus, Varro apud Lactantium, Plinius, Proclus, Plutarchus & alii, facilè pleræque veterum Epochæ cum sacris litteris conciliari poterunt, ut de Ægyptiis ostendit Capellus ad annum mundi 1682. Non debuit itaque Præadamita tantùm

tantùm urgere, tùm Ægyptiorum Chronologiam, tùm fabulas à Sacerdotibus Ægypti Soloni assertas.

Nona ratio petitur ex progressu Astronomiæ, Astrologiæ, Theologiæ & Magiæ Gentilium. Cum enim, inquit Præadamita, istæ scientiæ nonnisi post longissimas & diuturnas multorum millium annorum observationes haberi potuerint, indè confici necesse est, mundum multò antiquiorem esse quàm vulgò feratur. Sed respondetur Adamum habuisse scientiam præcipuarum artium, proindeque eas suos posteros docere potuisse. Potuerunt etiam homines ante-diluviani (ut eos fecisse refert Josephus) Astronomiam exercere, & cum diù tunc viverent, facilè unius vita ad eam perfectè addiscendam sufficere poterat: ut non sit necesse ad homines Præadamitas recurrere qui illas artes coluerint.

Decima denique ratio petitur ex ætatibus animantium ab Hesiodo & Ausonio relatis. Referunt enim justam hominum ætatem esse annorum 96. Cornicum 864. Cervorum 3456. Corvorum 10366. Phœnicis 93312. Nympharum denique 933120. At, inquit Præadamita, ista tàm exactè haberi non potuissent nisi retro antiquissima traditio istorum animalium ætates numerasset. Sed mirum est cur author systematis tot næniis, fabulis, ac deliriis fidem nos habere velit? & certè necesse est eum maximo pruritu pro suo paradoxo promovendo laborasse, qui tales ineptias ut solidas rationes pro eo confirmando adduxerit. His itaque prætermissis.

Quæritur an historia creationis mundi quâ refertur in Scripturâ mundum sex diebus creatum fuisse, litteraliter accipienda sit; an verò statuendum ea omnia quæ sex diebus facta fuisse Scriptura narrat in instanti creata esse?

Respondetur 1°. D. Augustinum lib. 6. de Genes. ad litt. cap. 21°. & sequentibus ac præcipuè 33. affirmare post Philonem mundum eo modo compositũ & ornatum, quo à Moyse narratur, in instanti creatum esse, sexque dies, de quibus Scriptura loquitur, pro cogitationibus seu cognitionibus Angelorum accipiendos. Idem asserit inter veteres Procopius Gazæus, & inter recentiores Cajetanus.

Respondeo 2°. Distinguendum esse inter creationem mundi

ſecundùm ſubſtantiam, & ejuſdem mundi creationem ſecundùm modos; ſive in mundi creatione diſtinguendam eſſe materiam ex quâ cætera facta ſunt, ab his quæ facta ſunt ex ipsâ materiâ. Si creatio mundi primo modo ſpectetur, certum eſt eum in inſtanti creatum eſſe, cum talis creatio non ſit obnoxia ſucceſſioni. Si verò conſideretur ſecundo modo, quamvis negari nequeat, quin Deus eum in inſtanti creare potuerit, tutius tamen eſt & hiſtoriæ ſacræ magis conforme ſex dies creationis ſtatuere, quàm ad allegorias deflectendo ſenſum litteralem Scripturæ abſque ullâ ratione deſerere. Neque aliquid pro alterâ ſententiâ facit, quod Eccl. 40. dicitur Deum creaſſe *omnia ſimul*. 1°. Enim vox iſta *ſimul* non denotat ſimultaneam rerum omnium creationem, ſed tantùm Deum nullâ re exceptâ omnia creaſſe: undè *ſimul* idem ibi denotat ac ſine exceptione, ſeu omnia omninò. 2°. Quod etiamſi aliter vox iſta deberet intelligi, facilè nihilominùs exponeretur de ſimultaneâ creatione materiæ, non autem de ſimultaneâ productione formæ; quo ſenſu D. Gregorius l. 32. moral. cap. 10. hunc Scripturæ locum cum hiſtoriâ ſex dierum conciliat his verbis: *Rurſum quærendum quomodò Deus cuncta ſimul condidit, dum Moyſes ſex dierum varietate diſtinctè creata deſcribat, quod tamen citiùs agnoſcimus, ſi ipſas cauſas originum ſubtiliter indagamus. Rerum quippe ſubſtantia ſimul creata eſt; ſed ſimul ſpecies formata non eſt. Quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ. Cum enim ſimul factum Cælum Terraque deſcribitur, ſimul ſpiritualia atque corporalia, ſimul quidquid de Cælo oritur, ſimul factum quidquid de Terrâ producitur, indicatur.* Et poſt pauca: *qui enim diverſis diebus creatum Cælum & terram, virgultum herbamque narraverat, nunc uno die facta manifeſtat, ut liquido oſtenderet, quod creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit, quamvis non ſimul per ſpeciem proceſſit.* Hæc Gregorius.



DISSERTATIO DECIMA QUINTA.

DE PARADISO TERRESTRI, de Serpente, & de Cherubim in Paradisi aditu collocato.

SECTIO PRIMA.

De Paradiso Terrestri.

VIx ulla est in Scripturis difficultas, quæ tot & tàm diversas opiniones pepererit, quot peperit quæstio de Paradiso Terrestri. Sive enim veteres authores adeas, sive recensiores consulas, tot ferè sententias reperies, quot alicujus nominis Interpretes. Origenes in Genes. Philonem sequutus, totam Scripturæ de Paradiso narrationem allegoricè exponit, ac Paradisi nomine tertium Cælum intelligit, per arbores autẽ virtutes angelicas, per fluvios aquas, quas putat suprà Cælos reperiri, per Adam & Evam animas hominum, per folia ficûs corpora mortalia interpretatur. A quâ quidem sententiâ non longè recedit Ambrosius in Examero. Eam autem fusè confutat Epiphanius, tùm in Anchorato, tùm in epistolâ ad Joannem Hyerosolimitanum. Alii quamvis Scripturæ verba secundum litteræ veritatem interpretati sint; nihilominùs Paradisum in terrâ collocatum fuisse negarunt, asserentes eum in loco à terrâ plurimùm elevato creatum fuisse. Hanc sententiam tuentur inter veteres Rabanus Maurus, & Walafridus Strabus. Inter recentiores verò Georgius Venetus. Quamvis autem Divus Hyeronimus mentem suam clarè non expresserit, hanc tamen sententiam multùm promovit, dum in traditionibus Hebraicis docet Paradisum ante Cælum & Terram conditum esse. Alii illum collocarunt in monte ita excelso,

ut orbi lunari proximus esset. Alii denique ut Alphonsus Tostatus, docent eum viginti cubitis suprà omnes montes fuisse elevatum. Undè factum putant, ut ab aquis diluvii nihil fuerit læsus.

Sed illæ omnes sententiæ facilè ex Scripturâ confutantur: certùm est enim ex Genesis historiâ Paradisum in terrâ situm fuisse. Primò quia Scripturæ verba id sonant cum docent Paradisum fuisse situm in regione Eden. 2°. Cum dicitur eum fuisse arboribus consitum. 3°. Cum designantur flumina, quæ ex Paradiso ortum ducebant, & regiones quas unumquodque alluebat ac eorum proprietates enumerantur. Denique cum ostenditur bestias terræ, verbi gratiâ serpentes, in Paradiso fuisse. Et certè id ità clarum est, ut Divus Chrisostomus existimet ridiculum esse id negare. Sic enim loquitur. Hom. 13. in Gen. *Ideò Moses describens Paradisum & nomen loci in quo erat, scilicet Eden, & plagam orientalem, quam spectabat, & nomina fluminum è Paradiso egredientium ferè nota omnibus, tàm subtiliter & accuratè narravit; ut non liceret nugari volentibus decipere simpliciores dicendo nullum fuisse in terrâ Paradisum, sed in cælo, & alias fabulas suaque somnia jactando. Nam etsi Moses in describendo Paradiso diligentiam posuerit, nihilominùs tamen fuerunt nonnulli fabulantes non fuisse super terram Paradisum, multaque alia à doctrinâ Mosis alienissima inducentes, & verba ejus aliorsùm, quàm dicta sunt, detorquentes; quid futurum fuisset, si non tàm minutatim, tàm dilucidè, denique tàm enucleatè Paradisum descripsisset?* Hæc ille. Undè existimarim plerosque eorum, qui contrariam tenuerunt sententiam, præsertim recentiorum, in eam non aliam ob causam inisse, nisi ut salvarent opinionem quorumdam Patrum, inter quos est Justinus Martyr, vel potiùs author quæstionum ad Orthodoxos inter ejus opera quæst. 75. 76. & 83. affirmantium Paradisum illum adhuc subsistere, ac in eo Enoch & Eliam translatos ad finem mundi asservari. Hæc tamen sententia non est admodùm certa, nec satis firmum in Scripturâ aut traditione habet fundamentum, ut propter eam aperta Scripturæ testimonia in allegoricum sensum detorquenda sint.

Jam verò inter eos, qui contendunt Paradisum, in quo primus homo collocatus, fuisse in terrâ constitutum, magna est adhuc opinionum diversitas, circà locum in quo collocatus erat. Alii enim terram Eden, in quâ Paradisum situm fuisse Scriptura narrat, collocant circà Regionem Damasci Palestinæ conterminam. Alii ut Bonaventura & Durandus eam constituunt in Plagâ æquinoctiali. Alii denique volunt terram Eden citam esse circà fines Mesopotamiæ; quæ sententia probabilior videtur: tùm quia Tigris & Euphrates, qui Scripturâ testante egrediebantur è Paradiso, Regionem illam alluunt: tùm quia terra Henilath, de quâ Scripturâ hoc in loco meminit, erat etiam huic loco vicina, ut patet ex Genes. 25. & 1. Reg. 15.

Narrat Moses in medio Paradisi fontem ascendisse de terrâ, qui irrigabat totum Paradisum, quique posteà in quatuor capita seu quatuor fluvios dividebatur, Phison scilicet Gehon, Tigrim & Euphratem. Duo ultimi omnibus noti sunt, nec est qui de iis dubitet: sed priores non sunt adeò noti. Josephus lib. 1°. antiquit. existimat Phison eundem esse ac Gangem Indiæ fluvium; Gehon verò esse Nilum Ægypti fluvium. Sed ista sententia non est probabilis. Primò enim Phison ex Scripturæ testimonio circuibat terram Henillath; atqui terra Henillath non est in Indiâ sed juxtà Mesopotamiam, ut modo ostensum est; Ergo. 2°. Gehon non potest esse idem ac Nilus: tùm quia procul dubio Moses eum suo nomine Israëlitis notissimo designasset: tùm quia Nilus nullibi in Scripturis Gehon appellatur: tùm etiam quia non habet originem in Mesopotamiâ, sed in Ægypto: tùm denique quia Nilus Æthiopiam Orientalem seu Arabiam non alluit, quod tamen de Gehon Scriptura asserit.

Cæterùm non est hic silentio prætereundum versionem Divi Hieronimi minùs accuratam esse, cum pro *Eden voluptatem*, pro Oriente vero *Principium* vertit hoc modo: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*: licet enim vox *Eden*, quandò appellativa est, *voluptatem* significare possit: hoc tamen loco certum videtur appellativè sumendam non esse; tàm propter additam litteram

Beth, quæ æquivalet præpositioni *in*; quàm propter alia loca, in quibus certum est *Eden* singularem locum & regionem designare, ut Genes. 3°. cum dicitur, quòd Cain habitavit ad Orientalem Plagam *Eden*. Similiter licet vox Hebraica, quam Divus Hyeronimus *principium* transtulit, id quandoque in Scripturis significet; nihilominùs multò verisimilius est eam per Orientis vocem esse transferendam, ut Paraphrasis Chaldaica & versio τῶν ὁ transtulerunt; non solum quia vox *Eden* clarè denotat hic locum & situm Paradisi designari, sed etiam quia versio illa Divi Hyeronimi æquivocationi obnoxia est & plerisque veterum ac in primis ipsi Hyeronimo occasionem tribuit inferendi Paradisum antè Cælum & Terram conditum esse: quæ certè propositio Judaicam redolet fabulam, quâ Rabbini asserunt septem facta esse à Deo antè mundi creationem, nimirùm Hortum Eden, Legem, Justos, Israël, Thronum gloriæ, Hyerusalem & Messiam. Itaque ut habeatur accurrata hujus loci versio, sic transferri debet *Plantavit autem Dominus Paradisum in Regione Eden ad Plagam ejus Orientalem*. Et hæc quidem de Paradiso.

SECTIO SECUNDA.

DE
Serpente qui Evam seduxit.

QUOD spectat ad Serpentem qui primos parentes in Paradiso seduxit duo extrema circà ejus naturam cavenda sunt: nimirùm ne aut existimemus diabolum solum fuisse sine serpente, aut serpentem à diabolo non inspiratum. Alii enim ut Josephus libro primo antiq. & post eum plerique Rabbini, docent serpentem illum nihil aliud fuisse quàm verũ & naturalem serpentem, cui tùm proprium erat loqui, intelligere, pedibus uti, ac veneno carere. Simile aliquid

ſenſiſſe videtur Divus Baſilius. Sed certum eſt falſam eſſe hanc opinionem : cum enim bruta ſint mera automata, omnique prorsùs ratione careant ; non potuit ſerpens intelligere, qui intellectum non habuit ; nec loqui, qui cogitationibus quas exprimeret caruit. Alii ut Divus Cyrillus cenſent non fuiſſe verum ſerpentem, ſed diabolum qui ſpeciem ſerpentis induerat. Sed hinc confutatur iſta ſententia, quòd præter maledictionem, quæ in verum ſerpentem, non in ſolam ejus ſpeciem lata eſt, innuit etiam Scriptura ſerpentem poſt deceptionem primorum parentum in Paradiſo adhuc remanſiſſe; quod facturus non fuerat ſolus diabolus, qui procul dubiò expletâ malitiâ ſerpentis ſpeciem ſtatim depoſuiſſet. Alii ut Cajetanus totam ſerpentis hiſtoriam allegoricè interpretantur; voluntque primorum parentum tentationem totam factam eſſe in phantaſiâ, non autem per exteriores ſenſus. Sed iſta Cajetani opinio, meritò ab omnibus reprobatur, ut potè doctrinæ Sanctorum Patrum & Eccleſiæ ſenſui contraria. Alii denique contendunt fuiſſe quidem verum ſerpentem, ſed in quem diabolus ſe ſe inſinuarit : quæ ſententia communior eſt, & ut ex aliarum confutatione patet etiam probabilior. Hinc eſt quod in Scripturâ primorum parentum prævaricatio dæmoni ſæpè tribuitur, ut Sapientiæ 11°. cum dicitur *invidiâ diaboli mortem introiſſe in orbem terrarum*, & Joannis 18°. eum fuiſſe homicidam ab initio.

Jam verò quod pœnam attinet quâ ſerpens à Deo mulctatus eſt, variant etiam authorum ſententiæ. Alii enim docent maledictionem ad verum ſerpentem eſſe referendam, propter ſenſum litteralem qui non poteſt de alio quàm de vero ſerpente intelligi : v. g. cum dicitur : *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Undè volunt Authores nonulli ſerpentem anteà fuiſſe pedibus præditum ; ſed in pœnam criminis his privatum eſſe. Alii contendunt maledictionem ad ſolum diabolum pertinere, ut Divus Auguſtinus, Beda, & Rupertus. Utraque autem illa ſententia poteſt admitti, prima in ſenſu litterali, ſecunda in ſenſu miſtico.

SECTIO TERTIA.

De Cherubim in Paradisi aditu collocato.

POSTQUAM Scriptura narravit prævaricationem primorum parentum, ac sententiam à Deo in illos prolatam, subjungit Deum iis è Paradiso ejectis collocasse *antè Paradisum Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ:* Quæritur ergo quid per Cherubim istud, quid per gladium versatilem, intelligendum sit. Circà quod plures sunt Interpretum sententiæ. Primò enim aliqui docent hanc orationem esse figuratam, nec per eam aliud designari nisi quòd Deus firmissimo præsidio aditum Paradisi munierit. Secundò alii existimant his verbis denotari situm Paradisi sub Zonâ torridâ & æquinoctiali circulo, *quoniam illum gladium tenebant Cherubim & Angeli Dei Cælorum motores* ut ait Divus Thomas. 2ª. 2ª. quæstione 165. articulo ultimo. Tertiò Lyranus docet Paradisum in excelso monte situm igne circumclusum esse, ne aditus ad eum pateat, hocque per Cherubim & gladium ejus esse intelligendum. Quartò Divus Ambrosius scribens in istum versum Psalmi. 118. *Retribue servo tuo* &c. per ignem istum in aditu Paradisi collocatum Purgatorium intelligit. Similia habet Rupertus lib. 3°. in Genes. cap. 32°. & 33°. Quintò Theodoretus putat Cherubim esse quasdam potentes & terribiles visiones ac figuras animalium horrificas, quæ Adamum territando ab ingressu Paradisi arcebant. Theodoretum sequutus est Procopius Gazæus. Sextò denique alii dicunt Mosis verba ita accipienda esse quatenùs sonant, videlicet Deum Paradisi aditum Angelo & gladio versatili hoc est ex utrâque parte scindente, tùm igne munivisse: quæ interpretatio communior est inter Theologos. Unusquisque tamen eam quæ sibi probabilior ex istis omnibus visa fuerit, potest eligere.

DISSERTATIO DECIMA SEXTA.

DE ESU CARNIUM ANTE Diluvium. De congressu filiorum Dei cum filiabus hominum ; & de Origine Idololatriæ.

SECTIO PRIMA.

DE Esu Carnium ante diluvium.

CIRCA esum carnium ante diluvium duo inquiri possunt. Primum utrùm esus carnium ante diluvium prohibitus fuerit. Secundum utrùm tunc in usum fuerit adhibitus. Sed cum neutrum istorum ex Scripturâ definiri possit, superest ut quod saltèm probabiliter ex illâ erui potest hic breviter proponamus. Itaque plures viri docti censent esum carnium ante diluvium illicitum fuisse, ac implicitè saltèm à Deo prohibitum ; ab eoque viros pios abstinuisse : quamvis fortè impii & filii Caïn carnibus vescerentur.

Suam autem opinionem probant primò ex eo quod finito diluvio esus carnium primùm concessus legatur his verbis: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Ex hoc enim videtur inferri esum carnium ante istam Dei concessionem non fuisse licitum ; sed ab eo tanquàm illicito Noë & filios ejus abstinuisse.

Secundò verò quod Genes. 1°. vers. 29°. ubi victum Deus primis parentibus assignat, nulla fit mentio de carnibus animalium ; sed tantùm de herbis & arborum fructibus. Sic enim

habet Scriptura : *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram , & universa ligna quæ habent in se sementem generis sui ut sint vobis in escam.* Undè cum non debuerit homo aliud ad victum adhibere quàm quod ipsi pro victu à Deo assignatum fuerat , consequens est ut & à carnibus debuerit abstinere , quarum usus nullatenùs ei concessus fuisse legitur.

Tertiò considerandа est clausula quam Scriptura adhibet genes. 9: ỷ. 3. cum Deus esum carnium filiis Noë concedit ; ait enim *quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* quibus verbis manifestè videtur alludere ad cibum quo prius homines utebantur , & ad priorem legem quâ eis olera pro cibo constituerat.

Duo tamen hic sunt quæ difficultatem facere videntur : primum est Abelem fuisse pastorem ovium ; ex quo esus carnium inferri videtur. Cui enim bono greges aluisset nisi ut de gregum fructibus viveret ?

Secundum. Quod primi homines non multò post prævaricationem tunicis pelliceis induti sunt. Ex quo satis probabiliter concludi posse videtur , ideò tantùm tunicas pelliceas adhibuisse, quia eas habebant residuas ex animalibus quæ ad comedendum occidebant. Sed responderi potest ad primum ideò Abelem nutrire potuisse oves ut earum lacte vesceretur , & lanis tegeretur : non autem ut de carnibus earum comederet. Ad secundum verò primos parentes etsi vestimenta ab animalium pellibus quærerent , potuisse tamen carnes eorum pro aliorum animalium pabulo relinquere. Vel quod probabilius videtur eorum tantùm animalium pellibus vestitos fuisse , quorum carnes in holocaustum Domino obtulerant. Quod si quis urgeat nonnullos ex ante-diluvianis hominibus venationi addictos fuisse ut de Lamech uno ex Caïni posteris communis fert sententia, quod satis apertè videtur arguere eos victum ex animalium carnibus quæsivisse , cum ad vestitum eorum animalium pelles quas absque venationis labore ad manum habebant abundè sufficerent. Responderi potest 1°. incertum esse an ullus ante diluvium venationi operam dederit , cùm id Scriptura nullibi

afferat. 2°. Nonnullos fortassis homines improbos maximè qui ex Caïni progenie oriundi erant, præter legem Dei, quam palàm in aliis omnibus contemnebant, carnes animalium comedisse: sed homines probos & legis Dei tenaciores aliud comedisse, quam quod eis ad cibum assignatum à Deo fuerat, neque probabile est, neque ullam habet verisimilitudinis speciem.

SECTIO SECUNDA.

DE CONGRESSU FILIORUM Dei cum filiabus hominum.

QUOD spectat ad congressum filiorum Dei cum filiabus hominum difficultas tota versatur circà sensum verborum Moysis Genes. 6°. ubi sic habet. *Cumque cæpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitque Deus, non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* &c. Circà hujus loci intelligentiam variant tàm veterum quàm recentiorum sententiæ. Inter veteres plurimi tàm ex lectione versionis τῶν ὀ, quæ olim pro filiis Dei, ut plurimùm legebat, *Angelos Dei*: tùm propriâ opinione, quâ credebant Angelos esse corporeos decepti, existimarunt Angelos pulchritudine fæminarum captos relicto Cælo in terram descendisse, & cum illis illicita junxisse matrimonia. Hujus sententiæ fuerunt Justinus martyr in apologia, qui indè ortas esse putat inter Ethnicos fabulas de Deorum matrimoniis, Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. Tertullianus libro de habitu mulierum, ubi etiam docet id circò mulierem in Ecclesiâ velari debere propter Angelos Dei, quasi adhuc aliquid Angelis ex mulierum pulchritudine timendum esset. Lactantius lib. 2°. divinarum institutionum cap. 15°. Sulpicius

Severus initio historiæ, & ante hos omnes Josephus lib. 1. antiquit. cap. 3. & Philo lib. de Gigantibus. Sed ista sententia non solùm rationi quà Angelos merè spirituales esse novimus, contraria est; sed etiam Scripturæ adversatur. Nam Christus Dominus ab hoc scelere Angelos satis vindicat, cum ait, quod post resurrectionem homines *neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*. Undè plerique aliorum Patrum istam sententiam de in continentiâ Angelorum rejiciunt & confutant. Inter quos præcipui sunt Cyrillus, Augustinus, Cassianus, imprimisque Chrisostomus.

Alii referentibus Hugone de sancto Victore, & Authore Historiæ Ecclesiasticæ existimârunt per Angelos seu filios Dei intelligendos esse dæmones incubos: hancque sententiam licet à Lyrano confutatam tuetur inter recentiores Paulus Burgensis in primâ additione ad postillam Lyrani in cap. 6. Genesis, ubi suam sententiam D. Augustino perperàm tribuit, hoc fundamento nixus, quòd S. Doctor dubitet an sint dæmones incubi: quasi verò de aliquo dubitare sit illud asserere; aut quasi ex incuborum assertione sequeretur eos de quibus est quæstio fuisse incubos.

Sed relictis hisce nugis convenit hodiè inter omnes qui Scripturam paulò attentiùs legerunt, per filios Dei homines hic esse intelligendos: alioqui enim quomodò ex hoc scelere Deus occasionem habuisset adversùs homines irascendi, & diluvium super terram inducendi? Verùm in genere hominum assignando non una est omnium sententia. Alii enim per filios Dei intelligunt homines corporis proceritate & robore cæteris insigniores, quomodò Scriptura cum aliquid sublime aut insolitum vult exprimere, nomen Dei solet ei ut plurimum adjungere, ut cum dicit *montes Dei*, *cedros Dei*, *spiritum Dei*, pro montibus excelsis, cedris sublimibus, & vento valido. Alii per filios Dei Potentes & Principes seu Judices intelligunt, quomodò in Scripturâ Magnates & Judices sæpiùs Eloïm appellantur. Alii per filios Dei eos intelligunt, qui non sapiebant secundum carnem, sed secundum spiritum, ac verum & spiritualem Deo cultum exhibebant. Alii denique per filios Dei intelligi volunt filios Seth, per

filios autem hominum, eos qui ex progenie Caïn deducebant originem. Hæc autem sententia communior est, ut potè quam plerique veterum secuti sunt, ut Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Rupertus, D. Thomas &c. Et ratio est quia filii Seth secundum Deum vivebant; filii autem Caïn secundum hominem corruptum, suis cupiditatibus indulgebant. Primam tamen sententiam præter Scripturæ phrasim juvare potest quod subdit Scriptura, nimirùm ex ipsis matrimoniis Gigantes prodiisse. Cur enim istud nisi quia eorum parentes insigni corporis proceritate jam præditi erant? Sententiæ secundæ favent nonnulli veteres Interpretes. Aquila enim teste D. Hieronimo pro filiis Dei vertit filios Deorum; Symmachus verò filios potentum, quem sensum sequuntur etiam paraphrases Onkelosi & Jonathanis. Tertia verò & quarta in unam ferè coincidunt. Ex illis autem expositionibus quisque eam eligere potest quæ ipsi probabilior visa fuerit.

Quæritur 1°. in quo positum fuerit tàm immane peccatum, ut Deo inferendi diluvii occasionem præbuerit? Respondeo vel in eo positum fuisse quòd ista matrimonia appetierint filii Seth, quæ ob malitiam & corruptionem stirpis Caïn illicita erant: vel quòd cum inordinatâ cupiditate ducti & pulchritudinis specie allecti filii Seth, hæc matrimonia appetiissent, in omne deinceps flagitiorum genus cum uxoribus suis corruerunt. Vel ut probabilius est id ex utroque ortum, nimirùm quod semen sanctum cum impiis miscuerint, & quod tàm improbo consortio depravati, totum genus humanum penitùs depravarint & perdiderint. Ex quo factum est ut Deus qui ob pietatem filiorum Seth totum genus humanum, licet in Caïn familiâ jam depravatum, conservabat, iisdem deinceps ex cæterorum consortio similiter corruptis, de eo penitùs abolendo & aquis diluvii delendo sententiam tulerit.

Quæritur 2°. Quinam fuerint Gigantes, quos ex tali congressu ortos esse Scriptura testatur? Respondeo nonnullos authores per istos Gigantes intelligere homines insignes non corporis proceritate, sed impietate & grassandi libidine.

SECTIO TERTIA.

DE

Origine Idololatriæ

QUOD ſpectat ad Idololatriæ originem Scriptura de illâ expreſsè non meminit. Undè celebris eſt quæſtio, quo tempore ortus fuerit idolorum cultus, nimirum an antè, an verò tantùm poſt diluvium. Communis eſt Theologorum ſententia poſt Divum Thomam, nonniſi poſt diluvium ortam eſſe idololatriam, quia nimirum Scriptura de illâ ante diluvium non meminit. Contraria eſt autem Hebræorum ſententia, qui contendunt non ſolùm ante-diluvianos homines idololatriæ ſcelere pollutos fuiſſe; ſed etiam nefarium hunc cultum multis ante diluvium ſæculis in orbem invectum fuiſſe; nimirum à tempore Enos filii Seth. Suam autem ſententiam deducunt ex ultimo verſu cap. 4. Geneſ. ubi ſic legunt: *Tunc,* ideſt tempore Enos *prophanatum fuit invocando nomen Domini.* Vel ut Fagius vertit per paraphraſim *In diebus ejus inceperunt filii hominum ut non orarent in nomine Domini.* Nec certè recens eſt illa Hebræorum ſententia, ejus enim meminit D. Hieronimus in traditionibus Hebraicis ubi ſic habet: *Plerique Hebræorum arbitrantur quod tunc primum, id eſt tempore Enos in nomine Domini, & in ſimilitudine ejus fabricata ſint idola.* Ex quo apparet hujus quæſtionis diſcuſſionem pendere potiſſimùm ex rectâ hujus loci intelligentiâ. Sed adeò difficile eſt verum ejus ſenſum deprehendere, ut tot ferè circà illum reperiantur ſententiæ, quot ſunt nominis alicujus authores. Primò enim Vulgata noſtra id ad ipſum Enos refert his verbis: *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Septuaginta vero ita habent: *Hic ſperavit invocari nomen Domini*, ſeu ut aliis magis placet: *vocari in nomine Domini.* Quod nonnulli quidem veterum ita intelligunt, ut

obscura erit & incognita, quàm inprimâ mundi ætate. Primum enim idololatriæ vestigium quod in Genesi reperitur, habetur cap. 31. hujus libri ubi Rachel dicitur furata esse *idola patris sui.* At ibi initium idololatriæ collocari non posse certum est: constat enim ex Scripturâ Josue 24. ℣. 2. jam à temporibus Abrahæ homines huic sceleri addictos fuisse; ipsumque Thare patrem ejus eo crimine fuisse maculatum. Sed nec in ipsius Thare ætate sistendum esse suadet Achioris Ammonitæ oratio, Judith 5°. Si enim verbis ejus fidem habemus, ideò Thare & Abraham egressi sunt de Ur Chaldæorum ut venirent in Charan, *quoniam noluerunt sequi ceremonias patrum suorum quæ in multitudine Deorum erant.* Ex quo patet idololatriæ originem superiori tempori esse assignandam. Sunt qui velint Nemrod, quem Scriptura asserit primum fuisse qui regiam potestatem sibi tribuerit, ac Babylone regnaverit, etiam primum idololatriæ fuisse inventorem, & subditos suos coëgisse ut sibi supremos honores tanquam Deo tribuerent. Sed & hoc valdè incertum est.

Author libri Sapientiæ cap. 14. ℣. 15 idololatriæ initium referre videtur ad aliquem potentem, cui filius præmaturâ morte ante tempus ereptus est. Sed neque quisnam ille fuerit, aut quo tempore vixerit, nominat: neque utrum idololatriam primus omnium invenerit: an verò tantùm eam multum promoverit. Diophanes Lacædemonius, qui eandem historiam referre videtur, id tribuit cuidam Ægyptio potentissimo, qui factâ imagine filii mortui eosdem à servis suis honores imagini exhiberi jusserit, ac ipsi filio dum viveret. Sunt tamen qui probabiliùs existiment primam idololatriæ originem repetendam esse ab inordinato amore subditorum ergà Principes mortuos.

Sed quidquid sit de initio idololatriæ quod ex Scripturâ certò eruere non possumus, id unum certum videtur, eam nimirùm ex quo exorta est, non ita invaluisse ut omnes gentes occuparet, nec ita in qualibet gente, quæ eam sectari cœperat, statim prævaluisse, ut nullus omninò superesset, qui verum Deum agnosceret & coleret. Contrarium enim evincunt, tùm rerum omnium exordia, quæ parva esse

T

solent & obscura; tùm exempla Melchisedecis & Jobi quos constat unum Deum coluisse, licet inter gentes idololatras viverent. Idem & de amicis Jobi rectè inferri posse videtur ex eorum verbis & sermonibus, qui nullatenùs idololatriam aut falsam de Deo opinionem referunt. Sed hæc de re obscurâ & incognitâ dictâ sufficiant.

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA.

DE

Enoch, Noë, Arcâ & Diluvio.

SECTIO PRIMA.

De Enoch.

DUo communiter circà Enoch inquiruntur. Primum est utrum mortuus sit; secundum ex hypothesi quod non sit mortuus, in quem locum fuerit translatus. Et quidem quod ad primum attinet, certum est Enoch non esse mortuum: licet enim Scriptura id non expresse asserat Genes. 4°. sed dicat simpliciter cum postquàm 365 annis vixisset non apparuisset, *quia tulit eum Deus:* Nihilominùs rem clarè definit Apostolus Hebr. 11°. ubi disertè testatur eum fuisse translatum *ne gustaret mortem.* Undè dubium non est quin Enoch à morte fuerit præservatus; quod ideò factum esse nonnulli putant, ut ejus exemplo demonstraret Deus, quanta fuisset hominis felicitas, si in statu innocentiæ perseverasset.

Sed multò major est difficultas, circà secundum, nimirum quem in locum translatus fuerit. Plerique Catholici docent communiter eum in Paradisum terrestrem translatum esse, ibique à Deo servari, donec in fine mundi indè

cum Eliâ veniat contrà Antichriſtum prædicaturus. Hanc autẽ ſententiam probant ex Eccleſiaſtici 44°. ỳ. 16°. ubi dicitur: eum traſlatum eſſe *in paradiſum ut det gentibus pœnitentiam.* Quod etiam confirmant ex Apocal. 11°. ubi de duobus teſtibus in fine mundi prædicaturis Scriptura loquitur; quos Enoch & Eliam eſſe communiter credunt. Hanc autem opinionem nonnulli adeò certam arbitrantur, ut eam in articulis fidei computare non erubeſcant. Cum autem ab iis quæritur quomodo potuerit Enoch tempore diluvii in Paradiſo permanere? Reſpondent non fuiſſe difficiliùs Deo ipſum ab aquis diluvij illæſum conſervare, quàm ei poſteà difficile fuit Eliam ab igneo curru incolumem reddere. Sed quia hæc opinio firmum non habet in Scripturis fundamentum, ideò plures alii tùm ex veteribus tùm ex recentioribus contendunt incertum eſſe quem in locum tranſlatus fuerit, docentque id curioſiùs non eſſe inquirendum, ſi quidem Scriptura in omnibus locis quibus de eo meminit id ſemper reticere voluit. Notant autem id quod ex Eccleſiaſtici 44°. adducitur in Græco textu non reperiri; ſed tantùm quod Enoch tranſlatus ſit in exemplum pœnitentiæ: ubi neque de Paradiſo, neque de prædicatione in fine mundi Scriptura meminit. Hanc autem ſententiam ſequuntur ex veteribus Chryſoſtomus, Theodoretus, & Rupertus. Ex recentioribus verò Serrarius & Cornelius à Lapide. Alii ut Genebrardus, Steuchus, Pererius, &c. qui Paradiſum terreſtrẽ aquis diluvii periiſſe putant, contendunt eum in aliquo ſecreto & amœno terræ loco, vel etiam, quod nonnulli malunt, in aliquâ cœli parte vivere. Videatur circà hanc quæſtionem Pererius ad calcem tomi primi comment. in Geneſim, quem legiſſe non pœnitebit.

Sed non eſt hic ſilentio prætereunda ſectariorum noſtri temporis opinio, quâ contendunt Enoch ab aſcenſu Chriſti in Cælum ad beatorum requiem ſimul cum Eliâ fuiſſe tranſlatum: quam ſententiam ut indubitatam apud ipſos teneri profitetur aliorum nomine Sixtinus Amama lib. 8. Antibarbari in fine. Verum iſta ſententia confutari poteſt tùm Apoſtoli, tùm Chriſti Domini teſtimonio. 1°. Enim Apoſtolus poſt Chriſti aſcenſum ad Hebræos ſcribens teſtatur; Enoch tranſlatum

esse, *ne gustaret mortem* ; quod clarè innuit needum tunc temporis quo scribebat, Enoch fuisse mortuum. Certum est etiam eum, si in Cælum Beatorum translatus esset, nunquam esse moriturum ; atqui id stare non potest cum immutabili decreto, quo in eâdem epistolâ scribit Apostolus statutum esse *omnibus hominibus semel mori*. 2°. De Eliâ testatur Christus Dominus Matth. 17°. Eliam in fine mundi venturum & omnia restituturum, hocque juxtà Malachiæ Prophetiam cap. 4. vers. 5. quod manifestè supponit, neque mortuum esse Eliam, neque ante finem mundi in Paradisum esse transferendum.

SECTIO SECUNDA.

De Noë, Arcâ.

QUOD spectat ad Noë, nihil dicendum occurrit, nisi per respectum ad Arcam quam fabricavit, & ad Diluvium, quod evasit. Itaque circà Arcam quæritur 1°. quænam fuerit ejus materia ? Respondeo in Hebraico textu haberi eam factam fuisse de lignis *Gopher*. Jam verò sunt, qui per *Gopher* intelligunt abietem, eò quòd propter levitatem maximè aptum esset ad ejusmodi fabricam. Alii autem intelligunt Pinum, alii verò Cedrum, alii denique Cypressum. Sed probabilius est vocem *Gopher*, quæ nullibi prætorquàm hoc loco in Scripturâ legitur, designare omnem lignorum speciem ad constructionem Arcæ idonæam. Neque enim credibile est in ædificii constructione Noë ad unicam lignorum speciem fuisse coarctatum. Septuaginta verterunt, *de lignis quadratis* ; Vulgata, *de lignis lævigatis* ; Scholiastes Græcus *de lignis imputribilibus*.

Quæritur 2°. quænam fuerit Arcæ magnitudo, & utrum omnia animalia nec non & escas quæ eis ad annum sufficerent, capere potuerit ? Respondeo magnitudinis Arcæ definitionem à verâ cubiti notione dependere. Cum enim tre-

centos cubitos in longitudine, quadraginta in latitudine, & triginta in altitudine habuerit, quàmprimùm mensura cubiti determinata fuerit, certa quoque Arcæ magnitudo habebitur. Sed non conveniunt inter se authores, quænam olim fuerit cubiti magnitudo. Alii enim majorem, alii minorem faciunt. Communior tamen & verior sententia eam mensuræ sesquipedali æqualem facit. Nonnulli catholici authores arbitrati spatium Arcæ nimis angustum fore, si cubitus ad mensuram sesquipedalem coarctaretur, docuerunt cubitos, de quibus Moses loquitur, fuisse cubitos Geometricos, qui nimirum sex cubitos consuetos continebant. Sed istam opinionem doctè confutant Joannes Buteo in descriptione Arcæ, & Torniellus ad annum mundi 1557. ubi clarè demonstrant spatium Arcæ statutâ sesquipedali mensurâ pro cubito, fuisse plusquàm sufficiens ad omne genus animalium & alimentorum capiendum. Docent igitur Arcam habuisse quatuor contignationes seu tabulata, qui à Græcis tristega vocantur. Primum tegebat spatium infimum quatuor cubitorum altitudinis, quod erat quasi sentina Arcæ, in quam omnium animalium fœces deciderent. Addunt his nonnulli illud spatium etiam lapidibus aut arenâ magnâ ex parte repletum esse, ad majorem Arcæ firmitatem.

Secundum novem cubitis altum continebat animalia quadrupeda per cellas diversas distributa, juxtà illud *mansiunculas in eâ facies.* Tertium octo cubitorum annonas, tàm pro animalibus, quàm pro hominibus conservabat. Quartum denique novem cubitorum ex parte quidem avibus destinatum, ex parte autem ab hominibus occupatum. Pars autem, quam homines occupabant, fenestram habebat, quam nonnulli volunt fuisse tantum unius cubiti, eò quòd in Scripturâ, postquàm dictum est: fenestram in Arcâ facies, statim subjungatur: *& in cubito consummabis summitatem ejus.* Sed manifestum est ex Hebraico textu, illud pronomen, ejus, non ad fenestram, sed ad Arcam esse referendum: siquidem vox Hebraica, quæ fenestram designat, est masculini generis; cum tamen pronomen sit fœminini.

Quæritur 3°. Quomodo intelligi debeat, quod de tecto

Arcæ in Scripturâ præcipitur his verbis : *& in cubito consummabis summitatem ejus ?* Respondeo plures esse Interpretum sententias circà hanc quæstionem. Alii enim volunt, ibi à Deo præscriptum esse ut summitas tecti Arcæ unius cubiti latitudinem contineret : sive ista latitudo esset tantùm in medio Arcæ, quæ formam piramidis exhiberet, ut volunt Origenes, Beda, & Abulensis ; sive per totam Arcæ longitudinem extenderetur, ut docet Cajetanus. Alii quindecim tantùm cubitos altitudinis Arcæ tribuentes, totidem tecto tribuunt. Alii volunt, nihil esse designatum per ista verba, nisi quod cubito, qui totius fabricæ mensura erat, tectum etiam esset metiendum, ut ædificatio Arcæ proportionaretur. Alii denique ut Joannes Buteo & Arias Montanus contendunt, tectum Arcæ non nisi uno cubito fuisse elevatum ; indèque Arcæ nomen habuisse, quia magis Arcam quàm navim præferebat.

Cæterùm idem Buteo ostium Arcæ sic factum fuisse putat, ut suprà primum tabulatum incipiens, in inferiorem animalium contignationem, simulque in cænacula aditum præberet ; sicque accommodatum, ut dum apertum erat, quasi pontem quo pateret in Arcam ingressus, exhiberet. Qui plura de Arcâ legere voluerit, consulat Ariam Montanum, Benedictum Peresium ; sed præcipuè Joannem Buteonem qui eruditorum judicio optimè omnium hanc materiam tractavit.



SECTIO TERTIA.

De Diluvio.

CIRCA Diluvium quæritur præcipuè, utrum universale fuerit? Author libri Præadamitarum inter alia paradoxa & temeraria dogmata, quibus opus ejus scatet, illud etiam astruere conatur, diluvium quo totum humanum genus periisse Scriptura testatur, nec universale fuisse, nec ultrà Palæstinæ partes se extendisse, aut alios quàm Judæorum progenitores delevisse. Sed facile est errorem istum ex Scripturis refellere, & universalitatem diluvii earumdem authoritate demonstrare. Nam ità clarè in sacro textu exprimitur universalitas diluvii; ut mirum sit quemquam, qui Scripturæ fidem adhibeat, eam posse in dubium revocare. Enimverò non solum ruptos fontes abissi magnæ & omnes cataractas Cæli apertas esse pronuntiat; sed etiam aquas diluvii ita universales fuisse, ut omnes montes, qui sub Cælo sunt, & operuerint & quindecim cubitis superaverint. Deindè refert durante diluvio expirasse omnem carnem, quæ reptabat super terram, volucrumque, pecudum & bestiarum. *Omne, inquit, cujus in naribus halitus erat spirationis ex universis, quæ degunt in sicco, mortuum est.* Quæ verba clariora sunt, quàm ut in alienum sensum detorqueri queant; aut de solâ Palæstinâ à Præadamitâ explicari. Prætereà idem constat ex Genes. 9°. ubi promittit Deus filiis Noë non fore ultrà diluvium dissipans terram, cunctisque diebus, quæ sequentur noctem & diem, hyemem & æstatem, frigus & æstum, semen & messem non cessatura. At nisi supponamus diluvium fuisse universale, ista omnia nullum habebunt sensum. 1°. Enim Deus cum iis iniit pactum suum de non inferendo ultrà diluvio, qui mox universam terram repleturi erant; ergo diluvium universam terram occupaverat. 2°. Promittitur continuatio tempestatum anni; ergo

tempore diluvii cessaverat ista series, proindéque diluvium universale fuerat. Sed & aliis Scripturæ locis eadem diluvii universalitas astrui potest, ut cum à Christo Domino clades diluvii comparatur ei quæ in fine mundi obventura est, diciturque sic futurum in consummatione sæculi *sicut factum est in diebus Noë cum diluvium omnes sustulit*. Aut cum 2. Petri 3. dicitur quod tempore diluvii, *mundus aquâ inundatus periit*.

Quod si rationem adjungamus iis quæ Scriptura refert de historiâ diluvii, non minùs evincetur illud universale fuisse. 1°. Enim id satis designat causa inducendi diluvii, nimirum generalis hominum corruptio, *omnis quippe caro*, inquit Scriptura, *corruperat viam suam*. Quomodo autem generalis corruptio deleri, & mundus renovari poterat, nisi generali punitione quæ omnes omninò deprehenderet? 2°. Si diluvium generale non fuisset, cur nonnisi per Arcam ex eo ereptus est Noë & filii ejus & cuncta animalia terræ? Quid opus fuisset tam grandem machinam, tantoque molimine per centum annorum spatium fabricare? cum multò faciliùs fuisset eum ex istâ inundatione liberare, jubendo ut ab iis regionibus recederet quæ inundandæ erant, & ad alias diluvio non delendas migraret: quemadmodum posteà Loth ex Sodomorum eversione ereptus est. Id certè multò meliùs istius Patriarchæ securitati & quieti consuluisset, quàm eum in Arcam per annum integrum includendo, fluctuum inconstantiæ committere. 3°. Cur jussus est Noë de cunctis animalium speciebus bina saltèm secum in Arcam introducere, ut semen eorum salvari posset, si diluvium universale non fuit? Num longè faciliùs genus animalium reparatum fuisset vel potiùs conservatum ab iis quæ in aliis regionibus residua fuissent? Quod si etiam gratis supponeremus solas regiones inundandas, animalibus præditas fuisse, nonne facilè poterant aves in alias evolare, & cætera animalia illuc pedibus secedere, maximè cum Dei consilio ista omnia regerentur?

His rationibus adjungi potest generalis memoria diluvii; quæ apud omnes gentes, ne ipsis quidem Americanis exceptis, conservata

conservata est, ut ex antiquis authoribus, Varrone apud Censorinum, Beroso apud Josephum, Abideno apud Eusebiū, Alexandro Polyhistore apud Cyrillum, Plutarcho, Nicolao Damasceno & Apollodoro apud Theophilum Antiochenum, Luciano & Molone apud eundem Eusebium, ostendit Hugo Grotius in notis ad librum primum de veritate Religionis Christianæ. Hæc enim generalis memoria manifestè demonstrat diluvium universale fuisse. Idem etiam probat generalis cognitio quam de tribus filiis Noë omnes gentes habuerunt. Undè enim ista cognitio nisi totum genus humanum ab illis fuisset propagatum? Porrò ista cognitio apud prophanos authores manifesta est. Semi quidem ut constat ex illo Ovidii.

An tibi Semo pater tu mihi sancus eris.

Chami verò seu Ammonis ut ostendit vulgatus Jupiter Hammon in Ægypto præsertim agnitus & cultus. Audax denique Japheti genus Horatio memoratum omnes norunt. Ex quibus omnibus patet quanta sit temeritas authoris novi systematis Præadamitici qui eam veritatem inficiari ausus est; de quâ ne ipsi quidem Pagani apud quos nulla erat Scripturæ sacræ authoritas in dubium revocarunt: sed necesse est ad pleniorem ejus confutationem, ut objectiones ejus diluamus. Itaque.

Objicit 1°. Diluvium inductum fuisse dumtaxat in punitionem filiorum Dei: ex quo infert non debuisse delere omne hominum genus, sed tantùm Judæos, qui nomine filiorum Dei censebantur. At certè contrarium apertè ostendit Scriptura, quæ filios hominum non minùs depravatos & impios fuisse docet quàm filios Dei. Disertè quippe asserit universam terram corruptam fuisse coram Domino. Neque Præadamitam juvàt quod asserit nomine terræ solam terram Judæorum, Palestinam scilicet, esse intelligendam: tum quia tunc temporis nulli erant Judæi: nec ex quo fuerunt, Palestina statim fuit eorum terra, donec Josüe ipsis eam tradidit in possessionem: tùm quia cùm ista de diluvio scribebat Moses in Palestinâ non erat, ut nomine terræ eam posset intelligere: (quanquam negari non possit quin ab aliis sacris scriptoribus nonnunquam indefinitè sic appelletur): tùm denique quia constat

diluvium operuisse Armeniam, quæ tamen à Judæa longè remota est. Quibus addi potest quod de montibus Tessaliæ refert Solinus, aperta in iis diluvii vestigia remansisse.

Objicit 2°. Columbam quæ ramum aut folium virentis olivæ in Arcam detulit satis ostendere diluvium universale non fuisse; siquidem non fuisset virens sed lutulentum, si in eâ regione resectum esset quæ diluvio fuisset inundata: sed futilis est ista objectio. Quid enim magis contrà rationem esse potest quàm fingere columbam multa milliarium centena emensam esse, ut istud folium inveniret; cum facilè potuerit folium quod à transacto diluvio viruerat decerpere. Si autem, ut vult Præadamita, sola Palestina inundata fuisset, cur de columbâ primitùs emissâ diceretur, quod *cum non invenisset ubi requiesceret pes eius in Arcam reversa est?* Cur etiam ex virenti folio intellexisset Noë quod cessassent aquæ diluvii super terram?

Objicit 3.° Gentes quæ post diluvium dispersæ sunt, non alias regiones præter Palestinam & vicinas provincias occupasse, præsertim cum non essent tanto numero ut omnes replere possent. Sed præterquàm Moses apertè docet contrarium Genes. 10°. id etiam clarè demonstrat Samuël Bochartus in idem caput: & licet terras omnes non statim repleverint, quia tamen eas incolere cæperunt, per suos saltèm nepotes eas impleverunt.

Sed antequàm ad alia transeamus juvabit hîc annotasse Isaaccum Vossium existimare aquas diluvii, etsi reverâ universum hoc Hemisphærium occuparint, nihilominùs ad inferius Hemisphærium seu Antipodas non penetrasse. Hinc autem suadere conatur quòd diluvium eo tantum consilio inductum sit ut omnes homines & cuncta animantia delerentur: atqui non erat, inquit, ad hoc necesse ut aquæ diluvii aliud Hemisphærium, in quo nec homines nec animalia adhuc erant, inundarent. Sed etsi maxima differentia statui debeat inter hanc & Præadamitæ sententiam; nihilominùs securius est communi sententiæ ut potè probabiliori & magis Scripturæ conformi insistere: maximè cum Christus & Apostoli non rarò diluvium & conflagrationem mundi quæ procul dubio

totam terram consumptura est, inter se conferant. Neque in iis quæ Scriptura refert in tantum suis conjecturis indulgendum est, ut ejus verba clara licet & perspicua in alienum sensum detorqueantur. Si enim quia solos homines & animantia Deus delere voluerat, non debuit diluvium inferius Hemisphærium penetrare, quidni etiam dicetur mediam tantùm aut quartam partem hujus Hemisphærii, quod necdum ita habitatum erat, occupasse?

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA.

DE

Melchisedece & Jacobo Patriachâ.

SECTIO PRIMA.

De Melchisedece.

CIRCA Melchisedecis personam qui Abrahamo benedixit à cæde Regum redeunti, quæritur quisnam ille fuerit. Sciendum est autem plures olim fuisse errores circà hanc quæstionem. Alii enim dixerunt eum fuisse Angelum, alii Spiritum Sanctum, alii denique Dei filium antequàm de Virgine nasceretur. 1°. errorem Origeni tribuit Hieronimus; 2. docuerunt Jerax Ægyptius & Theodorus Argentarius: tertium denique tenuerunt Heretici qui Melchisedeciani dicti sunt, contrà quos scripserunt Epiphanius & Augustinus. Illorum sententiam post Cunæum & Molinæum nuper amplexus est Jacobus Gaillardus Calvino-reformatus, in libro cui titulus est *Melchisedecus Christus, unus Rex justitiæ, Rex pacis*. Suam autem sententiam probat primò ex eo qu' d Melchisedech Abrahamo præstantior fuisse ab Apostolo memoretur; cum tamen nullus homo fuerit Abrahamo præstantior.

Secundò ex eo quod ab eodem Apostolo dicitur *Rex justitiæ & pacis*, quod de solo Deo asseri potest. Tertiò quia dicitur fuisse *sine Patre & sine matre*. Quartò quia Sacerdotium Melchisedecis dicitur fuisse præstantius Aaronico, quod tamen dici non potest si Melchisedech fuit tantùm simplex homo. Quintò quia Melchisedech non potest esse nomen proprium, siquidem ab Apostolo exponitur idem esse ac Rex justitiæ, seu Rex pacis. Sextò quia Christus asserit Abraham vidisse diem ejus : at hoc verificari nequit nisi Melchisedech fuerit Christus. Septimò quia Apostolus loqui incipiens de Melchisedece, dicit se habere multa de eo dicenda eaque difficilia explicatu : quod tamen de aliis qui Christi figuram gesserunt dici nequit. Octavò denique quia si Melchisedech qui erat *Sacerdos Dei altissimi*, fuit simplex homo, habuit ergo sub se populum fidelem, sicque Abraham dici non poterit *Pater omnium credentium*, nec explicari cur Patriarchæ noluerint matrimonia cum Chananæis jungere.

Sed difficile non est istas omnes rationes confutare, si supponamus quod docet Apostolus, Melchisedecem typum & figuram Christi gessisse : hoc enim supposito, facilè ista omnia consilianturcum sententiâ quæ statuit eum simplicem hominem fuisse. Ad primum enim respondetur duplici titulo Melchisedecem Abrahamo fuisse præstantiorem, nimirùm titulo regni, & titulo sacerdotii ; quamvis pietate eo non fuerit præstantior. Ad secundum Melchisedecem vocari Regem justitiæ & pacis, quia ejus figuram gerebat, non verò quia erat. Undè Apostolus non dicit quod Melchisedech reverâ fuerit Rex justitiæ, sed quòd nomen ejus Regem justitiæ significet. Ad tertium, quòd cum dicitur fuisse *sine Patre sine matre* id intelligi debet de patre aut matre in Scripturâ memoratis ; sed non absolutè quasi patrem & matrem non habuisset. Undè versio Arabica sic habet : *cujus Pater & mater non memorantur.* Ad quartum, Sacerdotium Melchisedecis in eo præstantius fuisse Aaronico, quòd typum gessit Sacerdotii Christi Aaronico procul dubio præstantioris. In eo autem typum gessit Sacerdotii Christi, quòd nulli

ſucceſſiſſe nec ullum ſucceſſorem in Sacerdotio habuiſſe legatur : quemadmodum in Aaronico filii Aaron ſibi ſucceſſiſſe referuntur, ut fusè diſputat ipſe Apoſtolus. Ad quintum, non eſſe minùs inconveniens quòd Melchiſedech ſit nomen proprium, licet ab Apoſtolo explicetur, quàm quòd Siloë, aut Cephas, quorum ſignificationem Scriptura interpretatur, fuerint nomina propria. Ad ſextum, non oculis corporis, ſed oculis mentis Abraham vidiſſe diem Chriſti, nimirùm quando voluit immolare filium ſuum, qui figuram gerebat Chriſti à Patre immolati. Ad Septimum, eaque Apoſtolus profitetur ſe habere dicenda de Melchiſedece, ſpectare comparationem Sacerdotii ejus cum Aaronico. Ad octavum denique, 1°. non ita certum eſſe an Melchiſedech etſi fidelis, populum fidelem ſub ſe habuerit. 2°. etiamſi id fateremur, id tamen non fore conſequens, quod infert objectio. Abraham enim dicitur Pater omnium credentium : non quòd primus fuerit fidelis, ſed propter tria quæ illi peculiaria ſunt. Primum quod de medio populi infidelis & idololatræ à Deo mirabiliter ereptus ſit. Secundum quod prior fuerit cui promiſſiones de Meſſiâ ex ejus progenie venturo factæ ſint. Tertium quod Pater ſit Judaici populi apud quem ſolum aliis omnibus deficientibus verus Dei cultus perſeveravit, juxtà illud *notus in Judæâ Deus* pſal. 75. Relictis Itaque hiſce nugis, ſtatuendum eſt ac pro certo tenendum Melchiſedecem licet in eo quòd figuram & typum Chriſti geſſit, præſtantiſſimus fuerit, non fuiſſe tamen niſi ſimplicem hominem. Id patet primò ex eo quod Scriptura in libro Geneſeos de eo tanquam de vero homine loquatur, ejus urbem deſignet, nempè Salem Chananæorum urbem : dignitatem patefeciat, nimirùm regiam ; ac officium denotet nimirùm Sacerdotale. At iſta omnia verum hominem deſignant, inprimiſque officium Sacerdotale : nam juxtà Apoſtolum *omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur*. 2.° idem probant ejus actiones, nimirùm quod Abrahamo occurrerit, & decimas ab eo acceperit, quodque ei panem & vinum obtulerit. Tertiò ex eo quod Apoſtolus de ipſo aſſerat *eum per omnia aſſimilatum eſſe filio Dei* ; id enim clarè probat, non ipſum

fuisse filium Dei, sed hominem ejus figuram gerentem. Idem etiam ostendit versus psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Itaque dubium esse non potest, quin Melchisedech homo fuerit. Sed difficultas est quisnam ille fuerit. Hebræi, teste Divo Hieronimo, volunt eum fuisse Sem. Idem docent Samaritani, referente Divo Epiphanio, hæresi 55. Hanc autem sententiam, quam non improbat ipse Hieronimus, secuti sunt ex Christianis Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Eugubinus, Rupertus, Galatinus, Genebrardus, & Torniellus. Suam autem sententiam probant primò quia Sem tempore Abrahami adhuc vivebat. Secundò quia Sem primogenitus fuit Noë; atqui eo tempore jus Sacerdotii ad primogenitos pertinebat, ut docet Divus Hieronimus in traditionibus Hebraicis. Tertiò quia Melchisedech major Abrahamo fuit; siquidem ipsi benedixit; atqui nullus eo tempore præter Sem major fuit Abrahamo. Sed leves sunt istæ rationes, facillimèque confutantur. Nam primò esto quod eo tempore Sem adhuc vixerit, an indè sequitur eum aut in Chananæâ habitasse, aut Regem Chananæorum fuisse? Secundò ut sileam valdè incertum esse ne dicam falsum Sem fuisse primogenitum Noë; falsum esse constat Sacerdotium penès solos primogenitos fuisse, cùm Abraham qui natu minimus erat nihilominùs sacrificia obtulisse legatur. Tertiò denique Melchisedech non dicitur fuisse major Abrahamo in sanctitate, sed in Sacerdotii officio & regia potestate conjunctis. Verùm enim verò manifestè ostendit Apostolus Sem non fuisse Melchisedech, cum asserit hunc fuisse sine genealogiâ. Cum enim Semi genealogia in Scripturis recenseatur, manifestum est ipsi convenire non posse quod de Melchisedece asserit Apostolus. Itaque relictâ istâ opinione probabilius est Melchisedecem fuisse unum ex posteris Chanaan filii Cham, qui Rex urbis Salem fuerit. Hanc sententiam tuentur Divus Hieronimus in Epistolâ ad Evagrium in quâ etiam citat Hyppolitum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Eusebium Emissenum, Apollinarium & Eustathium. Josephus libro primo antiquit. Judaic. cap. 11°. & lib. 7°. de bello Ju-

daico cap. 18. Hegesippus, Theodoretus, Oecumenius, aut alius ejus nomine in caput septimum Epistolæ ad Hebræos, & Cedrenus. Inter recentiores verò Ludovicus Tena & plures alii. Sed jam de Melchisedece satis.

SECTIO SECUNDA.
DE
Jacobo Patriarchâ

QUOD spectat ad Jacob Patriarcham, nihil nobis de ejus personâ dicendum occurrit, quod cuiquam mediocriter docto difficultatem facere possit. Sed celeberrima quæstio est inter Christianos & Judæos circà sensum benedictionis, quam moriturus Judæ filio suo impertivit. Christiani enim contendunt eam continere insignem de Christo venturo prophetiam quam ex defectione Regni Judæorum eorumque dispersione completam esse concludunt. E contrà Judæi recentiores nullum non movent lapidem, ut Prophetiam aliò detorqueant, & vim argumentationis Catholicorum eludant. Quapropter ut eorum pertinaciam retundamus, & prophetiæ veritatem stabiliamus, res paulò diligentiùs examinanda est. Primò igitur discutiendum est an verba Patriarchæ Jacob prophetiam de Messiâ contineant. Secundò quomodo ista prophetia intelligenda sit, & quando fuerit adimpleta. Sed prius verba prophetiæ hic adducenda sunt. Sic igitur se habent Genesis 49. in Vulgatâ : *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* In Hebræo verò, *non recedet sceptrum de Iuda neque dux de inter pedes ejus donec veniat Siloh, & ipsi obedientia populorum.*

Quod igitur ad primum attinet, convenit inter omnes tàm Judæos quàm Christianos verba quibus Jacob Patriarcha Judæ filio benedixit, insignem aliquam prophetiam continere. Difficultas est solum an ista prophetia Messiam spectet. Affir-

mant Christiani, negant recentiores Judæi. Sed facile est horum errorem, tùm ex ipsius prophetiæ verbis, tùm ex veterum Judæorum testimoniis demonstrare. Itaque in ipsius prophetiæ verbis tria tantummodo sunt quæ expositione videntur egere, nimirum *Sebeth*, *Mechokek*, & *Siloh*. Vocem *Sebeth* quam nos sceptrum transferimus, nonnulli virgam vertunt; quo nomine Judæi recentiores volunt intelligi virgam afflictionis, quâ Judæi usque ad Messiæ adventum puniendi sunt: aut saltèm, ut alii volunt, hoc nomine solum jus sceptri designatur. Sed certum est nihil aliud per vocem *Sebeth* quam sceptrum regium & supremam potestatem denotari, 1°. quia clarum est hic aliquid faustum & singulare prædici, quod tamen non esset si per istam vocem virga exactoris & afflictionis esset intelligenda. 2°. Ex paraphrasi Onkelosi, quæ de sceptro illam explicat, sic enim vertit: *non deficiet exercens Dominium*. 3°. Ex paraprasi Jonathanis, quæ sic habet: *non cessabunt Reges & Principes*. 4°. Ex Targum Jerosolimitano in quo sic habetur: *non cessabunt Reges*. 5°. Ex Talmude tract. San-hedrim pag. 5. colum. 1. 6°. Idem docent celebriores Rabbini. Rabbi Raschi, author libri Bereschith Rabba, Maimonides, Rabbi Bechai, Rabbi David Kimki, Rabbi Hischia, Salomo Urbinas, & alii; ergo cum isti doctores maximam habeant apud Judæos authoritatem, & paraphrases vix ipsi Bibliorum textui postponantur, nulla ratione inficiari possunt Judæi recentiores, quin per vocem *Sebeth* sceptrum & suprema authoritas apud Judæos ad Messiam usque permansura debeat intelligi. Nonnulli Judæi per vocem *Mechokek*, intelligunt habitatores Jabes qui sanctionum Synedrii custodes erant. Ita author libri Bereschith Rabba. Author libri Bereschith Ketsra duos scribas intelligit, qui semper adstabant Synedrio; Rabbi David Kimki intelligit scribas Regum, seu eos qui ipsis futuri erant à secretis. Sed communior sententia id intelligit vel de Legis doctoribus, vel de iis qui insignem aliquem gradum in populo obtinerent.

Sed præcipua difficultas est in voce *Siloh* quam Judæi mirum in modum torserunt ne Messiæ posset accommodari.

Sunt

Sunt qui per iſtam vocem locum aliquem intelligunt. Sunt qui perſonam deſignari volunt. Qui locum intelligunt, exponunt vocem *Siloh* per locum ubi Arca repoſita erat, in quo aliqui volunt unctum fuiſſe Saül. Alii verò Jeroboam, qui non erat de tribu Juda. Sed manifeſtum eſt, iſtam expoſitionem Scripturis contrariam eſſe. Præterquàm enim nec Saül nec Jeroboam in Silo regiam poteſtatem acceperunt; ſiquidem ille electus eſt in Maſphâ, confirmatus in Galgala, & unctus in Suph: hic autem in Sichem regiam poteſtatem adeptus eſt: præter hoc, inquam, clarum eſt, ſceptrum Juda tunc temporis nullatenùs defeciſſe, cum potiùs per mortem Saül in Davide emicuerit, & poſt mortem Salomonis in duabus tribubus uſque ad captivitatem perſeveràrit.

Qui verò per vocem *Siloh* perſonam deſignari putant, ex iis alii ad Moſem referant ut Bechai, alii ad Saülem, alii ad Davidem ut Aben Eſra; alii ad Jeroboam, ut Chaskumi, alii ad Nabuchodonoſor, alii ad Ahiam Sylonitem, ut Hyſkia, alii ad Herodem ut Herodiani, alii denique ad Veſpaſianum ut Joſephus lib. 6. de bello Jud. cap. 31°. Sed non eſt neceſſe in his omnibus opinionibus confutandis immorari; cum paraphraſes Onkelos, & Jonathæ, nec non & Targum Jeroſolimitanum id apertè de Meſſiâ exponant. Sic enim habet Onkelos: *uſque dum veniet Meſſias.* Jonathas verò & Targum Jeroſolimitanum, *uſque ad tempus quo veniet Rex Meſſias.* Idem habet & Talmud tract. San-hedrim cap. 12. Rabba in Geneſ. Raſchi, Salomon Jarchi, R. David Kimki & alii. Undè patet Judæos negare non poſſe iſtam prophetiam ad Meſſiam ſpectare; quin ſuas paraphraſes quas in omnibus tanti faciunt, rejiciant, & celebriores gentis ſuæ magiſtros ac doctores quos tàm impensè venerantur, deſerant.

Quod ſpectat ad ſecundum, nimirùm quomodo hæc prophetia exponi debeat, duæ ſunt potiſſimum ſententiæ. Alii enim eam de ſolâ tribu Judâ exponunt, contendentes poteſtatem & ſceptrum in illâ tribu abſque notabili interruptione perſeveraſſe uſque ad tempora Herodis, ſub quo

potestate Judæorum deficiente, & sceptro ad alienigenam transeunte, Messias juxtà Jacobi vaticinium advenit, & omnes Prophetarum prædictiones adimplevit. Alii verò licet de tempore quo finem habuit prophetia cum his omninò conveniant aut ab illis parum discrepent, in modo tamen ab illis recedunt, contenduntque prophetiam non esse in solâ tribu Judâ coarctandam; sed ad totam gentem Judæorum, cum aliquâ tamen prærogativâ in tribu Juda extendendam.

Cum autem utraque sententia doctissimos viros propugnatores habeat, quorum rationes spernendæ non sunt: ideò utriusque præcipua fundamenta hic referemus. Itaque qui prophetiam Jacobi de solâ tribu Juda intelligendam, & in eâ solâ completam esse volunt, spatium omne quod à Davide, sub quo prophetiæ initium statuunt, ad Herodem Ascalonitam effluxit, in quatuor partes dividunt. Prima comprehendit tempus quod à Davide ad captivitatem usque fluxit. Secunda annos captivitatis. Tertia, spatium à solutâ captivitate usque ad mortem Nehemiæ. Quarta denique incipiens ab obitu Nehemiæ desinit in Herode sub quo natus est Christus. Sic autem probant sceptri possessionem in solâ tribu Juda per totum istud spatium. Nulla est difficultas à tempore Davidis ad captivitatem usque; cùm de eo consentiant omnes. Nulla etiam esse potest pro tempore ipso captivitatis, Scriptura enim testatur Hierem. 52. Jechoniam à Rege Babylonis exaltatum fuisse, & thronum ejus antepositum *omnibus Regum soliis qui erant in Babylone*. Idem posteà Danieli factum testatur Dan. 2. ℣. 48. cap. 5. ℣. 29. & cap. 6. primùm quidem sub Nabucodonosor, deinde sub Balthasar posteà sub Dario, ac tandem sub Cyro. Atqui Jechonias & Daniel erant de tribu Juda Dan. 1°. Joseph lib. 10. cap. 11. Ergo clarum est quod tempore ipsius captivitatis tribus Juda principatus successionem habuerit. A captivitate verò ad Nehemiam usque Zorobabel & alii Principes de tribu Judâ principatum obtinuerunt inter Judæos, ut patet ex libris Esdræ & Nehemiæ. Et licet expressum non habeamus in Scripturâ successores Zorobabelis aut ipsum Nehemiam fuisse de tribu Juda: in hoc tamen habemus consen-

tientes Judæos, qui docent Principes exulum, quales fuerunt Zorobabel & Nehemias, fuiſſe ex progenie David. Denique à morte Nehemiæ uſque ad Herodem nonnulli principatûs durationem in Juda petunt ex uxoribus Aſſamonæorum, quas de tribu Juda fuiſſe affirmant. Sed præterquàm gratis affirmant, & abſque ullâ authoritate Aſſamonæorum uxores fuiſſe de tribu Juda; certum eſt iſtam uxorum ſucceſſionem, ſi qua fuiſſet, non potuiſſe ſufficere ad continuationem ſceptri in familiâ David, cum notum ſit familiam matris apud Judæos non vocari familiam. Alii ergo, ut rem meliùs explicent, recurrunt ad Synedrium quod volunt apud Judæos ſupremam habuiſſe authoritatem. Docent igitur duos ſemper fuiſſe Principes in Synedrio, unum ſummum Sacerdotem, & alium Principem de tribu Juda, quem ultimum maximam ac ferè ſupremam habuiſſe contendunt in ipſo Synedrio authoritatem. Utrumque autem probant ex R. Abraham in Cabalâ Arabath folio 98. & R. David Zemach folio 35. ubi ſic habet: *mos erat Hyeroſolimis, quandiù eſſet Regnum ex familiâ Aſmonæorum, & poſt eos è familiâ Herodis ecce ſemper fuit Princeps ex domo David: nam Rex curabat exercitum & res bellicas. Verùm quæ ad legem pertinebant ſtatutaque & judicia, ad nutum Pontificis & Principis ex familiâ David adminiſtrabantur.* Ex quibus patet continuam fuiſſe ſucceſſionem Regum & Principum in tribu Juda à tempore Davidis uſque ad Herodem. Atqui non minùs certum eſt à tempore ipſius Herodis ipſam Synedrii poteſtatem ceſſaſſe, & ad nihilum redactam eſſe. Id patet ex Evangelio, ubi fatentur Judæi ſibi non licere quemquam occidere. Probatur etiam tùm ex Rabbinis, qui docent Herodem occidiſſe omnes Rabanam & extinxiſſe ſolem mundi: tùm ex Talmude tractatu San-hedrim cap. 5.° ubi fatentur quadraginta annis ante devaſtationem templi Synedrio ablatam fuiſſe poteſtatem judicandi in criminalibus. In diebus verò Rabbi Simeonis filii Jochai ablata eſſe judicia pecuniaria. Ex quibus omnibus contendunt authores hujus ſententiæ, rectè concludi Meſſiam ſub temporibus Herodis adveniſſe; ſiquidem tunc temporis ſumma poteſtas, quæ apud Judæos ad Meſſiam

uſque permanſura erat, penitùs iis ablata eſt.

☞ Qui autem contendunt prophetiam iſtam de ſolâ tribu Juda non eſſe intelligendam, ſed de totâ gente Judæorum, multò faciliùs rem paucis explicant. Dicunt enim regiam poteſtatem in tribu Juda & familiâ David permanſiſſe uſque ad captivitatem: à captivitate verò nonnullos Duces & Principes exercitus, Judæis reducibus aliquandiù præfuiſſe; his verò ſucceſſiſſe ſummos Sacerdotes in rerum adminiſtratione, donec ad Aſſamonæos tranſiret ſumma poteſtas, & totius Reipublicæ cura. Quæ poteſtas cum jamdiù regia eſſet, Regni etiam titulum & poteſtatem adepta eſt, eamque eo uſque ſervavit, donec Herodes Aſcalonita Antipatris Idumæi filius Regnum Judæorum, Romanorum favore & ope obtinuit. Quo tempore cùm Regnum ad alienigenam tranſiſſet, adfuit tempus; quo juxtà Jacobi vaticinium Meſſias etiam adeſſe debebat. Alii nihilominùs nec incongruè Reipublicæ Judaicæ ſtatum perducunt uſque ad totalem ejus deſtructionem à Veſpaſiano & Tito factam non multis annis poſt Chriſti paſſionem. Suam autem ſententiam fundant, 1.° in eo quòd verſio τῶν ὁ expreſsè habeat non defuturos, qui Judaicæ Reipublicæ præſint, *Donec veniat cui repoſita ſint.* id eſt Meſſias. 2.° In eo quod Judæi non deſtiterint efficere populum diſtinctum à reliquis gentibus, qui ſuis legibus & moribus regerentur, donec à Veſpaſiano vaſtati per totum terrarum orbem diſperſi ſunt.

Cæterùm ut circà genuinum Prophetiæ ſenſum, quid nobis videatur aperiamus; licet prior expoſitio probari fortaſſe poſſit Judæis, argumento quod vocant ad hominem, fatendum eſt nihilominùs poſteriorem clariorem eſſe, minùſque intricatam. Undè non dubitamus eam priori eſſe preferendam, quemadmodum eam de facto prælatam eſſe à pleriſque Patribus cernimus. Eam enim amplectuntur Chriſoſtomus, Juſtinus martyr, Euſebius, Auguſtinus & alii. Vixque ullus inter veteres, præter Cyrillum Alexandrinum, priori ſententiæ adhæſiſſe reperietur.

Unum tamen eſt, quod adversùs poſteriorem illam expoſitionem facere videtur, nimirùm ex eâ ſequi Jacobum

Patriarchā nihil peculiare de Judâ in ipſius benedictione prædixiſſe; cum tamen clarum ſit ex Scripturâ Jacobum ſingulis filiis peculiare aliquid prædixiſſe. Sed facilè reſpondetur, ſic toti Judæorum genti communem fuiſſe Judæ benedictionem, ut tamen ipſi etiam peculiaris fuerit, eumque magis quàm cæteros reſpexerit. 1°. In eo quòd ſoli filii Juda â Davide uſque ad captivitatem, regiam dignitatem obtinuerint. 2.° In eo quod poſt captivitatem, cùm ad aliam tribum poteſtas tranſire cæpit; nihilominùs tota gens à Judâ nomen ſortita eſt, tuncque primùm Iſraelitæ cæperunt Judæi cognominari. 3°. In eo quod licet alii quàm de tribu Juda principatum tenerent, in ipsâ tamen tribu Juda principatus ille, uſque ad deſtructionem Judææ perſeveravit.

DISSERTATIO DECIMA NONA.

DE

Poligamiâ Patriarcharum.

VETERIS Teſtamenti libros evolventi nihil frequentiùs occurrit, quàm uxorum pluralitas. Neque ſolùm in iis viris reperitur, quorum vitam Scriptura reprehendit; ſed in his etiam, quos tanquam viros ſanctiſſimos & legi Dei in omnibus addictos repræſentat. Undè meritò quæritur, an talis Polygamia ante Legem, aut etiam Legis tempore fuerit prohibita. Circà quod ſciendum eſt, Manichæos implacabiles veteris Teſtamenti hoſtes docuiſſe Abrahamum, Jacob, & alios, graviter peccaſſe, cum plures duxerunt uxores. Contrà quos paſſim diſputant tùm Auguſtinus, tùm alii Patres. Ita tamen perplexè & operosè hâc de re loquuntur, ut in quæſtione tàm lubricâ quaſi difficultatis mole obruti, interdùm videantur ita loqui, ut adulterium agnoſcant; ſed tale quod excuſationem mereatur. Sic Ambroſius lib. 1°. de

Abrahamo cap. 4. Respondet adulterium illo tempore nondum fuisse lege prohibitum, eàque etiam ratione excusari posse, quòd Abraham duxerit Agar consentiente Sarâ, non ardore libidinis, sed amore posteritatis. Similia ferè tradit sanctus Augustinus. Sed hæc difficultas aliter resolvi nequit, nisi definiatur, utrùm lege naturæ prohibita sit nec ne uxorum pluralitas. Si enim Polygamia contrà legem naturæ pugnet, mala est in se, vixque concipi potest quomodo Deus in illâ dispensare possit; cum neque se ipsum negare, nec quod ex suâ naturâ malum est, bonum reddere possit, ut plerique Theologi probant in tractatu de legibus.

Itaque duæ sunt Theologorum circà Polygamiam sententiæ. Prima est Estii, Bellarmini & plerorumque scolasticorum, qui licet fateantur pluralitatem uxorum non esse contrà finem primum matrimonii, nimirùm prolis procreationem & educationem, contendunt tamen eam jure naturali prohibitam esse, eo quòd repugnet fini secundario matrimonii; nimirùm mutuo conjugatorum obsequio & bonorum communicationi.

Secunda est Durandi Tostati, Joannis Gerson, Cajetani, & nonnullorum aliorum: qui docent Polygamiam jure naturæ non esse prohibitam, quorum sententia cum probabilior nobis videatur, eam hic tueri aggrediemur. Itaque.

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ de multitudine uxorum tanquam de re licitâ loquitur. Deuter. 21°. dicitur: *si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, & aliam odiosam, habueritque ex eis filios, & filius odiosæ fuerit primogenitus, volueritque substantiam dividere inter filios, non poterit filium dilectæ facere primogenitum.* Advertendum enim est, hoc in loco non agi de aliquo privilegio: siquidem de quocumque homine loquitur Scriptura. Sic etiam Deuter. 25. præcipitur generaliter & absque ullâ conditione, ut quoties aliquis absque liberis defunctus fuerit, frater defuncti accipiat uxorem, ut suscitet semen fratri suo. Sic denique 2. Reg. 12°. Deus exprobrat Davidi, *quod ipsi dederit uxores Domini sui.*

Confirmatur. Quia videmus eos, qui acceperunt plures

uxores nullam expectasse revelationem Dei, aut dispensationem. Sic Abraham accepit Agar, sic dum Laban Jacobo Rachelem secundò obtulit, non excepit Jacob illicitum esse habere plures uxores simul; sed eam accepit absque ullâ cunctatione. Similiter cùm David audivit mortuum esse Nabal, licet jam uxoratus, statim accepit uxorem ejus. Adde quod nullibi Scripturarum legimus ejusmodi dispensationem, nec Patres de eâ ullatenùs meminerunt: sed tantùm aliqui posteriorum temporum scolastici.

Probatur 2°. authoritate Sanctorum Patrum, inter quos primus occurrit Ambrosius, qui lib. 1°. de Abraham cap. 4. sic habet: *cum Abraham duxit Agar, non commisit in legem, sed legem prævenit.* Quibus verbis manifestè supponit Ambrosius nondum fuisse legem, quæ pluralitatem uxorum vetaret. Idem docet Augustinus lib. 16. de civit. cap. 38. Eo inquit, *tempore multiplicandæ posteritatis causâ, plures uxores lex nulla prohibebat.* Et lib. 22°. contrà Faustum cap. 47°. *Peccata*, inquit, *alia sunt contrà naturam, alia contrà morem, alia contrà præcepta: quæ cùm ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed generandi causâ illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque illis terris factitabatur: si præceptum, nullâ lege prohibebatur.* Idem docet lib. 3°. de Doctrinâ Christianâ cap. 10. *Suscipiendæ*, inquit, *prolis causâ erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* Idem etiam expresè docet Theodoretus quæstione 66. in Genes. ubi ait: *Rogavit Sara sterilis Abraham, ut cum Agar conjungeretur, quo ipsa liberos indè susciperet. Quid quæso in eâ re peccavit Abraham? maximè cùm neque natura, neque lex ulla tunc scripta plures uxores ducere prohiberet.* Similia habet Divus Hyeronimus in Epistolâ ad Oceanum, ac denique Hildebertus Cœnomanensis in Carmine de conjugii Sacramento in utrâque Lege, ab Homeio nuper edito ubi ita habet:

Hinc etiam plures uni nupsere marito,
Non solùm quia quæque parens non inveniebat,

Sed quia Messiam proles paritura placebat.
Tu genitrix Isaac venturi præscia Christi ,
Conjugi sociam patienter sustinuisti ;
Ante datam legem , Iacob & Rachel & Lia nupsit.
Vxores sub lege duas simul Helcana duxit ,
Quæsita est soboles nec affectata voluptas.
Temporis illius si vis attendere nuptas ,
Non sibi , sed generi matrona satisfaciebat.
Hinc uni multa , non multis una maritis
Hæserunt. &c.

Probatur 3°. Quia si Polygamia esset contrà legem naturalem , Deus in illâ dispensare non potuisset cum antiquis Patriarchis. Deus enim juxtà probabiliorem Theologorum sententiam , in tractatu de legibus , non potest dispensare in lege naturæ, quia non potest approbare & positivâ voluntate licitum facere , quod in se & naturâ suâ malum est ; ergo si Polygamia legi naturæ contraria esset , dicendum foret antiquos Patriarchas in perpetuo adulterio vixisse , in eoque mortuos esse , quod tamen nec tolerari , nec cum certâ eorum salute conciliari potest.

Objicitur 1°. Pluralitas uxorum contraria est institutioni matrimonii in Paradiso terrestri ; ergo & legi naturæ. Probatur antecedens Genes. 1°. ubi Scriptura unius tantùm uxoris cum uno viro meminit ; *masculum & fœminam creavit eos. Et erunt duo in carne una.* Respondeo , quòd licet primum matrimonium sit tantùm unius viri cum unâ uxore : nihilominùs pluralitas uxorum non est contrà finem matrimonii, nimirùm procreationem liberorum, eorumque educationem. Fatemur tamen istam pluralitatem aliquatenùs degenerare à perfectione primi matrimonii inter unum & unam.

Objicitur 2°. Si licita esset Polygamia jure naturæ, eâ usi essent Patriarchæ ante diluvium , nec non etiam statim post diluvium ; quando necesse erat genus humanum multiplicari , sed eâ usi esse nullatenùs reperiuntur ; ergo &c.

Respondeo 1°. Nullatenùs probari posse priores Patriarchas non habuisse plures uxores , cum non omnia eorum acta conscripta

conſcripta ſint. 2°. Nihil contrà nos inferri poſſe, etiamſi fateremur eos ſingulares uxores habuiſſe; ſiquidem concedimus talia matrimonia perfectiora eſſe: quod tamen non impedit, quominùs Abrabam & Jacob viri ſanctiſſimi, plures uxores habere potuerint. 3°. Aliam etiã afferri poſſe rationem, cur primi Patriarchæ plures uxores non habuerint, nimirùm quod eo tempore tot ferè naſcerentur maſculi, quot fœminæ.

Cæterùm poſt diluvium Polygamia omnibus paſſim hominibus licita erat ad humani generis propagationem. Nec enim ſolis Magnatibus & Principibus, ſed etiam plebeiis hominibus, ut conſtat ex Deuter. 21°. & 1. Reg. 1. neque ſolum apud Judæos, ſed etiam apud Gentiles id licitum cenſebatur, ut ex Laban, qui duas filias Jacobo uxores tradidit; & ex Eſaü, qui duas uxores duxit gentiles. Hinc Athenienſes teſte Hyeronimo Rhodio apud Medinam lib. 4°. de Sacrorum hominum continentiâ cap. 4°. duas admittebant uxores ſimul. Hinc Socrates ipſe duas uxores habuit. Hinc denique permiſit Julius Cæſar, ut narrat Suetonius in ejus vitâ. Ex quibus tamen malè quis inferret etiam in novâ lege eandem uxorum pluralitatem Chriſtianis licitam eſſe. Contrarium enim patet 1°. Ex eo quod Chriſtus Dominus Math. 19°. & Marci 10. juxtà primam inſtitutionem inter duos tantùm vult conſtare matrimonii Sacramentum. 2°. Ex eo quod idem Chriſtus Lucæ 16. abrogat libellum repudii, prohibetque ne quis uxorem dimittat, aut dimiſſam ducat. Si enim, qui dimiſsâ uxore alteram duxit, mœchatur, ut affirmat Chriſtus, multò magis, qui eâ retentâ alteram ei ſuperinducit. 3°. Ex iis, quæ de matrimonio habet Apoſtolus 1. ad Corinth. 7°. 4°. Ex eo, quod matrimonium in lege novâ ſit Sacramentum unionis Chriſti cum Eccleſiâ, ut non niſi in unâ uxore iſta unio repreſentari poſſit: ſiquidem pluralitas unitati Eccleſiæ adverſatur. 5°. Ex communi doctrinâ Patrum, qui eandem veritatem paſſim inculcant, ut Siricii Papæ, Auguſtini, & aliorum &c. in cap. 19um. Mathæi. Undè eandem ſententiam tanquam fide certam definivit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24a. can. 2°. his verbis: *Si quis dixerit*

Christianis licere plures habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.

Quæritur, utrùm omnes Patriarcharum uxores essent legitimæ? Plerique vulgò negativè respondent; tùm quia nonnullæ earum vocantur concubinæ, aliquandò & ancillæ: tùm quia Ismahel filius Agar, non fuit hæres Abrahæ, utpotè ex ancillâ natus: cum tamen hereditare debuisset, quippe qui primogenitus erat Abrahæ, ex hypothesi quod Agar esset vera uxor. Nihilominùs respondeo affirmativè, tùm quia Scriptura passim eas uxores appellat: tùm quia id de nonnullis certum est ut de Rachel, de Liâ, de Annâ & Phenennâ &c. Nec obstat, quod nonnullæ uxores aliquando concubinæ & ancillæ dicantur: id enim nihil aliud denotat, quàm eas non fuisse uxores æqualis dignitatis cum aliis, nec in consortium bonorum adscitas: sed tantùm ad procreationem liberorum assumptas. Ex quo etiam sequitur earum filios non debuisse heredes institui, sed assignatâ sibi à patre familias portione contentos esse. Quod olim etiam apud Gentiles factitatum esse author est Agellius lib. 18. cap. 16.

DISSERTATIO VIGESIMA.
DE
Job Patriarchâ & ejus libro.

CUM sententiâ communi omnium ferè Interpretum receptum sit, Jobum Patriarcham labente tertiâ mundi ætate vixisse: ideò hic, quæ ad ipsum pertinent attingenda & discutienda esse arbitramur. Primum itaque circà Jobum inquirendum occurrit, an verè aliquando extiterit? Quæstioni occasionem præbuerunt Talmudistæ, quibus Anabaptistæ hac in parte adstipulantur. Negant enim ullum unquam hominem extitisse cui ea contigerint, quæ de Jobo Scriptura

commemorat; undè ejus historiam fabulis accensendam esse pronuntiant: nec longè ab illorum sententiâ recedit Lutherus cum in convivalibus sermonibus titulo de Patriarchis & Prophetis, asserit Jobum tanquam fabulæ figmentum, propositum esse ad patientiæ exemplum. Sed hujus sententiæ temeritas & falsitas multis argumentis ostendi possunt.

Primò ex Scripturâ in quâ de eo pluribus in libris specialis fit mentio. Sic Ezech. 14. ỷ. 14. dicitur: *Etsi fuerint tres viri in medio ejus Noë, Daniel & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas*: neque enim Job cum Noë & Daniele conferretur, si nunquam extitisset. Sic Tobiæ 2. ỷ. 12. *Hanc tentationem ideò permisit Deus evenire illi ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus sicut & Sancti Iob.* Ibidem ỷ. 15. *Nam sicut Beato Job insultabant Reges, ita isti parentes & cognati irridebant vitam ejus.* Sic etiam in novo Testamento Jacobi. 5. ỷ. 11. *patientiam Iob audistis, & finem Domini vidistis quia misericors Dominus & miserator.*

Secundò ex ipso libro Jobi in quo non solùm ejus nomen refertur, sed etiam regio ex quâ oriundus erat, uxor ejus, numerus filiorum & filiarum ejus memorantur: quantitas etiam facultatum, boum, asinorum, camelorum, &c. recensentur: immò anni & dies vitæ ejus numerantur. Denique amicorum ejus non solùm nomina, sed etiam genus ipsorum, familia & patria referuntur. At quis ullius historiæ unquam veritatem affirmare audeat, si tot testimonia & adjuncta loci, temporis, ætatis, & personarum &c. ad hujus veritatem affirmandam non sufficiant.

Tertiò ex testimonio utriusque Ecclesiæ, Græcæ videlicet & Latinæ, quæ in suis Martyrologiis & Menologiis Jobi specialem mentionem facit, sicut aliorum Patriarcharum & Prophetarum. Quamvis enim talium librorum authoritas non sit irrefragabilis: nihilominùs indè sufficienter indicatur ex utriusque Ecclesiæ traditione, certum haberi Jobum fuisse verum aliquando hominem, nec ejus historiam fictitiam esse.

Quartò denique ex eo quòd nonnulli authores referunt etiamnùm extare in Arabiâ Jobi sepulchrum, ibique indigenas

anniversariis honoribus Jobi coronas prosequi. Ita Nicetas qui catenam Patrum Græcorum composuit, in præf. Adricomius in theatro terræ sanctæ in Manasse num. 78. & alii ab eodem Adricomio relati. Neque obstat hujus historiæ veritati Josephi silentium; cum enim Josephus reipublicæ duntaxat Judaicæ historiam texeret, non erat ejus instituti, ut de Jobo, qui non Judæus sed Idumæus extitit, mentionem ingereret.

Quæritur 2°. quis ergo fuerit Job, & quo tempore vixerit.

Respondeo duplicem esse sententiam circà Jobi genealogiam. Prima est Hebræorum quam sequuntur Hieronimus in traditionibus Hebraicis, & Rupertus, qui originem Jobi repetunt à Nachor Abrahami frâtre, cujus primogenitus fuit Hus ut patet ex Genes. 22. ℣. 21. ex cujus stirpe Jobum genitum fuisse asserunt. Secunda est plerorumque veterum & recentiorum docentium Jobum ex familiâ Esaü ortum esse. Horum autem sententia probabilior nobis videtur.

Primò quia Scriptura Genes. 38. inter filios Esaü *qui regnarunt in terrâ Edom* recenset Jobab, quem eundem fuisse cum Jobo constat ex additione græcâ quæ legitur in fine libri Job. Quæ quidem appendix, licet non sit canonica; cum tamen sit antiquissima, ut potè quæ in versione Theodotionis locum habet, & in omnibus Græcis exemplaribus reperitur, insuper & ab Origene citatur in Epistolâ ad Africanum, maximam habet authoritatem. Sic autem habet ista additio: *Hic Iob interpretatione redditur ex libro Syriaco, in terra quidem Ausitide habitans in finibus Idumeæ & Arabiæ, & erat ei nomen Iobab. Cum autem accepisset uxorem Arabissam, genuerat filium, cui nomen Eurumon. Erat autem ipse ex patre quidem Zara de filiis Esaü, matris autem Bosalez, ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges qui regnarunt in Edom, cujus regionis etiam ipse dominatus est: amici autem qui ad eum venerunt Eliphas de filiis Esaü Themanorum Rex, & Baldad Tyrannus Sochaeorum, & Sophar Rex Minæorum.*

Secundò omnes ferè Sancti Patres hâc authoritate nixi

affirmant Job unum fuisse de posteris Esaü. Ita Origenes in Epistolâ ad Africanum. Eusebius lib. 9. de præp. Evang. qui etiam pro suâ sententiâ citat Aristæam antiquissimum Scriptorem, qui ita habet: *Iob fuit filius Esaü, habitavitque in Idumeæ & Arabiæ finibus, in justitia & divitiis præcipuus.* Athanasius in Sinopsi, ubi asserit Job fuisse quintum ab Abrahamo. Chrisostomus Homilia 2ª. de Patriarchâ Job ubi ait: *Scriptura dicit Beatum Iob fuisse de terrâ Hus provinciæ Esaü, quo discas quibus ex malitiæ scholis quintus veritatis fructus eruperit. Nam Scriptura quintum ab Abrahamo facit ipsum Iob, Abraham quippe genuit Isaac, Isaac Esaü, Esaü Rahuelem, Rahuel Zaram, Zara Iob. Successionem ergo ab Abraham per Esaü habuit S. Iob.* Ita Chrisostomus. Similia habent Augustinus, Theodoretus, & alii â Nicetâ adducti in Catenâ in Job. Tertiò idem confirmatur ex eo quòd Scripturâ testante, Job erat *de terra Hus*: Atqui terrâ Hus erat in regione Edom, seu in Idumeâ, quæ ad posteros Esaü pertinebat, ut patet ex Thren. 4°. ubi habetur: *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perveniet calix inebrians atque nudaberis.* Constat igitur aut saltèm admodum probabile est Jobum ex familiâ Esaü ortum esse: at quo tempore non adeò certum est. Conjici tamen potest eum vixisse circà tempora Mosis, ante datam legem Israëlitis; cum in toto ejus libro nulla Legis mentio fiat. Certè Jobum antiquissimum esse, longissima ejus ætas satis demonstrat. Existimavit tamen Divus Gregorius Jobum vixisse tantùm tempore Judicum. Talmudistæ tradunt Jobum eo anno natum fuisse, quo Jacob descendit in Ægyptum; mortuum autem anno quo Israëlitæ indè exierunt: sed Talmudistarum hâc in parte, sicut & in aliis, levis est authoritas.

Objicies cum S. Hyeronimo, contrà Jobi genealogiam. Moises Gen. 22. narrat Hus fuisse primogenitum Nachor; atqui ab illo Hus originem ducit Job: siquidem in ejus terrâ natus est; ergo &c. Respondeo terram Hus non à filio Nachor, sed ab alio Hus fuisse cognominatam. Tres enim

hujus nominis viri in Scripturâ reperiuntur. Primus est filius Haram unus ex Semi nepotibus Gen. 10. à quo ipse Hieronimus in tradit. Hebra. vult habitatam fuisse terram Hus. Secundus est filius Nachor de quo Genes. 22. ℣. 21. Tertius est unus de posteris Esaü de quo Genes. 36. ℣. 28. à quo terram Hus cognominatam fuisse admodum verisimile est. Nec obstat quod fortassis post tempora Jobi vixerit ; neque enim certum est tempore Jobi regionem appellatam fuisse terram Hus ; sed sufficit modò id nomen acceperit , antequàm liber Jobi scriberetur.

Quæritur 3°. Quis fuerit author libri Job. Respondeo id omninò incertum esse. Alii Jobum ipsum hujus libri authorem faciunt , alii Moysi illum tribuunt , alii Salomoni , alii Isaïæ , alii Jeremiæ , alii cuidam Prophetæ Idumæo , alii denique alicui Prophetæ ex captivitate Babilonicâ. Jobo illum tribuunt Origenes , Gregorius & Suidas , Moysi Talmudistæ, author posteriorum commentariorum in Job , Methodius apud Photium , Polychronius , & Dyonisius Halicarnassæus à Nicetâ relatus. Hujus quoque sententiæ videtur esse Hieronimus præf. 2 . in Job , cum tamen ejus verba satis obscura sint. Salomoni tribuunt Gregorius Nazianzenus , nec non Olympiodorus citatus à Nicetâ. Sed cum omnes istæ sententiæ vix ullum aliud fundamentum habeant præter conjecturas , easque levissimas , multò meliùs & satiùs est hâc in re judicium cohibere , quàm in re tàm dubiâ quidquam definire. Hugo Grotius putat illum librum post Salomonis , & ante Ezechielis tempora scriptum esse , eo quòd nonnulla ex psalmis & Salomonis libris in libro Job imitata esse videantur. Sed quis Grotium docuit non ex libro Jobi potius Davidem & Salomonem quædam imitatos esse , quam authorem libri Job ex Salomone & ex Davide ? Undè non magis probabilis est hæc ultima sententia quàm diversæ opiniones aliorum. Nonnulli tandem recentiores mediam ineunt viam , docentque Jobum ad meliorem fortunam redactum diaria quædam historiæ suæ scripsisse , quæ circà tempora Salomonis ab Hebræo quodam , elegantiori stylo , in Hebraicum sermonem sunt translata. Sed ut ista sententia non

ſit omninò improbabilis, fatendum tamen eſt eam ſicut & præcedentes, non niſi conjecturis niti.

DISSERTATIO VIGESIMA PRIMA.

DE STATU REIPUBLICÆ Judæorum tàm quoad Civilia quàm quoad Sacra.

SECTIO PRIMA.

DE Statu Reipublicæ Iudæorum quoad Civilia.

HACTENUS ea Hiſtoriæ ſacræ capita expendimus, quæ ad priorum Patriarcharum ætatem ſpectabant, quæque potiſſimum in libro Geneſis continentur. Nunc ut hiſtoriam Moſis proſequamur, ea à nobis in cæteris Pentateuchi libris diſcutienda ſunt, quæ difficultatem alicujus momenti facere poſſunt. Sed cum vix aliud in illis libris occurrat (ſi hiſtoriam ſeponas, in quâ nihil difficultatis apparet) præter leges & ceremonias ad Reipublicæ ſtatum, tàm civilem quàm ſacrum ſpectantes, operæ prætium nos facturos, ſimulque omnes difficultates elevaturos arbitramur, ſi utrumque hujus Reipublicæ & populi ſtatum breviter exponere tentaverimus.

Itaque quòd ſpectat ad Civilem Reipublicæ Judaicæ & populi ſtatum, ſciendum eſt eum pro diverſitate temporum, diverſum fuiſſe. Primus fuit ſub Judicibus, ſecundus ſub Regibus, tertius ſub Aichmolotarchis ſeu captivitatis Principibus, quartus ſub Ducibus, quintus ſub ſummis Sacerdotibus, ſextus denique ſub ultimis Regibus. Primus ſtatus,

qui ſub Moyſe cæpiſſe videtur, perduravit uſque ad vigeſimum annum Samuelis, quo filii Iſraël petierunt ſibi dari Regem. Secundus à Saüle initium ducens perſeveravit uſque ad undecimum annum Sedeciæ Regis Judæ, quo Hieroſolimâ vaſtatâ & dirutâ, filii Juda & Benjamin ducti ſunt Babilonem (decem aliis tribubus à Salmanazare jam anteà in Aſſiriam deportatis.) Tertius ſpatiũ captivitatis Babylonicæ non exceſſit. Quartus à tempore captivitatis Babylonicæ, circiter ad Antiochi Epiphanis regnum perſeveravit. Quintus fuit à tempore Machabæorum ſub Anthiocho Epiphane ad Ariſtobulum Joannis Hircani filium. Sextus denique ſub Ariſtobulo uſque ad necem Herodis Aſcalonitæ, vel etiam uſque ad Herodis Agrippæ obitum perduravit.

Status Reipublicæ Judaicæ ſub Judicibus Monarchicis quidem fuit; ſed Ariſtocratico regimine temperatus. Neque enim Judices ita abſolutè regebant populum, quin ad bella ſuſcipienda, & alia majoris momenti gerenda, populi conſilio uterentur: maximum enim fuiſſe diſcrimen inter poteſtatem Judicum, & eam quam poſteà Reges habuerunt ſatis patet ex primo Regum cap. 8.° Porrò juxtà duplex Judicum munus, duplex fuit eorum poteſtas: altera ducendi populum, altera eundem judicandi, ſeu jus illi in omnibus ſecundùm Legem dicendi. Conſtat enim ex Judicum 4°. eos in judiciis, populi primatum habuiſſe, à quo ut à potiori ſui muneris parte Judices ſunt appellati. Cæterùm Judicum Principatus non fuit hæreditarius, ſed ſtudiis populi delatus: undè nec ſemper in eâdem familiâ, nec ſemper in eadem tribu fuit, ſed modo in unâ, modo in alterâ. Ita ut ferè omnes tribus aliquos Judices habuerint.

Status Reipublicæ Judaicæ ſub Regibus fuit purè Monarchicus: Regum enim, ut dictum eſt, major fuit quàm judicum authoritas, cum non tàm legibus quàm arbitrio, Rempublicam adminiſtrarent. Undè & abſoluta in omnes ſubditos authoritas eis tribuitur primi Regum 8°. Creati ſunt primùm ſuffragiis populi: ſed poſt Davidis tempora ſibi invicèm in regno tanquam in hæreditate paterna ſucceſſerunt. Nihilominùs ſub Roboamo Salomonis filio regnum Iſraëliticum in duas

duas partes scissum est; hinc tribubus Juda & Benjamin unam Rempublicam, illinc aliis decem tribubus alteram constituentibus.

Durante captivitate Babylonicâ non ita durâ servitute afficiebantur Judæi, quin in propriis negotiis aliquatenùs sui juris essent: ita ut etiam jus vitæ & necis haberent, ut patet ex historiâ Susannæ, Danielis 13°. Fuisse autem tunc temporis aliquos captivorum Duces seu Principes, tùm ex Scripturis satis apertè colligitur; tùm ab omnibus ferè Rabbinis ut indubitatum traditur. Cæterum eos αἰχμαλωτάρχους id est Principes captivitatis appellant.

Status Reipublicæ Judaicæ à tempore captivitatis usque ad Alexandrum Magnum, aut etiam Antiochum Epiphanem, aliquatenùs Monarchicus fuit; sed tamen ad Aristocratiam magis accedebat; ut patet ex libris Esdræ & Nehemiæ. E contrà verò ejusdem Reipublicæ status sub Machabæis & Assamonæis, licet Aristocratico regimine aliquatenùs temperatus, ad Monarchiam nihilominùs propius accessit.

Cæterùm etsi in omnibus istis statibus Senatum Judæorum, quòd magnum Synedrium vocant, à Moyse in deserto institutum, perseverasse, & suam potestatem habuisse, propriaque munia exercuisse tradant omnes ferè eruditi: vix tamen ista successio in Scripturis deprehendi potest, vixque ullum ejusmodi Senatûs vestigium sub Regibus apparet. Porrò ad Synedrium spectabat, ut volunt, de causis maximi momenti tàm ad Civilia quàm ad Legalia spectantibus judicare. Res verò quæ minoris momenti erant ab inferioribus tribunalibus septem & viginti trium Judicum definiebantur; quamvis judicio non ita firmo, quin ab illis tribunalibus ad Cathedram Moysis, seu magnum Synedrium posset provocari. Moris autem erat apud Iudæos in portis civitatum exercere judicia: undè Proverbiorum 3°. dicitur: *Nobilis in portis vir ejus quando sederit cum Senatoribus terræ.*

At verò præter istos Magistratus & Duces plures etiam alios noverant Judæi. Nam & quælibet tribus Principem habebat, & quælibet familia similiter. Singulæ etiam Civitates

ſuos Præſides ſeu Principes agnoſcebant, de quibus Judicum 9°. hique rurſus Chiliarchi, Ekatontarchi, Pentacontarchi, & Decatarchi, ſeu Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii & Decani pro numero hominum quibus præerant, appellabantur: præter ipſos autem erant & Scribæ, qui Legem populo exponebant, & ſcribendo, operam præſtabant populo, Magiſtratibus, & Senatui. Et hic quidem fuit ſtatus Judæorum quoad Civilia.

SECTIO SECUNDA.

DE STATU REIPUBLICÆ

Judæorum quoad Sacra.

QUOD ſpectat ad religionem Judæorum, quadruplicitet conſiderari poteſt, nimirùm per reſpectum ad loca quibus verum Deum colebant; per reſpectum ad dies quos ejus cultui conſecrabant; per reſpectum ad ritus quos in cultu divino adhibebant; per reſpectum denique ad perſonas, quæ cultui Dei ſpecialiter deputatæ erant; de quibus omnibus breviter agendum eſt.

Tria potiſſimum loca ſacra Judæi habuerunt, Tabernaculum nimirùm, Templum & Synagogas. Tabernaculum erat ædificium inſtar templi ex lignis confectum ab Iſraëlitis in deſerto. Ita autem elaboratum erat ut per partes compingi, diſſolvi, & quòcumque transferri poſſet. In duas partes diſtinctum erat: in primâ, quæ ſanctum dicebatur, erat menſa panum propoſitionis, & candelabrum cum lucernis. In ſecundâ verò, quæ Sanctum Sanctorum appellabatur, erat Arca fœderis, cujus operculum vocabatur propitiatorium ſeu oraculum, duobus Cherubim alas ſuas ſuper illud extendentibus. Extrà Tabernaculum verò erat altare æneum holocauſti. Porrò in Arcâ fœderis, tempore Moſis erant

urna aurea habens manna, virga Aaronis quæ germinavit, & duæ tabulæ Legis. Tempore verò Salomonis neque urnæ, neque virgæ fit ulla mentio, ſed tantùm tabularum quas ſolas fuiſſe in Arcâ Scriptura tertii Regum 8°. teſtatur. Sunt tamen qui putent utrumque in Arcâ tempore Salomonis extitiſſe; ſed ideò nullam de urna & virga mentionem fieri, quia non erant intrà Arcam, ſed ad latus ejus appoſitæ. Horum autem omnium & aliorum, quæ tùm in tabernaculo, tùm poſtmodum in templo erant, qui figuras videre voluerit, conſulat Torniellum, Villalpandum, Biblia Benedicti Ariæ Montani, & Biblia Critica. Porrò tabernaculum è deſerto in terram Chanaan ab Iſraëlitis delatum, primum in urbe Silo de tribu Ephraïm cum Arcâ collocatum eſt, ut habetur Ioſue 8°. ℣. 1. ubi toto Judicum tempore remanſit. Arca verò Dei tempore Heli Sacerdotis à Philiſtæis capta & poſtmodum reſtituta fuit ac in domo Aminadab in Gabaâ collocata. Tabernaculum Silo, regnante Saüle, in civitatem Nobe de tribu Benjamin, ubi erat Achimelech Pontifex, tranſlatum eſt. Poſteà vero tempore Davidis in Gabaon deportatum, ubi etiam Salomon ante templi ædificationem ſacrificia obtulit. Ab hoc autem tempore Moſaïci Tabernaculi nulla deinceps mentio facta reperitur. Arca enim à Davide in montem Sion deportata in novo tabernaculo, ab eodem Davide extructo, collocata eſt. Undè pſalmo 78. dicitur: *Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit. Sed elegit tribum Iuda montem Sion quem dilexit: & ædificavit ſanctificium ſuum in terra.* Porrò Salomon perfecto templo, & ſanctuario conſtituto, Arcam cum tabernaculo novo, & omnibus Sanctuarii vaſis in illud tranſtulit, ut habetur 3. Reg. 8. Remanſit autem ibi Arca cum tabernaculo, uſque ad direptionem Jeroſolymorum, & incenſionem templi à Chaldæis: quo tempore ignis perpetuus holocauſtorum cum tabernaculo, areâ & altari incenſi, abſcondita ſunt à Jeremiâ Prophetâ ut narratur 2. Macab. 2. deincepſque Judæis manſerunt incognita. Cæterùm operculum Arcæ dicebatur Propitiatorium & Oraculum, quia de medio Cherubim Deus Iſraëlitis conſulentibus

responsa dabat ut patet Exod. 25. ℣. 22. Num. 7. ℣. ult. Iud. 1°. 2. Reg. 6. At à tempore Davidis nullibi reperies oraculum ullum deinceps responsum dedisse, quamvis Rabbini silentium Arcæ seu Oraculi, non nisi à captivitate Babilonicâ ordiri consueverint.

Templum Ierosolymitanum à Salomone incæptum anno 4°. regni sui, spatio septem annorum constructum est, in altero colle montis Sion nomine Moria, cujus forma, magnitudo, amplitudo & magnificentia referuntur lib. 3°. Reg. & 2°. Paralipomenon; habeturque ejus delineatio apud authores suprà laudatos. Incensum est autem hoc templum à Chaldæis anno 11. regni Sedeciæ 400. circiter annis postquàm à Salomone constructum fuerat. Post captivitatem verò à Zorobabele cum aliis Iudæis reducibus de Babyloniâ rursùs ædificari cæpit. sed à Samaritanis impeditum opus, jussu Cambysis Regis imperfectum remansit, donec sub Dario Hystaspe, quem Assuerum esse plures autumant, perfectum fuit. Hoc autem secundum templum ab Ezechiele delineatum esse à capite 41. ad 47. communis est sententia; quamvis non adeò certa. Denique idem templum 3°. instauratum est ab Herode 46. annis ante primum Pascha Christi prædicantis, ut patet ex verbis Iudæorum Joan. 2. cum Christo responderunt: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Quod plerique Interpretes ita exponunt ut ædificatio templi 46. annis cæperit antequàm hæc à Judæis dicerentur. Hujus autem templi, quod immensæ opulentiæ vocat Tacitus, magnificentiam vide apud Iosephum l. 6°. de bello Judaico, apud quem etiam libro 7°. ejusdem templi incendium post urbem à Tito expugnatam reperies.

Cæterùm præter templum Ierosolymitanum aliud in Ægypto ædificatum est tempore Antiochi Epiphanis ab Oniâ. Hic enim Onias alterius Oniæ Pontificis filius urbe profugus ad Ptolomæum Ægypti Regem se contulit, à quo cum in Heliopolitano solo præfecturam obtinuisset, templum ædificavit, ibique profugis Judæis Pontifex præfuit circà annum mundi 384. Eo autem tempore quo Titus Cæsar templum Ierosolymitanum cremavit, templum Ægypti à Paulino

Proconſule clauſum eſt, ut narrat Joſephus lib. 7°. de bello Judaïco.

Synagogæ fuerunt quædam ædes in quibus ad orationem & lectiones vel conciones ſacras audiendas populus ſeſe recipiebat; hincque dictæ ſunt Synagogæ ſeu Eccleſiæ & Congregationes. Duplex eſt autem ſententia circà earum originem. Altera Sygonii docentis eas duntaxat poſt captivitatem Babylonicam extructas eſſe: altera Toleti cum Rabbinis contendentis tales Synagogas tempore Judicum jam extitiſſe. Harum autem ſententiarum eam quiſque tenere poterit quæ probabilior ei viſa fuerit. Interim ad dies ſacros Judæorum progreſſum faciemus.

Præcipua Judæorum feſtivitas erat ultimus cujuſque Hebdomadæ dies, nimirùm Sabbatum. Tanto autem honore ab iis colebatur, ut non ſolum ab omni opere in eo ceſſarent, ſed ne ignem quidem ad uſum domeſticum eo die accenderent. Cæpit autem celebrari à Judæis hic dies (juxtà communiorem ſententiam,) cum Iſraëlitæ Legem acceperunt in deſerto: cum anteà tempore Patriarcharum eſſet incognitus.

Primus etiam cujuslibet menſis dies feſtivus erat apud Judæos, dicebaturque Neomenia, ſeu Novilunium. Hic porrò dies feſtus non ex conjunctione Solis & Lunæ, ſed ex apparitione Lunæ incipiebat. Ut autem quamprimùm Lunam cernerent, conſtituebant viros in cacuminibus montium, qui Lunam primùm orientem obſervarent, eamque faciliùs & citiùs conſpicerent; cum primùm autem eam inſpexerant, ſtatim aut in ipſis montibus ignes accendebant, ut initium Neomeniæ omnibus indicarent, vel per ſingulas civitates cum tubis & clamoribus Lunæ apparitionem teſtabantur. Sed quia nonnunquam duobus vel tribus diebus à conjunctione Luna nubibus tegebatur, nec niſi 3°. vel 4°. die apparebat, hinc menſes ſacri inæquales erant, aliique alios tribus quatuorve diebus ſuperabant.

Inter ſolemnitates Judæorum, Paſcha præcipuum locum obtinebat, ut habetur Exodi 12. celebrabaturque decimoquarto die menſis Niſan, qui Martio vel Aprili noſtro reſpondet.

Cautum autem erat lege Synedrii Jerosolymitani, ut traditur in libro Seder-olam, ne Pascha secundâ, quartâ vel sextâ die hebdomadæ celebraretur; & , si in iis occurrisset, in diem sequentem transferretur. Quod nonnulli factum putant eo anno quo Christus passus est.

Pentecostes seu quinquagesimus dies post diem primitiarum, quo manipulum novarum frugum Deo offerebant, instituta fuit ad offerendos Deo panes è novis frugibus, quæ mense Aprili metebantur. Levit 23.

Festum Tubarum die primo septimi mensis celebrabatur, in memoriam ejus diei quo tubis clangentibus Deus Legem Moysi dederat in monte Sinai. *Ibidem.*

Festum expiationum decimo die ejusdem mensis cum jejunio celebrabatur. Cujus festi ceremoniæ describuntur Levitici 17. & 23.

Festum collectarum, seu tabernaculorum, decimoquinto die ejusdem mensis celebrabatur, durabatque septem diebus in memoriam illius temporis quo populus Israëliticus in deserto sub tabernaculis fuit. Græcè autem hoc festum dicebatur Cœnopegia Exodi 23. Levit. 23. Num 29. Porrò festum hoc fiebat, ut notant eruditi, post collectionem omnē fructuum, non verò post collectionem frugum quæ circà mensem Aprilem fiebat.

Encœnia denique fuerunt solemnitates in anniversario dedicationis templi adhibitæ. Quatuor autem templi Jerosolymitani dedicationes celebratæ fuerunt. Prima fuit templi Salomonis, facta mense septimo, cujus mentio fit 2. Paralip. 7. Secunda fuit templi reparati à Zorobabele celebrata mense Februario ut habetur 1. Esdræ 6°. Tertia fuit altaris restaurati à Judâ Machabæo mense Novembri post ejusdem profanationem ab Antiocho Epiphane factam. De hoc autem mentio fit 1. Macab. 4. Quarta denique dedicatio fuit templi ab Herode constructi de quâ loquitur Josephus lib. 15. antiquitatum.

Præter hos dies festos duo etiam anni festivi erant apud Judæos, septimus nimirùm & quinquagesimus. Septimo anno terra non colebatur nec ulla frugum collectio fiebat, ut

habetur Exod. 23. & Levit. 25. debita Israëlitarum dimittebantur, & servitus eorum solvebatur ut habetur Deuter. 15. Quinquagesimo autem qui dicebatur annus Jubilæus, remissio dabatur omnibus servis, & ager alienatus ad primum possessorem revertebatur, ut dicitur Levitici 25.

Cæteri dies festi Judæorum, qui post datam Legem celebrari cœperunt, fuerunt, primò memoria planctûs filiæ Jephthe in exitu anni seu mense Februario. Secundò memoria diei quo suscitatus est ignis extinctus post captivitatem Babylonicam die 2°. mensis Chasleu seu Novembris. Tertiò, dies victoriæ super Holofernem 25. ejusdem mensis. Quartò, victoriæ Esther adversùs Aman 13. mensis Adar seu Februarii. Quintò denique dies victoriæ adversùs Nicanorem Regem Syriæ decimoquarto die ejusdem mensis Adar.

Quòd spectat ad ritus sacros Judæorum, cum innumeri penè fuerint quos quilibet legere potest in libris Exodi, Levitici, & Deuteronomii, iis sigillatim describendis hîc supersedentes, de præcipuo tantùm ritu, nimirùm sacrificiis pauca dicemus.

Holocaustum, quod præcipuum locum tenebat inter sacrificia, erat sacrificium propitiationis, in quo divino igne tota Hostia consumebatur. Levit. 1.

Libamen erat fartum confectum ex farinâ mundissimâ absque fermento, ex oleo & thure in clibano, sartagine, aut craticula coctum. Vel fuit frumentum igni tostum cujus pars incendebatur, & altera Sacerdotibus tradebatur. Levit. 2°. & Num. 15.

Pacifica Hostia voti & laudis erat, hoc est, in quâ vel Deus orabatur, vel gratiæ agebantur. In hoc sacrificio solus adeps cremabatur in odorem suavitatis Deo: pectusculum autem & armus erant Sacerdotis; reliquæ verò carnes ab offerentibus comedebantur. Levit. 3.

Sacrificium pro peccatis, hoc est per ignorantiam commissis, ut explicat Philo in libro de sacrificiis, describitur Levit. 4: & sacrificium pro delictis, hoc est à sciente & volente commissis, explicatur Levit. 7. ubi etiam cætera omnia sacrificiorum genera describuntur.

Sacra pecunia, quæ Siclus dicebatur, offerebatur Domino tanquam prætium pro animalibus, cedebatque in usum Tabernaculi, Exodi 30. Hanc exegerunt post multos annos Sacerdotes, templo extructo, deindè exigere desierunt. Cum autem pecuniâ opus esset ad sarciendum templum, Rex Joas iterùm solvi voluit, ac prætereà arcam instituit, in quam omnes templum ingredientes pecuniam illam conferrent. Hanc autem arcam Græco vocabulo Gazophilacium, Hebraico autem Corbonam appellarunt. 4. Regum 12. Hujus porrò Gazophilacii custos fuit præpositus templi, ut vertit Vulgata, seu Quæstor templi, ut habet Græcus Interpres. Plures autem fuisse hujusmodi præpositos de numero Sacerdotum patet ex 4. Reg. 12.

Quòd attinet ad personas sacras Judæorum, Pontifex, sive summus Sacerdos, primum locum habuit inter Sacerdotes. Hic ex tribu Levi & familiâ Aaronis semper eligebatur, secundùm Legem. Reliqui verò filii Aaronis simpliciter Sacerdotes dicebantur. 4. Reg. 23. Vestes Pontificis erant octo, Superhumerale, Rationale, Tunica hyacinthina, Tunica linea stricta, Fœminalia linea, Balteus, Thiara, & Lamina aurea, ut legere est Exod. 28. & Levit. 8. Harum autem vestium figuram, si quis videre cupit, consulat Torniellum ad annum mundi 2545. Munia Pontificis fuere, ut tabernaculum ingressus quotidiè lucernas concinnaret: Levit. 24. Ingressus verò sanctuarium incensum ad altare Thymiamatis adoleret, 1. Reg. 2. Singulis septimanis panes propositionis conficeret, Levit. 24. Diebus festis sacrificia populi unà cum Sacerdotibus faceret, Josephus lib. 6. de bello Judaico. Semel autem in anno sacris vestibus indutus, ingressus Sanctuarium, ipsum cum altare Thymiamatis à delictis & peccatis populi expiaret, Levit. 26. Et simul pro se ac domo suâ ac toto populo preces funderet. Ibid. Porrò licet successio Pontificum non ita expressa sit in Scripturâ, quemadmodum successio Regum: si quis tamen eam nosse cupit, consulat Josephum in libris antiquitatum, & Torniellum ad annum mundi 2900. numero 2. & ad annum 3020. num. 15. & 16. ad annum denique 3317. num. 15.

Sub-

Sub Pontifice, multi fuerunt Sacerdotes secundi ordinis, quorum vestes erant, Tunica linea, Balteus, Mitra, Fœminalia, Exodi 29. & Levit 8°. Aliquando etiam induebant Ephod seu Superhumerale, sed lineum, ut habetur 1. Reg. 22. Consecrabantur autem ut Pontifices, id est offerebantur, lavabantur, vestiebantur, ungebantur, & consecrabantur, Exodi 29. Eorum officia erant ut olea conservarent, quotidie incensum offerrent, sacrificium quotidianum facerent diebus festis, sacrificium populi agerent: imò & extrà ordinem pro populo vel privatis offerrent, & pelles Holocaustorum detraherent, ut habetur Num. 4. primi Paralip. 6. secundi Paralip. 26. & 29. & Levit. 1.

Primi Sacerdotes fuere Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar, filii Aaronis, ex mandato Dei consecrati. Extinctis verò Nadab & Abiu, eo quòd ignem alienum sacrificiis intulissent, remansere Eleazar & Ithamar à quibus Pontificum & Sacerdotum progenies prodiit. Cum verò tempore Davidis sexdecim essent familiæ ab Eleazaro profectæ, octo verò ab Ithamar, omnes Sacerdotes in viginti-quatuor classes destinavit David, singulisque nomen imposuit ab eo qui tunc uniuscujusque familiæ principatum gerebat. Ordo autem eorum sorte ductus est; ita ut 24. sortes ductæ sint ut habetur primi Paralip. 24. Præthereà nolens David omnes Sacerdotes quotidiè occupari ministeriis sacris, singulas classes singulis hebdomadibus jussit operari. Undè Josephus libro 1. contrà Appionem sic habet: *Licet sint 24. classes Sacerdotum quarum singulæ plusquam quinque millia hominum habent, per certos tamen dies particularis fit celebratio, quibus transactis alii succedentes ad sacrificia veniunt, & convocati in templum meridiè à precedentibus claves templi & omnia vasa ad numerum accipiunt, nullâ re, quæ ad esum attinet, in templum illatâ.* Porrò videtur quòd singulis classibus Sacerdotum quidam præerant, qui etiam nomen commune cum summo Pontifice habuisse videntur, & à Latino Interprete dicuntur Principes Sacerdotum, vel summi Sacerdotes. Sic Marci 14. dicitur: *summi autem Sacerdotes quærebant adversùs Iesum testimonium.* & Actor. 4.° *Annas dicitur Princeps Sacerdotum.*

Post Sacerdotes sequuntur Levitæ, seu cæteri omnes qui erant de tribu Levi, præter filios Aaron. Horum ordo fuit duplex, unus à Moyse institutus Num. 1. cum jussu Dei commisit eis curam tabernaculi & vasorum, instrumentorumque ejus & Arcæ fœderis; ut ea deferrent & custodirent, & ut Sacerdotibus ministrarent, ut ibidem dicitur cap. 13. quod usque ad tempora Davidis perduravit. David verò Levitarum alium ordinem instituit, priore illo quodammodo abrogato. Nam Arcæ fœderis ferendæ onere sublato, Levitas alios Sacerdotum & templi ministros, qui propriè Levitæ dicti sunt, alios Cantores, alios Janitores, alios Scribas & Judices esse constituit. Ministrorum scilicet viginti-quatuor millia, Scribarum & Judicum sex millia, Cantorum 4. millia & totidem Janitorum ut habetur 1. Paral. 23. hocque confirmavit Salomon 2. Paral. 8. quod idem etiam postmodùm restituit Rex Ezechias 2. Paral. 29. & 31.

Cantores constituti sunt ut confiterentur & canerent in organis coràm Domino. Hæc autem organa diversi generis erant, Tubæ, Cymbala, Psalteria, Citharæ, canebantque voce hymnos à Davide & aliis compositos. Tunicis byssinis induebantur, atque ita à Sacerdotibus lineas tunicas habentibus distinguebantur. Eorum officia describuntur præcipuè 2. Paral. 7. Permisit autem eis Rex Agrippa ut perindè ac Sacerdotes lineam vestem induerent, ut narrat Josephus lib. 8°. antiquitatum.

Janitores templi januis excubabant, & sacras arculas in quibus erat pecunia observabant. De his multa habentur 1. Paral. 9. Divisi fuerunt in viginti-quatuor classes seu vices, quæ describuntur 1. Paral. 26. Joïadas autem Pontifex, regnante Joâ, constituit quosdam Levitas Janitores templi, ut neminem contaminatum ingredi sinerent, ut habetur 2. Paral. 23.

Nathinæi janitoribus adhæserunt ut habetur 1. Esdræ 2. sicut enim Sacerdotibus Levitæ; sic Nathinæi Levitis operam ministerii præstiterunt, ac quasi Subdiaconi nostri fuerunt. De his autem mentio fit 1. Paral. 9. & 1. Esdræ 11.

Præter hos autem, qui secundum Legis præceptum,

Deo rebusque divinis operam dabant, fuerunt & alii, qui licet sacra vasa non attingerent, nihilominùs se totos Deo mancipabant, aut corpus suum Deo consecrando, ut Nazaræi; aut voluntatem & oracula Dei aliis annuntiando, ut Prophetæ; vel aliis Legem exponendo, ut Scribæ. Nazaræorum consecratio, victus, & conversatio describuntur Numer. 6°. Duos autem Nazaræos Scriptura nobis exhibet; videlicet Samsonem, Jud. 13°. & Samuelem, primi Reg. 1.

Scribarum munus antiquissimum faciunt Rabbini & Talmudistæ, voluntque Scribas jam extitisse tempore Mosis; ita ut hic Propheta primus Scriba fuerit, qui Legem voce explanavit, quam scripto mandaverat. Ea verò inquiunt quæ voce docuit primùm cum Josue communicavit. Seniores deindè Prophetis, ac denique Prophetæ Scribis propriè dictis eadem transmiserunt. Has autem traditiones schola Judæorum Cabalam nuncupat. Quamvis autem primis temporibus Lex de facto explicaretur; id tamen nonnisi à Sacerdotibus, & Levitis implebatur. Undè David instituit Levitarum familias ad docendum, ut habetur 1. Paral. 23. & 26. De Scribis autem propriè dictis nulla fit mentio antè captivitatem; sed post captivitatem sæpissimè, maximèque in libris Esdræ, in quibus Esdras dicitur Sacerdos & Scriba. Undè in novo Testamento Herodes Scribas consuluit ut ab eis disceret ubi Christus nasceretur. Porrò Scribarum alii in templo, alii in Synagogis docebant. Undè primi dicti sunt Scribæ templi, alii verò Scribæ Synagogæ.

Prophetæ fuerunt homines Spiritu divino repleti qui Hebræis jussu Dei futura bona vel mala prænuntiabant. Hos primùm videntes, postmodùm verò Prophetas appellarunt ut dicitur 1. Regum 9.

Primus omnium isque præstantissimus cui Prophetæ nomen Scriptura tribuit, erat Moyses de quo Num. 12. Undè Deuter. 34°. dicitur: *& non surrexit ultrà Propheta in Israël sicut Moyses.* Porrò spiritum ejus propheticum Deus septuaginta senioribus communicavit ut habetur Num. 11.

Samuël sub ultimis Judicum temporibus & primis Regum celeberrimus Propheta fuit. Hunc sub Davide & Salo-

mone exceperunt Nathan, Gad, Addo & Ahias Silonites; posteà verò sub Rege Achab & Joram filio ejus vixit Elias, qui zelo Dei accensus idololatras jugiter persecutus est, & Regum Israël impietatem repressit, ac per annnos circiter viginti propheticum ministerium exercuit, posteà verò raptus est in cælum ut habetur 4. Regum 1.

Elizæus ejus discipulus sub sequentibus Regibus Jehu & Joachas vixit apud Israëlitas, atque ad Joæ Regis initia pervenit ut habetur 4. Regum 13. atque ita per annos circiter quinquaginta septem docuit. His successerunt per annos circiter quadringentos Prophetæ quorum scripta nobis supersunt, inter quos primus fuit.

Jonas, qui, si aliquibus Hebræis credimus, fuit ille adolescens, quem misit Elizæus ad ungendum Jehu, 4. Reg. 9. Quod quidem contigit circà annum mundi 3120. Longè autem posteà missus est Ninivem circà annum 3213. sicque per integrum ferè sæculum inter Prophetas numeratur.

Oséé prophetavit in Israël in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda, & Jeroboam secundi, Regis Israël, ut habetur Oséé 1. Sicque per integrum ferè sæculum vixit.

Amos prophetare cæpit in Israël anno 28. Oziæ Regis Juda, ut vult Sanctus Hieronimus. Cum autem finem Regni Oziæ transgressus fuisse non legatur, ad summum per annos viginti quatuor prophetare potuit. Porrò licet Amos in populo Israël prophetarit, erat tamen ex Judâ oriundus, ut habetur Amos 1.

Esaïas prophetare cæpit in Judâ anno vigesimo-quinto Oziæ Regis Juda, ut vult D. Hieronimus, hoc est circà annum mundi 3219. Atque sub Joathan, Achaz, & Ezechiâ perseveravit. Quin etiam sub Manasse serrâ ligneâ dissectum tradunt utrumque Talmud, Justinus Martyr, Cyprianus, Lactantius, Hieronimus & alii plures ex Patribus; ita ut videatur per integrum sæculum prophetasse.

Michæas Morastites prophetare cæpit in Judâ circà annum mundi 3257. ac sub Achaz & Ezechiâ Regibus Juda perseveravit annis circiter quinquaginta.

Abdias prophetavit in Iſraël tempore Eſaïæ, & Amos ut volunt Theodoretus & Cyrillus; quia nimirùm cladem à Sennacherib Idumeæ inferendam quaſi jam imminentem deſcribit.

Nahum prophetaſſe poſt abductas decem tribus Iſraël docet D. Hieronimus; hoc eſt poſt annum 3283.

Hieremias anno decimo tertio Joſiæ Regis vocatus eſt ut ipſe refert cap. 1. cum adhuc puer eſſet, hoc eſt anno ætatis decimo quinto, ut vult D. Hieronimus. Prophetavit autem uſque ad annum mundi circiter 3420.

Baruch, Hieremiæ amanuenſis & individuus comes fuit, cui etiam ſuperſtes vixit.

Sophonias ad quem factum eſt verbum Domini in diebus Joſiæ, ut ipſe refert cap. 1.

Habacuc ſub Joachim prophetaſſe videtur paulò ante captivitatem: ſiquidem Deus illi oſtendit ſe illis iſtis diebus Chaldæos in Judæam immiſſurum, ut habetur Habacuc 1.

Daniel qui unus fuit ex pueris præfecto Eunuchorum traditis ſub Nabuchodonoſor, vixit uſque ad Cyri Regis tempora; ſed an in terrà Chaldæorum obierit, an verò cum aliis Judæis in patriam redierit poſt captivitatem, Scriptura non memorat.

Ezechiel Sacerdos anno quinto captivitatis prophetare cœpit, prophetavitque ſaltèm uſque ad annum vigeſimum ſeptimum ejuſdem captivitatis. Ezech. 29°. ℣. 17.

Aggæus reduce jam populo, anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, quem multi Aſſuerum eſſe volunt, cæpit Judæorum negligentiam in extruendo templo carpere. Aggæi 1.

Malachias denique Prophetarum ultimus, videtur Nehemiæ fuiſſe æqualis circà annum 3550.

Supereſt ad perfectam Reipublicæ Judaicæ intelligentiam ut de diverſis Judæorum ſectis nonnulla breviter adjiciamus, quæ fuſiùs legi poterunt apud Joſephum Antiq. lib. 18°. cap. 2°. Epiphan. lib. 1°. adversùs hæreſes, & Baron. in apparatu. Fuerunt autem numero ſeptem, ſcilicet Sadducæi, Phariſæi, Hemerobaptiſtæ, Nazaræi, Eſſeni, & Herodiani, qui ferè omnes diverſis erroribus ac ſuperſtitionibus fuerunt implicati.

Sadducæi nomen acceperunt à Sadoch Antigoni discipulo, qui ad montis Garizim templum defecit, ut tradit R. Abraham in Cabalâ historiâ. Eorum errores erant, quòd omnia nostro arbitrio subjicerent; animas mortales esse, ac proindè homines non resurrecturos docerent; Deum videre mala, sicut & Angelorum aut spirituum existentiam negarent; omnem traditionem non scriptam penitùs rejicerent, & pleraque cum Samaritanis communia haberent, excepto quòd Jerosolimis sacrificabant.

Scribæ, Legis expositores, superfluam sæpè, aut noxiam etiam Legis interpretationem inducebant, ut Christus non semel illis exprobrat, frequenterque & superstitiosè per lavacra se purificabant, ut narrat Epiphanius heresi decimâ quintâ.

Pharisæi nihil molle aut delicatum adhibebant ut potè severioris vitæ homines. Fato omnia tribuebant, nec tamen liberum negabant arbitrium. Bis in sabbatho sive hebdomadâ jejunabant, virginitati ac continentiæ studebant, dicebanturque Pharisæi, eo quòd separati essent ab aliis propter spontaneam sed superfluam Religionem ab ipsis susceptam. Phares enim Hebræorum linguâ separationem significat. Joseph lib. 18. Antiq. cap. 2. Epiphanius hæresi decimâ sextâ.

Emerobaptistæ cum Sadducæis resurrectionem mortuorum negabant, ac se quotidiè baptizabant, quasi spes hesternæ diei esset mortua, inquit Epiphanus hæresi decima septimæ.

Nazaræi à Regione extrà Jordanem originem trahentes, victimas non mactabant, nec animatis vescebantur, nec libros Mosis probabant. Epiphanius hæresi decimâ octavâ.

Esseni, sic à Josepho dicti, ab aliis verò Osseni nuncupati, originem ducebant ab Ithureâ Regione & Moabitide, trans mare rubrum. Nuptias respuebant, alienos liberos adoptantes bona habebant communia, nullumque apud eos erat mercaturæ aliudve commercium. De his præclara multa referunt Joseph loco supracitato & Philo in libro quem inscripsit *omnes probos esse liberos*, sed Epiphanius hæresi 19. eos vocat Hypocritas.

Herodiani vani erant & hypocritæ, ait Epiphanius hæresi 20. Herodem docebant esse Christum in Lege promissum explicantes de Herode hunc locum *Non deficiet sceptrum* &c.

Horum autem omnium sectariorum præcipui ante Christi adventum fuerunt Pharisæi & Sadducæi. Populares Pharisæis, Optimates autem Sadducæis se adjungebant, à tempore quo Joannes Hircænus novas traditiones Pharisæorum ægrè ferens eorum potentiam sustulit & ad Sadducæos se contulit.

Gaulonitæ his omnibus addi possunt: sub Herode Ascalonitâ exorti sunt, & cum Pharisæis in plerisque sentiebant. Sed cum Cæsar Augustus sublatis vectigalibus tributa ordinaria in capita & agros indixit, ob idque totum orbem Romanum censeri jussit, quidam Judas extitit qui adjuncto sibi Sadoch Pharisæo negavit populum Dei alium Dominum quam Deum agnoscere debere, & censum Augusto solvendum esse. Undè Pharisæi aliquando à Christo sciscitati sunt *an liceret dare tributum Cæsari*, eo quod res ista per hæc tempora variè jactaretur. Præcipuè autem Judas Sicarios & Zelotas concitavit, qui gladio & sicâ hanc opinionem tuebantur, & vitam repugnantibus adimebant, nec ullis suppliciis de sententiâ deduci poterant: ita ut etiam pueri istâ opinione imbuti, pertinaci tormentorum patientiâ spectatores obstupefacerent ut narrat Josephus lib. 18. Antiq. & lib. 7. de bello Judaico.



DISSERTATIO VIGESIMA SECUNDA

DE MIRACULIS SOLIS SUB Josuâ Duce & Ezechiâ Rege. De sacrificio seu voto Jephte, & de animæ Samuëlis defuncti apparitione.

SECTIO PRIMA.

DE MIRACULIS Solis sub Iosuâ Duce & Ezechiâ Rege.

MIRACULA quæ sub Josuâ & Ezechiâ facta sunt, in Solis statione vel etiam retrogradatione, clariùs habentur in Scripturis quàm ut possint ab ullo cordato viro qui Scripturarum authoritatem agnoscat in dubium revocari. Nihilominùs non defuerunt nostris diebus qui in hoc utroque miraculo circà historiæ sacræ fidem hæsitarent, aut saltèm rem aliter quam ejus verba sonant exponendam esse ducerent. Enimverò Præadamitarum Patronus, cui videtur in animo fuisse omnia quæ in Scripturis habentur, invertere, & certissima quæque in dubium revocare, contendit ista miracula non tanta fuisse quanta vulgò creduntur; sed Solis stationem tempore Josuæ nihil aliud fuisse, præter lucem quamdam post occasum Solis tandiù perseverantem, donec Josüe ulcisceretur se de inimicis suis. Retrogradationem verò quæ tempore Ezechiæ Regis contigit, non fuisse in Sole, sed tantùm in horologio Achaz. Ex quibus infert primum miraculum extrà terram Gabaon, secundum extrà Jerusalem non fuisse conspicua. Rationes verò quibus utrumque miraculum infirmare conatur Præadamita, sunt, primò quòd

quod nullus author profanus horum miraculorum meminerit. Secundò quòd communis ſententia conciliari non poſſit cum rationibus Aſtronomicis. Sed quàm temeraria ſit hæc Præadamitæ ſententia, nemo non videt. Enimverò quod attinet ad ſtationem ſolis ſub Joſuâ, Scriptura diſertè teſtatur, primò Joſuam Soli & lunæ imperaſſe ut curſum ſuum ſiſterent; *Sol contrà Gabaon ne movearis, & luna contrà convallem Ajalon*. Secundò ſtetiſſe de facto viſibiliter Solem & lunam: *Stetit itaque ſol in medio Cœli*, ait *Scriptura*, *& non feſtinavit occumbere donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*. Tertiò miraculum iſtud per unius diei ſpatium perduraſſe. *An non*, inquit Eccleſiaſticus cap. 46. *in iracundia ejus impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo?* Quartò denique concludit nunquam anteà, nec ab eo tempore talem diem viſam eſſe. *Non fuit anteà nec poſteà tàm longa dies, obediente Deo voci hominis*. Vel ut in Hebræo habetur: *non fuit talis dies ante illum nec poſt illum ut exaudiret Deus vocem hominis*. Ex quibus omnibus patet adeò claram eſſe, in hoc miraculo aſtruendo, Scripturam ſacram; ut nihil clariùs excogitari poſſit. Enimverò ſi nihil aliud fuiſſet iſtud miraculum quàm fulgor quidam in regione vaporum, vel atmoſphærâ, vel ex repercuſſione fulgoris ſolis in monte oppoſito, quomodo miraculum iſtud tandiù potuit durare, ut una dies facta ſit quaſi duo, ut Scriptura diſertè teſtatur? Quomodo verum erit lunam etiam ſtetiſſe ut eadem Scriptura non minùs luculenter aſſerit?

Quòd verò ſpectat ad retrogradationem quæ ſub Ezechiâ contigit, licet res iſta ita clara & certa non ſit, quin aliqui eruditi Interpretes, ut Vatablus, Burgenſis, Arias Montanus, Sanctius, & nonnulli alii, cenſuerint cum Præadamitâ ſolem in hoc miraculo non retroceſſiſſe; ſed ſolam umbram in horologio Achaz: nihilominùs plerique alii Theologi his numero plures, & eruditone non impares, contendunt miraculum non minùs in ſole quàm in umbrâ contigiſſe. His autem Scripturæ autoritas apertè ſuffragari videtur. Teſtatur enim Iſaïas cap. 38. verſu 8. id non ſolum in umbrâ ſed etiam in ſole contigiſſe; *Et reverſus eſt ſol*, inquit, *decem*

lineis per gradus quos descenderat. Idem etiam apertè confirmatur ex secundi Paralipomenon 32. ubi Scriptura docet Legatos Regis Babylonis ad Ezechiam missos esse, *ut interrogarent de portento quod acciderat super terram.* Quomodo enim venissent de hoc portento interrogaturi, si extrà Hierosolimam, seu Babylone conspicuum non fuisset?

Quod verò Præadamita nobis objicit nullam istorum prodigiorum mentionem fieri apud Ethnicos authores, nullius est momenti: prætorquàm enim omnes authores Ethnici multò recentiores sunt Josuâ, & rari adhuc erant temporibus Ezechiæ; nobis Christianis Divinæ Scripturæ authoritas instar omnium esse debet, ac omnibus humani ingenii ratiunculis & conjecturis præponderare.

Alterum verò quod objicit idem author ista miracula cum astronomicis rationibus non posse conciliari, nullam nobis difficultatem ingerit; id enim falsum esse jamdiù viri doctissimi ostenderunt. Ad primum enim de statione solis sub Josuâ Duce respondet post Laurentium Codomanum Jacobus Usserius Annal. veteris Test. parte 1. ætate 4. pag. 39. moram illam calculum astronomicum non impedire, cum sol & luna quæ tunc falcata erat & decrescens, ut colligitur ex situ vallis Ajalon respectu montis Gabaon, simul stare cœperint ac desierint: quemadmodum in concentibus musicis salva manet harmonia, nec soni discrepant si voces in signo convenientiæ conquiescunt, & posteà simul juxtà suas cujusque notas cantum pergant absolvere.

Ad secundum verò sic respondet idem Usserius, ad an. mundi 3291. pag. 57. ejusdem operis. *Ad solis autem recessum quod attinet quemadmodum ad preces Iosue, sole stante simul etiam luna stetisse dicitur, ita hic & lunam, & reliquam cælestem machinam una cum sole retroactam esse apparet, tantùmque nocti detractum quantùm diei fuit additum. Licet enim in partibus τοῦ νυχθημέρου sive diei civilis anomalia extiterit admiranda, ita tamen divina providentiâ eam fuisse temperatam, ut constans sibique perpetuo similis cælestium corporum motus, nullum indè detrimentum caperet, tres illæ Lunares Eclipses ex Ptolomæo paulò antè à nobis propositæ fidem faciunt,*

quarum calculus à nostris temporibus retro supputatus, idem nobis exhibet, quod à Chaldæis fuerat annotatum, perindè ac si nullus ejusmodi retrogradus motus solis omninò intervenisset.

SECTIO SECUNDA.

DE

Voto Jephte.

QUOD spectat ad votum Jephte, quæritur utrùm de facto filiam suam immolaverit, & in holocaustum Domino obtulerit, quemadmodum promisisse visus est, Judicum. 11. ℣. 31. Circà quòd diversæ sunt diversorum authorum & Interpretum sententiæ. Quidam enim docent post Kimkium in hunc locum Jephte non immolasse filiam suam, sed eâ in domo reclusâ virginitatem ejus Domino consecrasse. Alii verò post Josephum lib. 5. Antiq. cap. 9. communiter docent eum reverâ filiam suam sacrificasse; sed in hoc contrà Legis præscriptum egisse. Alii denique ut Ludovicus Capellus singulari dissertatione de voto Jephte, contendunt ipsum filiam suam in holocaustum obtulisse, nec tamen in hoc contrà Legis præceptum egisse; imò verò ad eam immolandam ex Lege Mosaicâ adstrictum fuisse.

Secunda sententia licet communior apud Interpretes, Scripturæ tamen minùs consentanea nobis videtur. Ut enim sileamus Judicum 11. ubi hæc refertur historia, neque votum Jephte, neque ejus factum ullatenùs vituperatum reperiri; Paulus Apostolus Hebræorum 11. eam ab omni vituperio immunem facit cum eum inter veros Israëlitas & Deo fideles refert. Quis enim asserere audeat tantæ pietatis & fidei virum, quantæ ab Apostolo fuisse refertur, aut Legem Dei, quæ humanum sacrificium prohiberet ignorasse, aut si eam

ſciebat, voluiſſe datâ operâ violare? præcipuè cum non niſi valdè invitus & paterno affectu admodum reluctante filiam unicam mactare potuerit. Supereſt itaque ut vel cum Ludovico Capello dicamus tale ſacrificium non ſolùm Lege divinâ non fuiſſe prohibitum; ſed è contrà eâdem Lege præſcriptum: vel ut cum Kimkio & aliis ſtatuamus tale ſacrificium nuſquam à Jephte fuiſſe oblatum. Hanc autem ſententiam priori multò probabiliorem eſſe non dubitamus. Primò enim Scriptura non dicit filiam Jephte à Patre fuiſſe mactatam: ſed tantùm Patrem ei feciſſe ſicut promiſerat, id eſt eam in perpetuum Domino conſecraſſe. Neque contrarium inferri poteſt ex promiſſione Jephte, quâ vovet ſe oblaturum in holocauſtum quod primum egreſſum fuerit de foribus domus ſuæ: verba enim iſta: *quicumque egreſſus fuerit* &c. *erit Domino & offeram illum in holocauſtum*, duo continent, conſecrationem Domino & holocauſtum. Conſecratio verò ſpectat ea quæ non ſunt apta ad immolandum; ſicque ſenſus eſt, *quicunque egreſſus fuerit* &c. *erit Domino conſecratus*, ſi non ſit aptus ſacrificio. Si verò aptus ſit, erit etiam immolatus? non enim iſtud promiſſum ſumendum eſt copulativè, ſed disjunctivè: alioquin dicendum foret Jephtem immunda quoque animalia, ſi aliquod primum occurriſſet, voluiſſe quoque in holocauſtum Domino contrà præſcriptum Legis offerre, quod abſurdum eſt.

Secundò nullibi in Lege cædes humana permittitur, niſi vel ob pœnæ legitimæ vel ob juſti belli rationem: quin imò tantùm abeſt, ut victima humana poſſet aliquandò in holocauſtum Domino offerri, ut è contrà omnis cædes humana etiam juſta & licita cædentem pollueret, & purificatione egeret, juxtà Num. 31. ℣. 19. Neque objici nobis poteſt votum Anathematis necem rei devotæ neceſſariò poſtulaſſe. Iſtud enim votum locum non habebat niſi vel contrà hoſtes, vel contrà cives jura & leges ſtatutas violantes, ut factâ inductione omnium Anathematum quæ Scriptura refert, facile eſſet demonſtrare.

Tertiò quia demonſtrare nequit votum Jephte fuiſſe votum Anathematis. Quod enim affert Capellus ipſum ſcidiſſe

vestimenta sua, maximumque dolorem habuisse, eo quòd votum suum nullatenùs retractare posset, non probat ejus votum de morte filiæ suæ fuisse: tristitia enim illa proveniebat ex eo quòd Jephte prolis spem omninò amitteret, dum filiam suam adhuc virginem Domino consecrabat. Itaque dicendum cum Kimkio quòd dum Scriptura refert Jepthem fecisse filiæ suæ sicut voverat, nihil aliud indicet nisi quòd ei fecerit domum in quam eam introduxit, in quâ remanserit seclusa à filiis hominum & à rebus sæcularibus. Undè Judicum 11. versu 40. dicitur juxtà Hebraicum textum *statutum fuisse in Israël ut quotannis eam inviserent filiæ Israël.*

SECTIO TERTIA.
DE
Samuelis apparitione post mortem.

CIRCA apparitionem Samuelis mortui Saüli, ope Pythonissæ factam, vix quidquam certi de illa statui potest ex antiquis. Alii enim docent veram animam Samuelis Pythonissæ incantationibus eductam esse. Alii volunt quidem veram fuisse Samuelis animam, sed contendunt eam non incantationibus Pythonissæ, sed jussu Dei fuisse evocatam. Alii putant Deum figurâ Samuelis prout libuit efformatâ, vel per Angelum sub ejus formâ, Saüli respondisse. Alii denique contendunt rem totam dæmoniorum figmentum fuisse; nec nisi phantasma & simulacrum Samuelis apparuisse.

Primam sententiam tuentur Josephus lib. 6. antiq. cap. 15. Origenes in primum Regum cap. 28. & Homiliâ 27. in Joan. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, circà medium. Sulpicius Severus Hist. Sacr. lib. 1. & in eundem Sygonius, Anastasius Antioch. in ὁδηγῷ quæst. 112. &c.

Pro secundâ sententiâ stant author carm. contrà Marcionem

inter opera Tertulliani lib. 3. cap. 5. Ambrosius in caput primum Lucæ. Zeno Veronensis Serm. de Resurrectione. Augustinus lib. de curâ pro mortuis cap. 15. Rabanus Maurus in Ecclesiasticum lib. 10. cap. 12. Divus Thomas 2ª. 2ª. quæst. 174. art. 5. ad 4. Ex recentioribus verò eam defendunt F. Valesius lib. de Sacrâ Philosophiâ cap. 33. P. Galat. de Lat. vers. lib. 6. cap. 8. Estius in 1. Regum 28. Jodocus Coceius thesauri cathol. tom. 1. lib. 5. art. 10. Alphonsus à Castro lib. 1. de pun. hæret. Soto in 4. dist. 45. q. 1. art. 4. Torniel. Annal. tom. 1. ad annum 29. 79. Tostatus in 1. Regum 28. Canisius de corrup. verbi Dei lib. 5. cap. 21. Gregorius à Valentia tom. 4. disp. 10. quæst. 1. punct. 1. §. 9. Suarez in 3 part. D. Thomæ tom. 2. quæst. 52. disp. 42. lect. 2. Bellarminus lib. 4. de anima Christi, & lib 2. de Purgatorio cap. 6. M. Delrius Disquis. Magiæ lib. 2 quæst. 6. Pererius in Exodum cap. 7. disp. 8. num. 48. Salianus ad annum 2979. Lyranus, Carthus. Cajetanus, Sanctius, Serrarius in 1. Regum 28. Eugubinus Cosmopeiæ cap. 3. & plures alii.

Tertiam sententiam ut probabilem admittunt Léo Patricius, Theodoretus, Procopius-Gazæus in 1. Reg. 28. Anastasius Antioche. loco citato.

Quartam denique sententiam amplectuntur Eustathius Antioch. Dissert. de Engastrimytho adversùs Origenem. Author quæstionum ad Ortod. inter opera Justini quæst. 52. Author de mirabilibus Script. lib. 2. cap. 11. Author quæst. ỹ. & n. 10. quæst. 26 inter opera Augustini. Tertullianus lib. de animâ cap. 57. Isidorus lib. 8. originum cap. 8. Pionius Martyr apud Metaphrasten. Methodius lib. de Engast. adversùs Orig. Basilius magnus in Esai. 8. Gregorius Nyssenus Epistolâ de Engastr. ad Theodosium. Hyeronimus in Matth. 6. in Ezech. 13. & in Isa. 7. Cyrillus de adoratione in spiritu & veritate. Philastrius Brixiensis lib. de hæres. hæres. 26. Georgius Syncellus in Chron. Rup. in primum Reg. lib. 2. cap. 17. Ex recentioribus verò in eâdem sunt sententiâ Cornelius Jansenius in Ecclesiastici 46. F. Vatablus in 1. Reg. 28. Allatius in Syntagmate de Engastrymitho &c. Denique idem apertè traditur in jure Canonico cap. *nec*

mirum quæst. 5. ubi expressè asseritur visum non fuisse à Saüle verum Samuelem ; sed ejus imaginarium phantasma.

Qui primam vel secundam sententiam tuentur eam probant primò quia ubique Scriptura de eo qui Saüli apparuit tanquam de vero Samuele loquitur. Secundò quia omnia quæ Saüli prædicta sunt eo modo quo prædicta sunt evenerunt. Nam & Saül & filius ejus interfecti sunt , & Regnum ejus ad Davidem transiit. Tertiò quia Scriptura 1. Paralip. 10. & Ecclesiastici 46. ℣. 20. asserit eum qui apparuit , fuisse verum Samuelem : in primo enim loco sic habet , juxtà septuaginta Interpretes *interrogavit Saül in ventrilo quâ ad quærendum , & respondit ei Samüel Propheta.* In secundo verò ita loquitur ; *& post hoc dormivit , & notum fecit Regi , & ostendit illi finem vitæ suæ , & exaltavit vocem suam de terrâ in Prophetiâ , delere impietatem gentis.* Quæ verba ita clarè veram Samuelis apparitionem adstruere videntur ut vix in alienum sensum detorqueri possint. Quis enim sibi persuadeat eum quem de terrâ respondisse & prophetasse Scriptura asserit , non fuisse verum Prophetam, sed merum phantasma?

Qui verò contendunt totam apparitionem non nisi larvam dæmonis fuisse, suâ sententiam probant 1°. quia dæmones nullā habent potestatem in animas Sanctorum , qui jam corpore soluti sunt , proindeque eas excitare pro suâ voluntate non possunt, ut supponit prima sententia. 2°. Quia nullatenùs etiam probabile est quod secunda statuit Deum , qui nempe Saüli respondere noluerat neque per somnia , neque per Sacerdotes , neque per Prophetas, ei tunc voluisse respondere, cum ad magicas præstigias se convertit , & à dæmone futuri prælii eventum requisivit. 3°. Quia fictus ille Samuel falsa Saüli respondit , quod Samuel Præpheta non fecisset. Prædixit enim ei crastino die tàm ipsum quàm filios ejus secum futuros , quod tamen non evenit ; siquidem nec crastino die commissum est prælium , nec nisi unus filiorum Saül interfectus est ; nec Saül , ut potè reprobus , simul cum Samuele Prophetâ in regione vivorum inter mortuos esse potuit.

Cæterùm quænam istarum sententiarum certior sit & verior , vix audemus definire. Si enim authoritates ponderamus,

utraque ſanctiſſimos viros, & graviſſimos Doctores, aſſertores habet. Si rationes rationibus opponimus, utraque rationes non contemnendas profert; & utraque oppoſitæ ſententiæ rationibus reſpondet. Nihilominùs magis inclinat animus in eam ſententiam, quæ juſſu Dei verum Samuelem apparuiſſe contendit: 1°. Quia plerique Sancti Patres, quos pro ſe adducunt alterius ſententiæ authores, licet magis de facto in eorum ſententiam inclinent, alteram tamen ut probabilem admittunt, ſolamque Juſtini & aliorum rejiciunt ſententiam, qui rem incantationibus factam eſſe contendunt. 2°. Quia rationes, quas contrà iſtam ſententiam afferunt, non videntur eſſe ſatis efficaces. Ad primam enim ſic reſponderi poteſt. Licet Deus priùs noluiſſet Saüli per Prophetas reſpondere, potuit tamen fieri, ut poſteà ob ejus impietatem iratus, ei reſponderit in irâ ſuâ, pænamque ejus ſceleribus debitam prædixerit. Ad ſecundam reſpondetur nullius falſitatis evinci poſſe verba quæ à Samuele prolata fuiſſe Scriptura teſtatur. Cum enim dies apud Hebræos à veſperâ ad veſperam computarentur, craſtinus qui dicitur dies, non ille cenſendus eſt, quo illuceſſente Saül à Pythoniſsâ in ſuâ caſtrâ reverſus eſt; ſed ſequens eſt intelligendus. Neque cum dicit: *Cras tu & filii tui mecum eritis*, id aliter intelligit quàm ſecundùm parem conditionem mortis, non ſecundum æqualitatem fælicitatis, ut loquitur Divus Auguſtinus in Epiſtolâ ad Simplicianum. Porrò certum eſt Saül & Jonathan in prælio interfectos eſſe in montibus Gelboë; ſicque parem reſpectu vivorum cum Samuele ſortitos eſſe conditionem. Nec denique quemquam morari debet quod filii ejus in plurali deſignentur, cum tamen non niſi unus ſit interfectus: nemo enim neſcit iſtum modum loquendi Sinecdochicè in Scripturis uſitatiſſimum eſſe.

Tertia ſententia è contrario non ſatisfacit rationibus quas pro ſe habet altera ſententia. Ut enim fateamur Scripturam, interdùm de rebus loqui prout nobis apparent, ſicque potuiſſe eum qui apparuit, Samuelem appellare, licet phantaſma eſſet Samuelem repræſentans: nihilominùs cum Scriptura conſtanter aſſerat eum qui apparuit fuiſſe Samuelem;

nec

nec uno tantùm in loco, ſed pluribus & diverſis, in quibus non jam Saül aut Pythoniſſa ſecundùm ſuam ſententiam loquuntur; ſed in quibus Scriptura rem hiſtoricè refert: cum etiam in iis omnibus quæ prædixit Samuël nulla falſitas inveniri poſſit: cum denique Scriptura ex hâc apparitione verum Samuëlem commendet, non videntur tot loca ſacri textus abſque gravi incommodo congruè ad phantaſma detorqueri poſſe. Probabilius itaque videtur eum qui apparuit fuiſſe verum Samuëlem, qui ſive in proprio, ſive, quod magis probabile eſt, in aſſumptitio corpore apparuerit.

DISSERTATIO VIGESIMA TERTIA.

DE AUTHORIBUS LIBRORUM

Ioſuæ, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Iudith, Tobiæ, Eſther, Proverbiorum, Eccleſiaſtes, Cantici Canticorum, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici.

CUm non ſit inſtituti noſtri agere de omnibus difficultatibus quæ in toto veteri Teſtamento occurrunt; neque ſingulorum Scripturæ librorum expoſitionem aggredi, ſufficiet nobis circà illos 1°. inquirere à quibus & quo tempore conſcripti ſint. 2°. Quorumdam authoritatem Canonicam ab Eterodoxorum objectionibus vindicare. 3°. Nonnulla quæ generatim ad aliquos attinent elucidare. Quibus peractis difficultates, quæ in Chronologiâ totius veteris Teſtamenti occurrunt, elucidare, & accuratam temporum rationem tradere tentabimus. Itaque.



§ I.

De Authore libri Iosuæ.

LIBRUM qui Josuæ nomen præfert, ab ipso conscriptum esse communis fert opinio etiam inter eruditos. Ita post Isid. l. 6. Orig. Junius, Vatablus, Abulensis, Driedo, Bellarminus. Ita quoque Talmudistæ. Probant autem prædicti authores suam sententiam 1°. ex capite ultimo hujus libri ỳ. 26. ubi habetur quòd *scripsit Iosue universos sermones istos in volumine Legis Domini.* 2°. ex eo quòd totus liber, Josuæ nomen præferat. Sed ut hæc sententia communior sit & magis recepta, non est tamen adeò certa quin aliqui eruditi contendant multis rationibus probari posse hujus libri authorem Josuâ posteriorem esse. 1°. Enim notant rationes quibus sententia communis nititur, leviores esse, nec aliud demonstrare, nisi quòd liber ille actiones Josuæ contineat: ex quo nomen ejus mutuatus sit: aut fortè etiam quòd ultimum caput istius libri, in quo fœdus cum populo Israël continetur, à Josuâ conscriptum sit. 2°. Notant cap. 10. hujus libri citari librum justorum, in quo bella Josuæ & ejus præclarè gesta continebantur; quod satis arguit, inquiunt, hunc librum non à Josuâ, sed longo post tempore fuisse conscriptum. 3°. Authorem sæpè asserere ea quæ narrat remansisse usque *ad præsentem diem.* At, inquiunt, non ita locutus fuisset author cujus ævo res quas narrat gestæ fuissent. 4.° Urbem Luza seu Luzem quæ in hoc libro cap. 16. in possessione Joseph memoratur, non nisi post mortem Josuæ captam esse, ut habetur Jud. 1. ỳ. 24. idem dicendum est de civitate Laïs seu Lezem quæ Josuæ 19. ỳ. 27. à Danitis capta memoratur; cum tamen id non nisi post mortem Josuæ contigerit, ut patet ex Jud. 18. ỳ. 27. & 28. Similiter de eo quod inter Caleb & Axam filiam ejus, Othonielis uxorem, contigisse narratur cap. 15. Id enim non nisi post mortem Josuæ contigisse patet ex Jud. 1. 5°. Denique hoc in libro, inquiunt, terra *Chabul* commemoratur, quæ tamen non

nisi tempore Salomonis nomen istud consecuta est.

Hæc sunt ferè argumenta quibus Simonius & nonnulli alii probare contendunt authorem hujus libri Josuâ recentiorem fuisse. Sed ut ingenuè fatear ea nec levia esse, nec contemnenda; nego tamen talia esse ut sententiam eorum invictè probent. Ad primum enim responderi potest, vel librum istum, in quo nihil aliud præter stationem solis memoratum legitur, ipsius Josuæ tempore fuisse conscriptum & vulgatum, vel, quod probabilius judicat Grotius, nihil aliud fuisse præter canticum post stationem solis editum, & ab omnibus decantatum. Neque certè, (etiamsi Theodoreto, Masio, & Simonio daremus librum Josuæ ex Annalibus Hebræorum fuisse decerptum) indè efficaciter probaretur, compendium istud ab ipso Josuâ editum non fuisse. Ad secundum respondetur phrasim istam, *usque in presentem diem*: posse etiam usurpari circà ea quæ paucis antè annis contigerunt; quemadmodum Divus Petrus, ut jam suprà notavimus, paulò post resurrectionem de agro Judæ loquens asserit eum vocari Haceldama *usque in præsentem diem*. Posset etiam responderi ista verba, posterius ab Esdrâ aut ab alio addita fuisse, quod & dicendum est de urbe Luzem, nisi quis malit dicere eam de quâ liber Jud. loquitur diversam fuisse ab eâ quæ in libro Josuæ commemoratur. Ad ea verò quæ inter Caleb & Axam gesta sunt, respondetur negando ea post mortem Josuæ contigisse: licet in lib. Jud. quasi per recapitulationem denuò referantur. Denique ad terram Chabul respondetur, hanc diversam fuisse ab eâ de quâ in libris Regum mentio facta reperitur, ut ex Josephi historiâ constat.

§ 2.

De Authore librorum Iudicum & Ruth.

CIRCA Authorem libri Judicum nihil omninò definiri potest. Alii cum Talmudistis Samuëli eum tribuunt, alii Ezechiæ, alii Esdræ, alii denique contendunt singulos

Judices suam conscripsisse historiam; postmodumque ab Esdrâ omnes in unum librum redactas fuisse. Sed quidquid sit de illius libri authore, constat eum antiquissimum esse, neque ex iis quæ continet probari posse, ut volunt nonnulli, eum demum post captivitatem Babylonicam conscriptum. Quod enim ex cap. 18. ℣. 30°. objiciunt mentionem fieri captivitatis, malè ad captivitatem Babylonicam detorquetur; cum ex ipso loco manifestum sit, de captivitate, quæ temporibus Heli contigit, esse intelligendum. Quod etiam addunt ibidem haberi: *In diebus illis non erat Rex in Israël*, parùm urget: præterquàm enim id ab Esdrâ per parenthesim inseri potuit, nihil obstat quominùs etiam ante Regum tempora id scribi potuerit, ut superiùs dictum est.

Cæterùm Liber Ruth quasi per appendicem libro Judicum conjungitur; undè & eidem authori, qui librum Judicum conscripsit vulgò tribuitur; quod tamen non est adeò certum; cum alioqui historia Ruth, quam sub uno Judice contigisse constat, in eodem volumine referri debuisset.

§ 3.

De libris Regum.

DUo priores Regum libri Samuëlis nomen præferunt; undè & ipsi magnâ saltèm ex parte vulgò tribuuntur. Docent enim plerique post Theodoretum, Diodorum Tarsensem, & Talmudistas singulos Prophetas, ea quæ illorum temporibus insigniora eveniebant, scriptis mandasse: sicque viginti quatuor priora libri 1. Regum capita Samuëli tribuenda esse: cætera verò à Prophetis Gad & Nathan addita fuisse. Idque probant ex 1. Paral. 29. ubi dicitur: gesta David priora & novissima scripta esse *in libro Samuëlis & in libro Natan & Gad Videntium.* Nonnulli tamen aliter rem se habere arbitrantur, contenduntque libros istos recentiorem manum redolere; quod probant, tùm ex eo quod primi Regum capite 9 versu 9. dicatur: *qui dicitur Propheta*

hodiè, olim vocabatur Videns. & cap. 5. versu 5. *propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus super limen Dagon in Azoto usque in hodiernum diem.* Sed rationes istæ non sunt efficaces. 1° Enim parenthesis illa cap. 9°. versu 9° explicationis causâ addi potuit ab Esdrâ, ne à posteris ignoraretur, quid nomine Videntis Scriptura indigitaret. 2°. Cum historia quæ narratur cap. 5. Samuële adhuc juvene contigerit, liber autem Regum ab eodem jam sene conscriptus sit, potuit sine controversiâ phrasim quâ utitur, usurpare. Undè nihil vetat quominùs libri isti Samuëli & aliis Prophetis ejus ætati suppari-bus, tribui possint. Sed non æquè facile est posteriorum, id est tertii & quarti authorem designare. Id enim omninò incertum est. Alii ut Talmudistæ, Jeremiæ illos tribuunt, alii Esaïæ, alii denique Esdræ: quæ sententia etsi communior, nihilominùs minùs probabilis nobis videtur. Si enim Esdras author est libri Chronicorum seu Paralipomenon, ut communis fert etiam sententia, & valdè probabile est, quis sibi persuadeat eum voluisse pleraque de industriâ in libris Regum omittere, ut ea postmodum in libros Paralipomenon insereret?

Cæterùm licet existimaverit Divus Hyeronimus hoc opus Paralipomenon idem esse cum eo quod sæpè in libris Regum memoratur sub nominibus Verborum, dictum, juxtà titulum quem in Hebraico textu præfert; id tamen valdè incertum est, imò contrarium certum videtur siquidem liber 4us. Regum in captivitate Babyloncâ desinit: 2us. verò Paralipomenon etiam liberationis sub Cyro factæ meminit. Nisi quis contendere velit ista postmodum huic libro addita fuisse, quod eruditorum judicio relinquimus.



§ 4.

De libris Esdræ.

CERTUM est ex libris, qui Esdræ nomine vulgò inscribuntur, priorem ab ipso Esdrâ conscriptum fuisse, cum ubique Esdras de se in primâ personâ loquatur. Undè nulla est de hujus libri authore inter eruditos controversia ; nisi quòd Dan. Huesius in suâ demonstratione Evangelicâ contendit saltèm sex priora capita alium ab Esdrâ authorem habere ; hâc ratione ductus quòd author illorum capitum videatur fuisse in Jerusalem cum aliis Judicibus statim à reditu captivitatis, vel saltèm tempore Darii, ut innuunt illa verba capitis 5. *Ad quod respondimus eis* &c. cum tamen certum sit ex capite 7. Esdram nonnisi post mortem Darii regnante Artaxerce in Judæam venisse. Sed facile est respondere ista verba : *Ad quod respondimus eis* ab Esdrâ dicta esse in personâ Judæorum contribulum suorum, ut consuetum est omnibus qui res suæ gentis scribunt.

Certùm est etiam secundum Esdræ librum qui ab aliis Nehemias appellatur, ab ipso Nehemiâ conscriptum, ut ex ejusdem libri lectione manifestum est.

§ 5.

De libris Tobiæ & Judith.

LIBER Tobiæ ab alterutro vel utroque Tobiâ conscriptus vulgò creditur : 1°. quia Tob. 12. 8. 20. Angelus sic utrique præcipit : *Narrate omnia mirabilia ejus.* Pro quo in Græcis habetur γράψατε 2°. Quia in Hebraico Græcoque codice uterque Tobias in primâ personâ loquitur. Constat autem hunc librum Chaldaicâ linguâ primùm conscriptum à Divo Hyeronimo Latinè redditum fuisse, postmodumque in Hebraicam linguam fuisse translatum.

Author libri Judith omninò incertus est. Alii cum tri-

buunt Joachim Pontifici de quo mentio eſt in eodem libro; alii Jeſu filio Joſedech qui cum Zorobabele populum reducem à captivitate rexit; alii quoniam Chaldaico idiomate ſcriptus eſt, volunt eum captivitatis tempore fuiſſe conſcriptum: alii denique contendunt eum non antè Antiochi Epiphanis tempora lucem vidiſſe. Sed quidquid ſit de illius authore & de tempore quo conſcriptus eſt, notandum verſionem Græcam hujus libri Latinâ multò caſtigatiorem eſſe & magis litteræ convenire. Fatetur enim Divus Hyeronimus ſe magis ſecundùm ſenſum illum vertiſſe, quàm ſecundùm litteram: undè nonnullæ difficultates, quæ in verſione Latinâ ſatis graves eſſe videntur, ex Græcâ planiores fiunt & elucidantur.

Sed multò gravior eſt difficultas quò tempore hiſtoria quæ in iſto libro narratur, evenerit. Circà eam enim ſententiæ admodum diverſæ ſunt inter eruditos. Exploditur tamē vulgò ſententia Hugonis Grotii, & nonnullorum Proteſtantium, qui poſt Lutherum hanc hiſtoriam meram allegoriam eſſe, & omnia quæ in eo libro narrantur, allegoricè exponenda eſſe cenſent. Undè hâc ſententiâ prætermiſſâ, alii antè captivitatem, alii poſt captivitatis tempora eam collocant. Qui primam tuentur ſententiam has pro ſe adducunt rationes.

Primò quòd hæc hiſtoria contigerit; ut ex ejus libro colligitùr, paulò poſt ædificatam civitatem Ecbatanis: atqui tùm ex Euſebio tùm ex Herodoto conſtat civitatem iſtam à Dejoce Rege multò antè captivitatem Babylonicâm ædificatam fuiſſe.

Secundò Nabuchodonoſor qui Holofernem in Judæam miſerat, in civitate Ninive regnaſſe refertur: atqui Ninive ante captivitatem diruta fuit.

Tertiò quia Nabuchodonoſor videtur non alius fuiſſe, à Sauſduchino Sennacherib nepote, & filio Aſſaradonis Regis Babylonicorum, quibus conſuetum erat Reges ſuos nomine Nabuchodonoſoris appellare.

Quartò denique quia Heliacim ſeu Joachim, qui ſummus Sacerdos tunc fuiſſe reperitur, pontificatum gerebat ſub Ezechiâ & Manaſſe, ut patet ex Eſaiæ 22. verſu 21. & cap. 36.

Qui verò contendunt historiam memoratam nonnisi post captivitatem evenisse, has pro se habent rationes.

Primò quòd eo tempore contigerit, quo nullus Rex erat in Judâ, sed tota authoritas pænès Pontifices erat; atqui id nonnisi post captivitatem contigit.

Secundò quia reperimus in libro 2°. Esdræ cap. 12. Eliacim post captivitatem Pontificem extitisse. At tempore historiæ Judith summus Sacerdos hoc nomen sortiebatur.

Tertiò quòd Achior Dux Ammonitarum exponens Holoserni statum Judæorum expresè asserat, eos non multò ante in captivitatem, ex quâ jam redierant, fuisse abductos. Sic enim habet cap. 4°. *& plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam; nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione quâ dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia & iterùm possident Ierusalem. In Græco verò additur* καὶ ὁ ναὸς θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος *& templum Dei eorum factum est in solum.* Quæ verba nonnisi de captivitate Babylonicâ explicari possunt.

Quartò denique quia cap. 16°. dicitur quod Judith post interfectum Holofernem nullum bellum vidit amplius in Israël; cum tamen 105. annis vixerit & adhuc juvenis esset cum adivit Holofernem. Ex hoc enim sequitur eam tempore Manassis non vixisse. Alioqui & bella post suam victoriam; & ipsam captivitatem Babylonicam vidisset.

Ad rationes autem contrariæ sententiæ sic respondent; ad primam quidem, urbem Ecbatanis pluries ædificatam fuisse. Ad secundam, urbem Ninivem à Persis fuisse ræedificatam. Ad tertiam, nomen Nabuchodonosoris commune fuisse omnibus Babyloniorum Regibus. Ad quartam denique, probari non posse istum Eliacim de quo loquitur Esaïas Propheta fuisse summum Sacerdotem. Nec, etsi fuisset, ex eo probari posse historiam Judith potiùs ejus, quàm alterius Pontificis ejusdem nominis tempore contigisse. Ex his autem duabus sententiis eam quisque eligit quam probabiliorem judicaverit. Licet enim posterior magis probabilis videatur, fatendum est nihilominùs neutrius rationes invictas esse, & utramque suas pati difficultates. Ut enim cætera sileam quæ contrà

secundam

ſecundam ſententiam afferri poſſunt, clarum eſſe videtur ex Scripturâ Judæos à tempore captivitatis Regibus Perſarum ſemper fuiſſe ſubditos, uſque ad tempora Alexandri; neque ullum extat in Scripturis veſtigium quòd ullus Rex Perſarum aut Aſſyriorum à tempore captivitatis bellum in Judæâ excitarit.

§ 6.

De libro Eſther.

CIRCA authorē libri Eſther non minor eſt quàm circà præcedentes difficultas: alii enim ut Epiphanius, Auguſtinus, & Iſidorus, hunc librum tribuunt Joachimo Pontifici nepoti Joſedech. Alii ut Talmudiſtæ illum Synagogæ magnæ tribuunt, voluntque ideò hunc librum ab iſto cœtu editum, ut originem & cæremonias feſti Purim aperiret. Alii ut communiter Interpretes, eum Mardochæo adjudicant eo quòd id aſſeri videatur capite 9. verſibus 20. & 23. & cap. 12. verſu 4. Alii denique ut Serrarius & nonnulli alii ipſam Eſther adjungunt Mardochæo in hujus libri editione, ſuamque ſententiam hauriunt ex verſione Græcâ τῶν ὁ capitis 9. ubi idem de Eſther quod de Mardochæo aſſeri videtur. Licet autem omnes iſtæ opiniones ſatis incertæ ſint, tertia tamen probabilior nobis videtur, propter loca Scripturæ in quibus fundatur. Sed quidquid ſit de authore hujus libri.

Duæ occurrunt circà hunc librum difficultates. Prima eſt utrùm ſex ultima capita efficiant partem illius, & inter Scripturas Canonicas recenſeri debeant. Secunda eſt quò tempore hiſtoria quæ in hoc libro narratur, contigerit.

Quod ſpectat ad primam, notandum eſt ſex iſta capita in Hebraicis codicibus non haberi, eaque ex Theodotionis verſione eſſe deſumpta. Origenes in epiſtolâ ad Africanum docet iſta capita in Hebraicis codicibus primùm extitiſſe, ſed incuriâ hominum ex illis poſtmodum excidiſſe. Bellarminus & nonnulli alii ſuſpicantur duas extitiſſe hujus libri editiones, quarum una diffuſior hæc capita continebat, altera brevior illis carebat. Sed Grotius contendit iſta capita à

Judæis Hellenistis & Proselytis composita esse. Sixtus verò Senensis docet ea ex Josephi historiâ fuisse deprompta. Unde circà illorum capitū authentitiam & Canonicam authoritatem bifariè dividuntur Interpretes & Critici, aliis hæc capita in canonem recipientibus, aliis ea rejicientibus. Ea communiter recipiunt omnes Catholici maximè à tempore Concilii Tridentini, quo sancitum est *omnes libros in Bibliis contentos & eorum partes, prout in Ecclesiâ legi consueverunt*, esse canonicos. At quædam ex his capitibus deprompta publicè in Ecclesiâ leguntur; ergo. E contrà verò eadem communiter rejiciunt Eterodoxi quibus inter Catholicos adstipulantur Sixtus Senensis Biblioth. S. lib. 1. pag. 20. cujus sententiam quamvis temeritatis incuset Natalis Alexander in appendice ad sæculum 4um. eam tamen amplectitur Ellias Pinius in dissert. Pleg. Bibl. Author. Ecclesiast. ubi de Canone Scripturæ veteris Testamenti. Sed hunc locum postmodum melius consultus retractavit.

Quod spectat ad 2am. difficultatem, non magis de tempore quàm de authore hujus historiæ Interpretes inter se conveniunt; alii enim volunt eam sub Xerce contigisse, alii sub Artaxerce, alii sub Ciaxare Medorum Rege, alii denique sub Dario filio Hystaspis. Hæc autem sententia probabilior nobis videtur ob sequentes rationes.

Prima est quia ad nullum Dario posteriorem referri potest hæc historia: cum enim cap. 2. versu 26. disertè asseratur Mardochæum de eorum numero fuisse qui cum Jechoniâ Rege Juda captivi ducti sunt Babilonem, si ad alium Dario posteriorem referretur historia, dicendum esset tunc Mardochæum plusquàm 150. annis natum fuisse, quod absurdum est, maximè cum indè etiam sequeretur Esther jam tunc vetulam fuisse, & omnem ejus pulchritudinem emarcuisse.

Secunda ratio est quia omnia quæ de Assuero dicuntur in libro Esther, Dario Hystaspis apprimè conveniunt. 1°. Enim quod asseritur Assuerum regnasse ab Indiâ usque ad Æthiopiam, optimè Dario convenit, & nulli qui antè eum vixerit, aptari potest. 2°. De Assuero dicitur quòd Suze habitarit: testatur autem Ælianus Darium nostrum palatium Suzis

construxisse; additque Herodotus, eum ibidem thesauros suos asservasse 3.° De Assuero dicitur, præ cæteris uxoribus eum Esther adamasse, eique diadema imposuisse. Idem autem refert Herodotus de unâ uxore Darii Hystaspis. 4.° Denique de Assuero dicitur quòd omnes insulas sibi tributarias effecerit : idem autem de Dario testantur Tucidides & Plato in Menæo.

Quamvis autem hæc sententia satis plana & certa videatur, duo tamen contrà illam objiciuntur; Primum est quod de Assuero dicitur cap. 16. eum à Persarum Regibus ortum duxisse, quod tamen de Dario verificari non potest : cum constet eum filium fuisse Hystaspis, qui Rex non fuit. Secundum est quòd Assuerus cap. 26. etiam Artaxerces appellatur. Quod nomen Dario nullatenùs convenit. Sed facile est istas objectiunculas diluere. Ad primam respondetur ex Herodoto Darium nostrum ex Regiâ Persarum stirpe descendisse. Ad secundam, nomen Artaxercis potuisse omnibus Persarum Regibus convenire, quemadmodum Cæsaris nomen Imperatoribus Romanis. Ad id autem quod addunt nonnulli Macedones tempore Darii nullius adhuc nominis fuisse, cum tamen in libro Esther asseratur Aman cogitasse de Regno Persarum ad Macedones transferendo. Respondetur ideò id cogitasse Aman quia genere Macedo erat. Insuper ex Iustini historiâ constat tunc temporis Macedones celebres & potentes jam extitisse.



§.

DE LIBRIS PROVERBIORUM, *Ecclesiastes, & Cantici Canticorum, Sapientiæ & Ecclesiastici.*

CERTUM est libros Proverbiorum, Ecclesiastes, & Cantici Canticorum à Salomone editos esse: Primò enim, quod ad Proverbiorum librum attinet, nemo est qui refragari unquam ausus sit, post expressum Scripturæ testimonium, tàm 3. Reg. 4. quàm initio hujus libri ubi sic habetur: *Parabolæ Salomonis filii David.* Quamobrem quinta Synodus meritò damnavit Theodori Mopsuesteni impietatem qui has parabolas ex Divinâ & Propheticâ sapientiâ profluxisse negare ausus est. Nec satis à Theodoro recedit Grotius, cum asserit hæc Proverbia & alia à Salomone edita Syllogen fuisse sententiarum eorum qui ante ipsum vixerant. Hunc enim Grotii errorem præter antiquitatem Salomonis qui omnes Græciæ Sapientes Philosophos pluribus sæculis præcessit, satis confutat divina scriptura 3. Reg. 4. ubi postquàm de divinitus acceptâ à Salomone sapientiâ mentionem facit, statim subjungit, *eum locutum esse tria millia Parabolarum.* Id enim Scripturæ testimonium apertè indicat Parabolas istas non ab alio authore emendicatas esse, sed à Salomone divinitùs acceptâ sapientiâ prædito profectas. Licet autem omnes conveniant hunc librum Salomoni tribuendum, usque ad caput trigesimum exclusivè; non idem tamen omnes sentiunt de posterioribus capitibus: trigesimum enim nomen præfert Ageri filii Zachæi: ultimum verò Lamueli Regi tribuitur. Undè nonnulli authores concludunt ista posteriora capita Salomonis non esse; sed postmodum prioribus fuisse addita: maximè cum styli quoque diversitas, quæ in his duobus capitibus occurrit, recentiorem manum probet. Alii vero contendunt totum librum Salomonis esse

qui nomina ista assumpsit, quæ mysticam significationem in se continent. Sed certè probabilior est prima sententia; vel saltèm sic temperari debet posterior, ut dicatur ista duo capita Parabolas quidem Salomonis continere; sed ab Agero & Samuële collectas: quemadmodum ea quæ à capite 25. ad 30. continentur á Scribis Ezechiæ Regis collecta esse perhibentur.

Secundò de libro Ecclesiastes quin Salomoni quoque tribuendus sit, nemo veterum unquam dubitavit. Licet enim Ecclesiastes nomen præferat, manifestum tamen est istud vocabulum non authoris nomen, sed officium & libri materiam indigitare. Cum enim totus sit author istius libri in prædicandâ & suadendâ rerum humanarum & omnium creaturarum vanitate; meritò Ecclesiastis seu Concionatoris nomen accepit. Talmudistæ hunc librum Ezechiæ Regi tribuunt, sed gratis omninò. Grotius Zorobabeli illud adjudicat: sed nullam suæ sententiæ rationem præter inanes conjecturas affert. Etsi enim quatuor in eo vocabula reperiantur, quæ minùs Hebraica esse Grotio videntur: quis Grotio revelavit ea saltèm sub ultimis Salomonici Regni temporibus nondum fuisse in usu? Vel quis ipsi demonstravit ea saltèm posteriori ævo non fuisse ab Esdrâ vel alio addita? Certè quod initio libri dicitur, Ecclesiasten fuisse Regem, manifestè demonstrat hunc librum à Zorobabele non esse editum. Quod verò passim de eximiâ authoris hujus libri Sapientiâ dicitur nec non cap. 2. de ejus divitiis & potentiâ, satis ostendit non alteri Regi quàm Salomoni ista verba posse convenire. Cæterùm ex iis quæ de hujus sæculi vanitate passim continet, maximè verò ex eo quod in illo dicitur: *Deum time & mandata ejus observa hoc est enim omnis homo &c.* Multi colligunt eum à Salomone jam sene & à peccatis suis pœnitente & resipiscente conscriptum fuisse; proindèque ipsum Salomonem salvatum esse. Quod confirmant ex 2. Paral. 11. versu 6. ubi de populo Roboam piè vivente dicitur: *ambulaverunt in viis David & Salomonis tribus annis.* Huic sententiæ favent ex antiquis Cyrillus Jerosolimitanus catechesi 2. Epiphanius hæresi 42. Hilarius in

psalmum 52. Author apologiæ 2ª. pro Davide, inter opera Ambrosii cap. 3°. Bachiarius in epistolâ ad Januarium de recipiendis lapsis &c. Sed, ut ingenuè loquar, valdè incerta est. 1°. enim Ecclesiastici 47. Davidis pænitentia valdè commendatur; & tamen de Salomonis resipiscentiâ ne verbum quidem; quamvis ibidem peccata ejus acriter reprehendantur. 2°. Si Salomon à peccatis resipuisset, & pænitentiam egisset, proculdubiò idola quæ coluerat, & fana eorum destruxisset: atqui tamen id non præstitit: siquidem id multis post Salomonem sæculis Josiæ pietati tribuitur 4. Reg. 23. his verbis: *excelsa quoque quæ erant in Jerusalem quæ ædificaverat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos ostensioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon, polluit Rex, & contrivit statuas & succidit lucos.* Ex quibus multi veterum colligunt Salomonem impænitentem mortuum esse. Ita Cyprianus epistola 7. & lib. de unitate Ecclesiæ: Augustinus lib. 22. contrà Faustum, & lib. 17. de civitate cap. 20. Author lib. de prædictionibus Dei inter opera Prosperi cap. 7. Gregorius magnus lib. 2. moralium cap. 2. Venerabilis Beda quest. 29. in librum Regum &c.

Tertiò Canticum Canticorum eidem etiam Salomoni tribuendum esse vox communis est Ecclesiæ & Synagogæ antiquæ; licet Talmudistæ absque ullo fundamento illud Esdræ tribuant.

Denique Salomoni vulgò etiam tribuuntur libri Sapientiæ & Ecclesiastici: sed neutrum illorum Salomonis esse jam pridem convenit inter omnes eruditos. Sapientiæ liber à nonnullis olim, referente Hyeronimo in præfatione ad libros Salomonis, Philoni tribuebatur. Sed istius sententiæ falsitatem, præter Hyeronimi & Eusebii silentium in catalogo operum Philonis, satis probat veterum Patrum authoritas, qui primis Ecclesiæ sæculis hunc librum cum aliis veteris Testamenti libris sæpè citarunt; quod tamen nunquam facturi fuissent, si ante Philonem, qui sub Caïo Imperatore vixit, non extitisset. Præter authores autem quos suprà dissertatione undecimâ retulimus, eundem librum citant & ejus authoritate sub Scripturæ nomine utuntur, Justinus Martyr in

dialogo cum Triphone, Origenes lib. 8. in epistolam ad Rom. Athanasius in Synopsi, Concilium Sardicense in epistolâ synodicâ apud Theodoretum lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Basilius lib. 5. contrà Eunomium. Hilarius in psalmum 128. Epiphanius hæresi 76. & lib. de ponderibus & mensuris. Optatus lib. 1. & 4. adv. Parm. Author libri de prædictionibus inter opera Prosperi p. 2. c. 9. &c. Ex quibus patet librum istum non à Philone compositum esse, sed ab aliquo Judæo Hellenista seu Græco multò antę Christi adventum. Et quoniam stilum & sensum Salomonis passim imitatus est, sicut & author libri Ecclesiastici, hinc factum est ut libri isti Salomonis vulgò dicantur, & sub ejus nomine ab antiquis Patribus sæpè laudentur.

Libri Ecclesiastici authorem satis prodit prologus ejusdem, nimirùm Jesum filium Sirach, qui hunc librum Hebraicè scripsit circà tempora Ptolomæi Philadelphi, & ut vult Divus Hyeronimus tempore Simonis Pontificis Oniæ secundi filii. Nonnulli ex antiquis hunc librum Salomoni olim tribuerunt teste Divo Hilario. Sed istam opinionem præterquàm abundè confutat præfatio ejusdem libri quæ eum Siracidi asserit, penitùs etiam evertitur ex iis quæ in eodem continentur, nam c. 47. multi laudantur, qui nonnisi post Salomonis tempora vixerunt: sicque à Salomone laudari minimè potuerunt. Porrò hunc Siracidis librum in Græcum convertit ejus nepos Siracides, qui sub Ptolomæo Energete scripsit; ut ipsemet testatur in eodem libro.

Cæterùm hunc librum ut sacrum, vel etiam ut divinæ authoritatis præter superiùs adductos citarunt Origenes Homil. 8. in num. Atha. in Synopsi, & author libri de Virginitate. Synodus Alex. in ep. Syn. apud eundem Athan. apol. 2. Cyrillus Alex. in Hom. Ephesi habitâ. Isidorus Pelus. l. 1. ep. 106. Eusebius l. 8. præpar. Evang. Cyrillus Hierosolim. cathechesi 6. Basilius in cap. 8. Esaïæ, & in Regulis fusiùs disputatis q. 104. Greg. Niss. Hom. 3. in Ecclesiast. Greg. Nazianz. orat. adv. Julianum. Chrisostomus Hom. 33. ad popul. Antioch. Epiph. in anchorato. Palladius in vitâ Chrisostomi. Joan. Maxentius præfat. in dial. adv. Nestorianos.

Anast. Antioch. l. 9. in exam. Joan. Damasc. orat. 3. de dormit. Deiparæ. Hilar. in psal. 144. Optatus l. 3. contrà Parm. Jeron. ep. 33. Augustinus l. 2. de doct. Christiana c.8. l. de curâ pro mortuis c. 15. & l. 17. de civ. c. 20. S. Paulinus apud Jeron. ep. 14. Maximus Taurin. Hom. 1. de Elemos. Leo serm. 8. de jejunio septimi mensis & alii plurimi. Constat nihilominus apud omnes eruditos prologum hujus libri non esse Canonicis Scripturis accensendum, cum hic prologus non sit Authoris, sed Interpretis.

DISSERTATIO VIGESIMA QUARTA

DE PSALTERIO DAVIDIS,

Libris quatuor Machabæorum, tertio & quarto Esdræ, & de Oratione Regis Manassis.

§ 1.

De Psalterio Davidis.

PSALTERIUM ideò Davidis vulgò dicitur; vel quia David omnes psalmos de facto composuit, vel quia eorum materiam invenit, vel saltèm quia, ut ait Athan seu author Synopsis inter ejus opera, primus spiritum psallendi à Deo accepit, primusque psalmos composuit & scripsit. Addi potest vel denique, quia David fuit egregius & præcipuus Psaltes, qui hunc musicalem laudandi Dei modum & si fortè non primus in Sinagogam introduxit, saltèm mirum in modum provexit.

Itaque diversæ sunt tùm apud veteres, tùm apud recentiores circà authorem psalmorum sententiæ. Alii enim volunt omnes psalmos à Davide scriptos fuisse; alii verò plerosque ab

Asaph

Asaph Idithun filiis Chore &c. sic ad modulum compositos asserunt, ut velint saltèm Davidem omnium materiam designasse. Alii denique contendunt eos solos Davidi tribuendos esse, qui ipsi in titulis tribuuntur; alios verò iis quorum nomina præferunt. Primam sententiam amplectuntur Chrisostomus in psal. 50. Ambr. præf. in Psal. Cassiodorus in prol. Psalm. Euthymius, præcipuèque Phylastrius qui hæres. 126. contrariæ sententiæ propugnatores hæreseos insimulat. Augustinus verò etsi in expositione psalmorum contrariam sententiam tradere videatur, hanc tamen ut probabiliorem amplectitur l. de hær. hær. 26. & l. 17. de Civ. cap. 14. Secundam sententiam tuentur referente Nat. Alexandro in append. ad sæc. 4. nonnulli recentiores qui eam etiam Augustino in psal. 1. scribenti tribuunt. Tertiam denique propugnant Athan. seu author Synopsis, Hilar. præf. in Psal. Hyeronimus epist. 134. ad Sophron. & epist. 139. ad Cyprianũ &c.

Quænam autem ex his sententia cæteris præferenda sit, non est facile definire. Certum tamen videtur non omnes psalmos à Davide scriptos esse, cum plurima in iis disertè referantur, quæ non nisi longo post Davidem tempore contigerunt, ut captivitas Babilonica; nomina Jeremiæ, Salomonis, Ezechielis, Zenadab &c. saltèm si tituli psalmis sit coævi. Licet enim impossibile non sit ea potuisse à Davide conscribi, cum potuerint ei ista omnia revelari: quia tamen nullum habere possumus Scripturæ testimonium, quo id quod possibile fatemur, factum probetur, multò verisimilior est Hyerón. sententia hos psalmos à multis scriptos, ab Esdrâ postmodum in unum corpus fuisse collectos. In hoc tamen nobis probari nequit ejusdem Hyeronimi sententia, quòd iis psalmos incunctanter tribuat, quorum nomina præferunt. Cum enim duplicem ob causam eorum nominibus inscribi potuerint, vel quia ab eis compositi fuerant; vel quia iis ad canendum destinati erant, hoc secundum æquè probabile est ac primum; imò multò etiam probabiliùs videtur; siquidem ex Scripturâ habemus eos his psalmis canendis deputatos fuisse: at de nullo eorum præterquàm de Asaph legimus, psalmos ipsos quos canebant

composuisse. In hoc etiam peccat ista sententia quòd eos psalmos qui inscribuntur ipsi David, ab ipso David scriptos fuisse neget; & ab aliis editos, ipsi dicatos asserat. In hoc, inquam, peccat; siquidem constat ex ipsiusmet Christi Domini testimonio psalmũ 109. qui titulum ipsum præfert, ipsius tamen David esse. Sed quidquid sit de authore aut diversis psalmorum authoribus, constat, ut inquit Theodoretus, præf. in Psal. *Divini spiritus afflatu universos esse conscriptos.* Undè passim in aliis Scripturæ libris tàm veteris quàm novi Testamenti citantur: neque unquam de eorum authoritate in Sinagogâ, vel in Ecclesiâ dubitatum est.

Sed quod spectat ad psalmorum titulos non conveniunt inter se Doctores Catholici an pro Canonicis & divinitùs inspiratis habendi sint; an verò humana tantùm authoritate polleant. Alii enim docent eos pro Canonicis habendos esse; alii verò contrarium sentiunt. Qui affirmativam partem tenent his rationibus fundantur, primò quòd antiquissimi sint, & ipsis psalmis æquales esse videntur: siquidem accuratè distingunt eorum nomina vel qui eos scribebant, vel quibus destinati erant, quæ à sequioris sæculi authoribus nunquam ita distingui potuissent. Secundò, quia ad intelligentiam psalmorum maximè conferunt. Tertiò, quia nonnulli eorum in aliis Scripturæ libris referuntur iisdem verbis quibus etiamnum psalmis præfixi leguntur. Quartò, quia Sancti Patres sedulam in iis exponendis semper navarunt operam, ex iisque ut plurimùm psalmorum ipsorum intelligentiam hauserunt.

Qui verò contendunt psalmorum titulos humanam duntaxat authoritatem mereri, his sententiam suam fulciunt argumentis. Primò, quòd plurimorum psalmorum tituli in Latinis, græcisque codicibus legantur; in Hebraicis verò nullatenùs, quod satis demonstrat eos ab initio non extitisse, sed processu tantùm temporis psalmis præfixos fuisse. Secundò, quòd nonnullis psalmis hodiè præfixi conspiciantur, qui primis Ecclesiæ sæculis nullum habebant titulum, ut de nonagesimo constat, quem titulo olim caruisse præter commentarios Augustini in quibus desideratur, disertè testantur

Hyeronimus, Theodoretus, & Euthymius. Tertiò quòd licet Sancti Patres eos plerumque exposuerint ut potè antiquos, & ad psalmorum intelligentiam nonnihil conferentes, nunquam tamen divinam authoritatem iis tribuerunt, ut ex eo patet quod S. Augustinus psalmorum 89. & 95. titulos litteraliter sumptos explodat; Theodoretus verò psalmorum 64. & 136. titulos penitùs rejiciat. Harum autem sententiarum eam quisque eligere potest, quam probabiliorem judicarit.

Verùm hic silentio prætereundum non est illustrissimum Bossuetum Meldensem Episcopum in dissertatione, quam suæ psalmorum editioni præfixit, utramque sententiam sic conciliare, ut fateatur eos psalmorum titulos quos versiones sive Græca sive Latina ab Hebraicâ veritate mutuatæ non sunt, Canonicos non esse, sed humanâ authoritate Scripturæ additos: præsertim cum afferat Theodoretus, eos in genuinâ septuaginta Interpretum editione minimè extitisse: contendat verò eos omnes pro Canonicis habendos qui in Hebraico textu reperiuntur; quam sententiam Augustini authoritate probare molitur. Verum, pace tanti viri dixerim, loca quæ ex Augustino affert id satis clarè probare mihi non videntur. Cum enim nullibi, quod sciam, distinxerit Augustinus inter authoritatem titulorum qui in Græco tantùm aut Latino habentur, & eorum qui leguntur etiam in Hebræo; nisi contrà mentem illustrissimi Episcopi statuamus ex Augustino omnes psalmorum titulos pariter esse Canonicos; id de solis qui in Hebraico textu habentur statuere ex eodem Augustino nunquam poterimus. Ex quo infero nullâ hucusque authoritate aut sufficienti ratione statutum, titulos ejusdem cum psalmis esse authoritatis.

Porrò, antequam ad alia transeamus, non inutile fuerit hic investigare quænam & à quo facta sit psalmorum versio quæ in Vulgatâ reperitur, & quâ nunc passim utitur Ecclesia. Circà quod duplex potissimùm est hodiè sententia: prima est Joannis Bonæ Cardinalis l. 2. rerum litur. & Monachorum à Congregatione Sancti Mauri præf. in 4. tom. operum Divi Augustini, docentium psalterium Gallicanum

quo olim Gallicana utebatur Ecclesia, quodque vulgatum hodiè nuncupatur, eo quòd omnes Ecclesiæ Vaticanâ & aliis paucis exceptis, eo jam utantur, idem esse cum versione quam Divus Hyeronimus rogatus à Paulâ & Eustochio ad Exaplorum fidem convertit vel emendavit. Suam autem sententiam probant primò ex testimonio Valafradi Strabonis l. de rebus Ecclesiasticis c.25. ubi hanc sententiam disertè tradit his verbis: *Psalmos autem cum secundum LXX. Interpretes Romani adhuc habeant, Galli & Germanorum aliqui secundum versionem quam Hyeronimus Pater de 70. editione composuit, psalterium cantant, quam Gregorius Turonensis Episcopus à Patribus Romanis mutuatam in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse.* Ut autem locus Strabonis intelligatur qui versionem 70. eidem versioni opponere videtur, advertendum cum Divo Hyeronimo in Ep. ad Suniam & Fretellam, ut jam superius à nobis observatum est, duplicem olim fuisse τῶν ό editionem: alteram quæ κοινὴ communis dicebatur: alteram quæ in Exaplis habebatur. Ubi ergo Valafridus loquitur de Psalterio quo Romani utebantur, eam editionem intelligit quæ communis dicebatur, vel prout ante Hyeronimum extabat, vel saltèm prout primis Hyeronimi curis jussu Damasi à crassioribus nœvis expurgata erat. Ubi verò loquitur de Psalterio, quod Gallis usui erat, eam Hyeronimi versionem vel editionem intelligit, quam posterioribus curis idem Sanctus Doctor à Paulâ & Eustochio rogatus ad Exaplorum fidem penitùs restituerat. Probant secundò ex eo quòd ista secunda versio Divi Hyeronimi obelis & astericis interpolata erat, ut notat idem Sanctus Doctor: at in Vulgati seu Gallici psalterii antiquis M. SS. eædem Divi Hyeronimi notæ etiamnum conspiciuntur. Probant denique quia in iis locis quæ de Exaplorum editione refert Divus Hyeronimus tanquam diversis à vulgari & communi editione M. SS. Vulgatæ codices cum emendatione Divi Hyeronimi conveniunt. Quæ omnia simul sumpta satis apertè demonstrant, vulgatum psalterium illud ipsum esse quod ad Exaplorum fidem emendavit olim Divus Hyeronimus.

At verò Ludovicus Ferrandus vir magnæ eruditionis præfat. paraph. in psalmos c. 6. contendit rem aliter se habere, fallique hujus sententiæ authores. Arbitratur autem ipse in Romanâ Ecclesiâ usque ad Damasum solam Italam versionem usitatam fuisse. A tempore verò Damasi usque ad annum circiter 700. partim Italam, partim eam quam jussu Damasi correxerat Divus Hyeronimus: ab anno verò 700. solam Hyeronimi in omnibus Romæ Ecclesiæ usitatam fuisse usque ad Pium V. qui veterem Italam ubique restituit. Addit autem in Galliarum Ecclesiis ab earum initio Italam versionem in usu fuisse usque ad obitum Caroli Magni, quo tempore secundam Hyeronimi versionem assumpserunt. Licet autem Ferrandus nonnulla haud omninò contemnenda proferat ut suam sententiam fulciat, & Monachorum nostrorum rationibus respondeat; cum tamen vix aliter ab eorum rationibus se expediat, & suam sententiam stabiliat, quàm supponendo juxtà mentem Concilii Tridentini Divum Hyeronimum vulgatæ Bibliorum versionis nullatenùs authorem esse posse, quod nulli unquam in hâc luce litterarum persuasum faciet Ferrandus, ideò priorem sententiam multò probabiliorem esse existimamus.

§ 2.

De Libris Machabæorum.

QUOD spectat ad libros Machabæorum, constat eos non esse ab eodem authore conscriptos. Primò, quia primus & secundus non eandem chronologiam sequuntur. Secundò, quia in stylo non conveniunt. Tertiò, quia in rerum narratione etiam in eo differunt, quòd secundus narrationis seriem ab eo loco non sequatur quo primus desierat, sed rem ab altiori repetat. Primum Hebraicè conscriptum fuisse admodum probabile est. Sed à quo id actum sit, incertum. Secundus à quodam Jasonis breviatore conscriptus est, ut elucet ex præfatione ejusdem libri, quæ c. 2. ỷ. 20. incipit. Tertius liber sicut & quartus incertorum authorum sunt.

Tertius narrat mirabilem ereptionem Judæorum quos Phisco in amphiteatro furori Elephantum exposuerat. Hoc autem contingere potuit 50. annis ante historiam Machabæorum, in prioribus libris descriptam. Quartus verò Hircani historiam refert.

Superius à nobis ostensum est duos priores Machabæorum libros Canonicis annumerandos esse. Sed quoniam nonnullas difficultates adversùs eos objiciunt Eterodoxi, operæ pretium est eas elucidare, & inanes adversariorum impetus retundere.

Prima difficultas est, quòd author libri Machabæorum asserat Alexandrum cum adhuc viveret suis divisisse regnum, cum tamen Cornelius nepos referat divisionem istam nonnisi post mortem illius contigisse. Secunda quòd subjungat Principes & Satrapas Alexandri post mortem sibi imposuisse diademata; cum tamen ex eodem Cornelio nepote habeamus id nonnisi post multos ab Alexandri morte annos contigisse. Tertia, quòd asserat Antiochum vivum captum à Romanis, quod tamen verum non est nec ullus historicus testatum facit. Quarta, quòd idem author tradat Romanos Eumeni Indiam & Mediam dedisse, cum tamen certum sit Eumenem istas Provincias nunquam gubernasse; imò nec tunc temporis in Romanorum ditione fuisse. Quinta, quòd 310. Senatores numeret, cum tamen nullus meminerit eos fuisse suprà 300. Sexta quòd uni summam potestatem apud Romanos traditam fuisse memoret; cum tamen certum sit duos semper extitisse Consules. Septima, quòd Alexander dicatur ab eo Antiochi filius; cum tamen certum sit eum fuisse suppositum. Denique quòd Darius dicatur tunc fuisse Rex Lacædemoniorum; cum tamen Lacædemones nullum istius nominis Regem habuerint.

Sed difficultates illæ non sunt insuperabiles. Ad eas enim sic responderi potest. Ad primam, istam divisionem non fuisse in diversos principatus absolutos, sed in satrapias: vel divisionem istam nihil aliud fuisse præter designationem, vel etiam donationem ex hipothesi quòd filios non haberet, vel ad ætatem regnandi non pervenirent: vel denique dicendum

quod

quod licet Alexander adhuc vivus regnum suum satrapis suis divisisset: nihilominùs post ejus mortem satrapæ ipsius, idem inter se diviserunt, quemadmodum post mortem Ludovici Pii filiis ejus contigit. Ad secundam, asserere quidem authorem Principes istos diademata sibi imposuisse post mortem Alexandri; sed non dicere id statim post mortem ejus contigisse. Ad tertiam, dum dicit Antiochum captum, id de apprehensione propriè dictâ non esse intelligendum, sed significare eum in summas angustias fuisse redactum, coactumque Romanorum jugum recipere. Ad quartam, hîc errorem librarii esse, substituendumque pro Indiâ Myndiam, & pro Media Mysiam; sicque nullam difficultatem superfuturam. Ad quintam, numerum rotundum ab aliis observatum esse qui 300. tantùm Senatores numerarunt, vel non eos omnes de quibus meminit author fuisse Senatores, sed aliquos è populo à Magistratibus assumptos ad deliberandum. Ad sextam, quòd licet duo semper essent Consules, alternatim tamen sive per dies, sive per menses potestatem suam exercebant, sicque verum erat summam potestatem apud Romanos penès unum semper esse. Ad septimam, Alexandrum dictum Antiochi filium vel ex opinione vulgi ita sentientis, vel quia se talem jactabat Ad octavam denique, scribæ erratum esse, ac pro Dario substituendum esse Arium, sicque omnem difficultatem ablatam fore.

Alias rursùs difficultates adversùs eundem librum opponunt Eterodoxi, ægrè ferentes librum in quo preces pro defunctis commendantur, inter Canonicos recenseri. Prima ex eo petitur quòd asserat author libri primi Alexandrum Magnum primum regnasse in Græciâ; cum tamen plures Reges ante eum extiterint. Secunda est, quòd Epocham regni Antiochi illustris assignet anno 137. regni Græcorum, cum tamen juxtà Græcorum historias & Eusebium assignanda sit anno 153. regni Græcorum. Tertia quod l. 1. c. 4. purgatio templi assignetur anno uno ante mortem Antiochi: cum tamen l. 2. biennio post ejusdem Antiochi obitum consignetur. Quarta quod Judas qui l. 1. c. 9. occisus dicitur an. 152. regni Græcorum, cum tamen l. 2. c. 1. scripserit epistolam post

triginta annos ab istâ epochâ, nimirùm anno 188. regni Græcorum. Quinta, quod l. 1. cap. 6. Antiochus dicatur mortuus Babilone præ tristitiâ; cum tamen l. 2. c. 1. dicatur in templo Nannææ occisus à Sacerdotibus, & capite abscisso membratim discerptus. Sexta, quod l. 2. c. 2. dicatur Jeremiam tulisse tabernaculum, arcam & altare incensi in direptione urbis à Chaldæis, & eâ deportatâ in montem Nebo, abscondisse in speluncâ, quod tamen non videtur potuisse facere neque tempore obsidionis cum esset incarceratus; neque tempore direptionis cum id facere non esset permissus à Chaldæis. Septima est quod author libri secundi astruere videatur preces pro damnatis, cum ii pro quibus Judas misit Jerosolimam offerri sacrificium, peccassent lethaliter abscondendo sub tunicis de donariis Idolorum, à quibus Lex prohibebat. Octava, denique quod l. 2. cap. 14. actio Raziæ qui seipsum occidit, tanquam bona commendetur; cum tamen malam fuisse certum sit.

Respondetur primò quod licet aliquas difficultates ex iis quæ nobis objiciuntur solvere non possemus, non ideò rejiciendos forè hos libros: siquidem certum est in aliis libris quos omnes ut Canonicos recipiunt, maximas nihilominùs difficultates occurrere. Respondetur secundò istas omnes difficultates non minùs quàm præcedentes posse elucidari. Ad primam itaque respondetur, Alexandrum, primum fuisse, qui in totâ Græciâ regnarit, etsi nonnulli anteà essent Reges particulares. Ad secundam: Epocham authoris lib. 2. Machab. non incipere à regno Alexandri, sed à regno Seleuci qui decem annis post Alexandri mortem regnare cæpit; quibus annis si quinque conjunguntur quibus regnavit Alexander, utraque Chronologia conveniet. Ad tertiam: purgationem templi referri quidem l. 2. Mach. cum aliis rebus quæ biennio tantùm post mortem Antiochi contigerunt, sed ad illud tempus ab authore non referri, nec tunc tantùm contigisse affirmari. Ad quartam: vel Epocham illius epistolæ esse clausulam epistolæ præcedentis, non initium sequentis; vel epistolæ illius authorem aliam Chronologiam Regni Græcorum secutum esse quam author libri

immutare noluerit. Ad quintam : quod licet milites Antiochi membratim discerpti fuissent in templo Nannææ, ipseque Antiochus percussus etiam fuisset, nihilominùs indè adhuc vivus evasit, ac paulò post Babiloniam profectus ibi præ tristitiâ in morbum lethalem incidit. Ad sextam : potuisse Jeremiam istud præstare, vel sub Rege Joachim, sub quo, (Jerosolimam obsidente Nabucodonosor,) liber erat Jeremias, ut patet ex ejusdem c. 27. & 29. vel post urbis excidium, cum gratissimus esset Chaldæis, jussissetque Nabuchodonosor ut ei concederetur quodcumque petiisset, Jer. 39. Ad septimam : potuisse istos excusari à lethali, vel ob paupertatem, vel ob ignorantiam, vel etiam ob paucitatem materiæ, ut notat Grotius, vel denique piè existimasse Judam eos vel aliquos eorum facti sui pœnitentes obiisse. Ad octavam denique : referri quidem Raziæ actionem, & ut actum virilis animi commendari : sed non ut actum virtutis laudari, ut jam pridem notàvit D. Augustinus l. contrà Epistolam Gaudentii c. 23. & ep. 61.

Cæterùm hi libri dicuntur Machabæorum à Juda Machabæo qui cognomen istud sortitus est ab insigni sententiâ Exodi 15. quam suis vexillis inscribi curaverat, nimirùm Micamoca Be Elim Jehova, id est, *quis similis tui in fortibus Domine.*

§ 3.

De libris tertio & quarto Esdræ.

QUOD spectat ad tertium & quartum Esdræ, quamvis utriusque author incertus sit, certum tamen est eos non ab eodem authore conscriptos esse. Primus enim altero multò antiquior est; præterquàm enim Græcè primò conscriptus est, cum alter tantùm Latinè habeatur; citatur interdùm à veteribus, ut Athanasio, Ambrosio, & Augustino. Alter verò omnibus veteribus incognitus fuit. Deinde prior nihil fidei aut bonis moribus contrarium continet; cum nihil aliud sit præter duorum præcedentium compendium. Alter verò præter visiones, somnia, & nænias quibus respersus est,

aliquibus etiam ſcatet erroribus. Præterea ſtili diverſitas diverſos etiam arguit authores. Denique idem etiam ex eo oſtenditur quòd author prioris 19. generationes ab Aarone ad ſe numeret, alter verò non recenſeat niſi quindecim.

§ 4.

De Oratione Manasſis Regis.

DENIQUE quod attinet ad Orationem Manaſſis, ſciendum eſt 2. Para. 33. ỳ. 19. mentionem fieri de quâdam ejus Oratione quâ converſus ad Dominum Deum ſuum miſericordiam ab eo obtinuit: ibidemque aſſeri, tàm illam Orationem, quàm multa alia, quæ ad Manaſſen ſpectabant, ſcripta haberi in ſermonibus Hozaï. Cum autem hi ſermones hodiè non ampliùs extent, nec proindè ex illis examinari poſſit utrùm Oratio, quæ in calce Bibliorum noſtrorum Manaſſi tribuitur, eadem ſit quam olim protulit, quæque in illis ſermonibus continebatur: ideò licet ea quam habemus nihil contineat quod fidei aut bonis moribus repugnet; imò multa ad ædificationem fidelium contineat: licet etiam ſæpè à Patribus Latinis laudata ſit; nihilominùs inter Scripturas Canonicas non numeratur, maximè cum nec Græcè nec Hebraicè habeatur ſed Latinè tantùm.



DISSERTATIO VIGESIMA QUINTA

DE DIVISIONE OMNIS Ævi ſecundùm Gentiles, Judæos & Chriſtianos. Nec non de temporis initio.

HACTENUS præcipuas Scripturæ difficultates, quæ ad hiſtoriam Sacram ſpectant attigimus, & elucidare tentavimus. Supereſt ad inſtituti noſtri rationem, ut eas quoque quæ circà ipſius hiſtoriæ formam, ſive Chronologiam occurrunt, breviter perſtringamus. Ut autem ordinem aliquem in his quæ dicturi ſumus, obſervemus, & iis quæ paſſim in Chronologicis quæſtionibus de diverſis mundi ætatibus dicturi ſumus, lucem aliquam afferamus; hìc de diversâ apud diverſos temporis & ævi diviſione nonnulla præmittemus: tùm ipſius temporis initium juxtà probabiliorem ſententiam aſſignare tentabimus. Itaque.

Quòd ſpectat ad totius ævi diviſionem, in eâ pro vario diverſæ religionis & vitæ inſtituto, variaſſe reperiuntur diverſi ſcriptores. Aliam enim excogitarunt Pagani, aliam fecerunt Judæi, aliam ſecuti ſunt Chriſtiani. Rursùs apud Paganos aliam finxerunt Poëtæ, aliam invenerunt Hiſtorici. Poëtæ qui, ut omnibus notum eſt, primi fuerunt Gentilium ſcriptores, tempus omne in quatuor ætates partiti ſunt, auream nimirùm, argenteam, æneam, & ferream. Auream ætatem ordiebantur ab initio regni Saturni, & uſque ad ejus expulſionem à regno producebant. Quibus & aliis ſimilibus quæ primæ mundi ætati tribuerunt tempus illud indicaſſe videntur, quo primus parens in Paradiſo ante peccatum vixit. Argenteam ætatem eam dixerunt, quæ aureæ immediatè ſucceſſit & ſub quâ diverſæ artes inventæ ſunt. Quod optimè convenit iis quæ in Scripturis narrantur

de tempore quod ab Adamo pulſo ad diluvium uſque fluxit. Hanc ætatem excepit ænea, quæ in variis bellis ferè tota conſumpta eſt, tandiùque duravit, quandiù regnaverunt Heroës ſeu Semidei, inter quos eos numerant qui apud Thebas Boetias pugnaverunt propter oves Oedipi, qui ad expeditionem argonauticam profecti ſunt, & bello Trojano præfuerunt. Hoc autem tempus ſatis commodè exponitur de iis ætatibus, quibus poſt diluvium varia Regna condita ſunt, & varia bella geſta, uſque ad tempora Samuëlis. Denique ferream ætatem incepiſſe volunt ab Oreſte, ſeu ab ætate bellum Trojanum proximè ſubſecutâ: hic enim in recenſendis heroibus ſiſtunt Homerus, Æſchiles, Sophocles, Euripides & alii Poëtæ.

Hiſtorici verò tres tantùm totius ævi partes fecerunt, tempus enim omne diviſerunt in ἀδήλον μυθικὸν, & ἱςὸρικον. ἄδηλον, ſeu incertum vel ignotum, complectebatur tempus omne quod ab initio rerum uſque ad priorem Cataclyſmum ſeu Ogigis, ſive ad ætatem Jacobi Patriarchæ effluxit. μυθικὸν ſeu fabuloſum, quod pertinebat ad originem Deorum Græciæ, putà Jovis, Martis, Mercurii & cæterorum Deorum, nec non & Heroum, uſque ad Olympiadem primam ſeu tempora Oziæ Regis Juda extendebatur, Hiſtoricum verò quod narrationes continebat ab Olimpiade primâ cæpit & ad nos uſque perduravit.

Judæi in Talmude fol. 9. c. 1. tempus omne in tres partes dividunt, quorum ſingulæ bis mille annos continent; hancque ſententiam ex traditione domus Eliæ ſe hauſiſſe contendunt. Sic enim habetur loco citato: *Sex millia annorum mundus, & deindè conflagratio. Duo millia inane, duo millia Lex, duo millia Lex Meſſiæ, & propter peccata noſtra quæ multa ſunt deerunt anni qui deerunt.* Duos priores annorum milliarios vocant inane, quia his temporibus maxima pars orbis erat inanis ſeu abſque habitatoribus. Duos ſequentes milliarios nomine Legis appellant; ſed per illam Legem alia non eſt intelligenda præter legem Circumciſionis, & promiſſionem Abrahæ factam, quæ contigit circiter poſt bis mille annos ab orbe condito. Cæterùm probabile

non est hunc Eliam à quo istam divisionem acceperunt, fuisse Thesbitem; sed multò verisimilius est fuisse alterum Eliam, qui, ut vult J. Gerardus Vossius, durante secundo templo vixerit. Contendunt autem nonnulli Eliam istum conjecturam istam hausisse ex duobus principiis. Primum, quod in primo versu libri Genesis littera Aleph quæ apud Hebræos millenarium designat, sexies reperiatur: undè cum insuper sex dies opificio mundi tribuantur, dicaturque in psal. *Mille anni antè oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit*; indè Eliam collegisse volunt, mundum 6000. annis duraturum. Secundum principium est, quod tantùm tribuendum videtur Legi gratiæ, quantùm Legi naturæ & Legi Circumcisionis: atqui Lex utraque 2000. annis duravit. Ex quo collectum volunt totidem etiam annis Legem Messiæ duraturam, sicque totam mundi durationem 6000. annis concludendam.

Christiani authores tempus omne in diversas mundi ætates vulgò partiuntur. Alii quidem in plures, alii autem in pauciores. Divus Augustinus sex tantùm enumerat, prima est ab Adamo ad Noë, secunda à Noë ad Abraham, tertia ab Abraham ad David, quarta à David ab captivitatem Babilonicam, quinta à captivitate ad Christi Incarnationem, sexta denique ab Incarnatione Christi ad finem mundi. Idem statuunt Gregorius Magnus Hom. 19. in Evang. & Nicetas in orationem 42. Gregor. Naz. excepto quòd tertiam ætatem ad Moysen tantùm perducunt; quartam verò ad captivitatem usque pertrahunt. Joannes verò Damascenus l. 2. c. 1. quem sequuntur Judoc. Cliton. Comment. in Damasc. & nonnulli recentiores, utriusque sententiæ diversas partitiones adoptando, septem ætates numerant. Denique ex recentioribus nonnulli decem ætates admittunt, alii pauciores; ita ut in re, quæ ex cujusque arbitrio pendet, liberum sit unicuique quam maluerit divisionem sequi.

Ut igitur aliquem in hisce Chronologicis rationibus ordinem sequamur, sex ætates ab exordio mundi ad Christum usque statuemus. Prima erit à Creatione ad diluvium. Secunda à diluvio ad Abraham. Tertia ab Abraham ad libe-

rationem de captivitate Ægiptiacâ per Moysen. Quarta ab exitu Israëlitarum de Ægipto ad initium ædificationis templi Jerosolimitani per Salomonem. Quinta à constructione templi ad captivitatem anno undecimo Sedeciæ. Sexta denique à captivitate ad Christum. Sed antequàm ulteriùs progrediamur, & ad singulas ætates descendamus; nonnulla de temporis initio præmittenda sunt. Itaque.

Quòd spectat ad temporis initium, cum inter Chronologos hactenùs certò definiri nequiverit, quo tempore mundus editus fuerit id unum omnes statuunt, saltèm hieme non esse creatum. Sed de cæteris tempestatibus inter se disputant. Alii enim, ut Scaliger, Petavius, Torniellus, & plures alii in autumno: alii, ut Gerardus Mercator in æstate; alii denique complures in vere, rerum temporumque primordia statuunt. Qui primam sententiam amplectuntur eam vulgò probant, primò quia eo tempore mundum creari congruebat, quo fruges maturæ sunt ad usum hominis & bestiarum, itemque quo arbores pleræque fructus maturos proferunt; quod etiam de facto sic ordinatum fuisse Scriptura disertè testatur: atqui ista tempestas est autumnus. Secundò, quia plerique Orientales populi ab antiquissimis temporibùs, quorum assignari nequit initium, annum ab autumno inchoant, quod de ipsis etiam Israëlitis apertum est ex Scripturâ Exodi 23. ubi sic habetur: *solemnitatem quoque in exitu anni quando congregaveris omnes fruges tuas:* & capite 34. *solemnitatem quoque ages, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.* Cuique autem notum est solemnitatem istam esse festum tabernaculorum, quod celebrabatur mense Tirsi, qui respondet nostro Septembri vel Octobri. Eadem autem ratio indè etiam confirmatur, quòd postquàm Moyses anni sacri principium in mense Nisan collocavit, nihilominùs anni civilis exordium in mense Tirsi numerari non desiit, ut testis est Josephus libro primo antiquitatum capite quarto.

Qui verò pro secundâ sententiâ decertant, eam statuere conantur, primò ex Genesis 8. ubi columba quam Noë de Arcâ emisit, ad eum rediisse dicitur cum ramo virentis

olivæ : atqui oliva teste Plinio libro 18. cap. 25. virescere incipit circà æstatem, testaturque Scriptura Noë de Arcâ exiisse secundo mense 27. die mensis, proindèque ex hoc sequi videtur annum ab æstate tunc temporis incepisse. Secundò idem confirmant ex antiquâ Arabum consuetudine, qui teste Julio Firmo libro 3. & Macrobio libro de somnio Scipionis, annum inchoabant ab æstate. Cum autem Arabes satis vicini fuerint Mesopotamiæ in quâ Paradisum olim sitũ fuisse vulgò creditur, nec longè distentâ Chaldæâ, primo omnium regno, hinc probabile creditur, ab exordio mundi, annum ab æstate incepisse.

Denique authores tertiæ sententiæ suam opinionem probant, primò ex restitutione initii anni verno tempore à Mose factâ Exodi 12. volunt enim ibi Moysen mutasse tantùm consuetudinem, quam ab Ægyptiis mutuati fuerant, incipiendi annum ab autumno, & consuetudinem Abrahæ & aliorum Patriarcharum, qui annum à mense Nisan semper inceperant, restituisse. Secundò ex Consilio Palæstino sub Theophilo Cæsariensi tempore Victoris Papæ circà controversiam Paschæ habito, de quo meminit Eusebius libro 5. cap. 23. cujus etiam acta referuntur à Bedâ libro de ætate mundi, in quo unanimi Patrum istius consilii consensu definitum est, mundum editum fuisse verno tempore. Tertiò ex Sanctis Patribus tùm græcis tùm latinis, quibus addi possunt innumeri penè Theologi & Ecclesiastici Scriptores, qui unanimi consensu eamdem sententiam amplectuntur. Quartò denique ex recto ordine divinæ providentiæ, cujus suavi dispositioni non congruebat ut Noë de Arcâ egrederetur rigente hieme, & eâ tempestate quâ cunctis frugibus, tùm ipse, tùm cuncta animalia, ad vitam sustentandam destituerentur, quòd tamen necesse sequeretur ex priori sententiâ, quæ initium anni in autumno statuit.

Cæterùm etsi in priorem sententiam, quam hodiè tuentur plerique doctiores, magis propendeamus, fatendum tamen est nullam istarum sententiarum satis firmas posse afferre rationes, ut alias excludat. Quod ut manifestiùs fiat, singulas cujusque sententiæ hic expendemus. Itaque ad primam

prioris ſententiæ rationem, reſpondetur fructuum & frugum maturitatem æquè verno tempori ac autumnali convenire poſſe; cum in pleriſque Orientalibus regionibus bis in anno fruges colligi poſſint. Niſi fortè dicatur id de iis ſolis regionibus verum eſſe, quæ ſitæ ſunt in zonâ torridâ, non verò de iis quæ ſunt in zonâ temperatâ. Advertendum eſt etiam contrà iſtam rationem, quòd in Palæſtinâ meſſis verno tempore fiebat menſe ſecundo, vel tertio anni ſacri, imò quandoque primo ut patet tùm ex lib. Joſ. tùm ex multis aliis locis. Ad ſecundam, diſtinguendum eſſe annum civilem cujus initium ex cujuſque rationis arbitrio pendet, à naturali qui à creatione mundi incepit. Ad rationes autem ſecundæ ſententiæ, reſpondetur ad primam, eam nihil omninò probare, cum certum ſit toto anni tempore olivam virere. Ad ſecundam, conſuetudinem iſtam Arabum, quæ tamen non adeo certa eſt quin aliqui eam negent, præponderare nec poſſe nec debere aliorum Orientalium conſuetudini, qui annum ab autumno incipiebant. Denique ad rationes tertiæ ſententiæ reſpondetur ad primam, eam eſſe meram conjecturam, quæ nullum habet in Scripturâ fundamentum; proindèque facilè poteſt rejici; præcipuè cum parùm probabilè ſit aut Jacobum Patriarcham qui primus Ægyptum cum filiis incoluit, rationem anni à majoribus acceptam immutare voluiſſe: deindè ejus nepotes eam poſteà reliquiſſe, ut Hebræorum conſuetudinem revocarent. Ad ſecundam, Conſiliorum definitiones in hujuſmodi rebus non habere authoritatem infallibilem: maximè cum in definitionibus ſuis rationem potiùs ſequuntur quàm traditionem; quod in iſto concilio contigiſſe certum eſt. Ad tertiam, in rebus quæ fidem aut bonos mores non ſpectant, unumquemque abundare poſſe in ſuo ſenſu. Ad quartam denique, hyemis rigorem maximé temperatum eſſe in Armeniâ ubi Arcam quieviſſe poſt diluvium Scriptura teſtatur: neque abundantiam frugum & victus Noë deeſſe potuiſſe; cum omnia neceſſaria uſque ad novas fruges Arca eidem ſuppeditare potuerit. Cum itaque nulla ex iſtis opinionibus certa ſit, nulla ſuis rationibus careat, eam quiſque poterit

amplecti,

amplecti, quæ magis probabilis ponderatis omnibus ei visa fuerit.

DISSERTATIO VIGESIMA SEXTA

DE ANNIS SOLIS ET LUNÆ,

Mensibus, Cyclis, Indictionibus, Periodo Julianâ, & eorum omnium usu.

ANNUS juxtà quòd ab omnibus nationibus definitum est, tempus quoddam est quod per duorum syderum conversionem computatur, Solis nimirùm & lunæ. Solis autem circuitus à magnitudine circuli annus dictus est, cum breviores circuli non anni sed annuli dici consueverint. Porrò duplex est annus, solaris nimirùm & lunaris. Solaris autem iterùm duplex est; tropicus seu Astronomicus, & civilis. Tropicus concluditur spatio dierum 365. horarum 5. & scrupulorum 49. sicque scrupuli undecim ad complementum horæ sextæ desiderantur. Civilis qui à communi usu ita dictus est, & à Julio Cæsare qui eum in orbem Romanum introduxit; Julianus etiam nuncupatur, constat diebus 365. & 6. horis integris quæ intrà quatuor annorum spatium simul junctæ diem faciunt, qui ante 6. Kalendas Martias collocatus quarto quoque anno bissextilem annum efficit. Quia verò hic annus undecim scrupulis longior est tropico; ita ut intrà 131. annos omnes isti scrupuli simul juncti diem efficiant, contigit ut anno 1582. annus tropicus decem diebus integris Julianum anteverteret; ex quo eveniebat ut nec æquinoxium vernum rectè in Calendariis annotaretur, nec consequenter Paschalis solemnitas ritè, seu debito tempore celebraretur. Idcircò, ut in meliorem formam anni reducerentur, authoritate Gregorii 13. factum est ut decem dies anni prædicti expungerentur. Et ne deinceps idem in annis

error poſſet obrepere, cautum eſt ut intrà circulum 400. annorum tribus primis centuriis vertentibus dies unus biſſextilis perimeretur. De his autem conſule Calvium in Calend. correct. & Petavium Rat. temp. part. 2. cap. 1. & de Doctrinâ temp. lib. 5. & 7. Porrò hæc anni Juliani forma quoniam expeditior eſt, ab omnibus qui Chronica, vel Annales ab initio mundi ſcripſerunt uſurpata eſt, & adhibita. Immò probabile eſt, ut infrà dicemus, eam ab ipſo rerum exordio apud primos Patriarchas uſitatam fuiſſe.

Annus lunaris eſt intervallum uno lunæ circuitu duodecies deſcriptum. Hic autem circuitus ſeu menſis lunæ, duplex eſt. Primus dicitur periodicus, quia nudâ lunæ periodo clauditur, eſtque dierum 27. horarum 7. minut. prim. 43. & 7. ſecund. quod ſpatium temporis in ſuo circulo conficiendo luna impendit. Alter dicitur ſynodicus quo luna à ſole digreſſa eumdem aſſequitur, eſtque dierum 29. horarum 12. minut. 44. ſecund. 3. Conſtat autem annus lunaris ex menſibus ſynodicis non ex periodicis: proindèque habet dies 354. horas 8. prima minuta 48. ſecunda circiter 38. Nihilominùs cum præter duplicem menſem lunarem mox relatum ſit & alius menſis civilis quo vulgò utimur conſtans 29. & 30. diebus alternatim, quaſi menſis periodicus ultrà 29. dies 12. etiam horas integras nec ultrà includeret, non erit inutile annotare nonnullos Orientales populos, ut Arabes & Turcas, ex iſtis menſibus lunaribus ſuos annos conficere.

Cyclus decemnovennalis eſt revolutio ſolis & lunæ ab uno anno ad novemdecim: quâ peractâ iterùm ad unum reditur. Ideò autem hic Cyclus excogitatus eſt, quia ferè omnes populi qui lunarem annum amplexi ſunt, cum cum ſolari conjunctum, & uno velut orbe ſeu cyclo incluſum adhibuerunt. Hic autem ſolis & lunæ circuitus variè tentatus eſt, licet necdum omninò compertus, & multiplici annorum intervallo finitus. Primùm biennii, deindè quadriennii ſeu tetraeteridis; poſteà ogdoeteridis ſpatium maximè placuit, quaſi intrà illud ſolis & lunæ circuitus iterùm in eodem puncto convenirent. Sed nec hic Cyclus ſatis accuratus deprehenſus eſt: ideòque excogitatus eſt novem-

decim annorum cyclus, tanquam eo convertente annorum numero, amborum ſyderum ab eodem puncto ad idem fieret reverſio, quanquam res non omninò ita ſe habeat, ut modò dicemus. Hujus Cycli author fuit apud Græcos Metho inſignis Aſtrologus, qui Athenis floruit Olympiadis 86. an. 4. hoc eſt ante Chriſtum 432. hujuſque Cycli uſum cæteræ poſteà nationes receperunt; eumque Chriſtiani ad Paſchalem celebritatem & ſacrorum tempora ordinanda tranſtulerunt. Porrò dictus eſt etiam aureus numerus eo quòd aureo charactere primùm deſcribi ſoleret. Hæc autem eſt ratio hujus Cycli. Quilibet annus Julianus conſtat diebus 365. horis 6. quæ ſumma per 19. multiplicata efficit 6959. & horas 18. Anni verò lunares ſic ducti cum ſuis diebus conſtant ferè 6732. hor. 23. 24. primis & 5. ſecundis quæ faciunt menſes lunares ſeu Syzigias 228. Addunt ergò 7. menſes ejuſdem generis qui certis annis ſimplicibus additi intercalares dicti ſunt. 7. verò lunares Syzigiæ efficiunt dies 206. horas 15. prima 8. ſecunda 22. quâ ſummâ ad menſes 228. additâ efficiunt dies 6939. horas 16. prim. 32. ſecund. 27. quæ in totum Syzigias lunares efficiunt 235. Hæc eſt lunaris enneadecacteris, ſeu Cyclus decemnovennalis qui Julianis 19. annis minor eſt horâ 1. primis 27. ſecundis 32. circiter. Quapropter annis 19. vertentibus non fit præcisè peræquatio motuum uniuſcujuſque ſyderis; neque luna ad idem diei punctum revertitur undè erat digreſſa: ſed horâ unâ. 27. primis. 32. ſecundis antevertit primam Epocham. Quod diſcrimen diù neglectum paulatim maximam labem in noviluniorum calculos invexit. Quippe anno 1582. quo Faſti à Gregorio 13. correcti ſunt, anteceſſio lunaris deprehenſa eſt quatridui circiter, à tempore Nicænæ ſynodi, id eſt ab annis 1257. qui ſunt enneadecacteridis paulò plus 66.

Cyclus Solis eſt revolutio annorum ab uno ad viginti octo per litteras Dominicales, quâ revolutione peractâ, iterùm reditur ad primum & eamdem litteram Dominicalem. Explicatur: quemadmodum ſinguli cujuſque menſis dies cyphrâ deſignantur, ità hebdomadum dies ſeptem litteris A. B. C. D. E. F. G. deſignantur. Nota autem cuilibet diei ſemel aſſi-

gnata, eadem ſemper eſſet ſi annus 52. hebdomadas non excederet: ſed quia uno die quotannis ſuperabundat, hinc fit ut annus ſequens non ab eâdem feriâ, à quâ præcedens, ſed à ſequenti incipiat; proindèque nec jam quælibet feria eamdem litteram habeat quam præcedenti anno habebat, ſed ſequentem: & ſic ſucceſſivè per ſingulos annos. Cum autem ſeptem tantùm ſint litteræ, quælibet dies poſt ſeptennium ad eamdem litteram redire deberet, niſi quolibet quadriennio annus biſſextilis unum etiam diem ſuperadderet ſexto Kalendas Martii. Ex quo fit ut poſt illum diem quælibet feria litteram quam ante 6. Kalendas Martias habebat, in ſequentem mutet. Undè non jam poſt ſeptennium quælibet feria ad eam litteram redit; ſed tantùm poſt elapſum quater ſeptennium, ideſt poſt viginti octo annorum ſpatium, quod ſpatium Cyclus Solis, ſeu littera Dominicalis nuncupatur.

Indictio, eſt revolutio ab uno ad quindecim; quâ peractâ reditur ad primum. Hujus autem Cycli origo & uſus primarius in hiſtoriâ maximè obſcurus eſt. Cenſet Baronius, qui de eo fusè agit ad annum Chriſti 312. eum ab Imperatore Conſtantino inventum eſſe ad ſtipendia militum numeranda ſingulis annis uſque ad decimum quartum militiæ quo tanquam emeritis privilegia veteranorum concedebantur. Aliud tamen de indictione ſentit Joſ. Scaliger. lib. 5. de emend. temp. & Calviſius in ſuâ Chronolog. quos quiſque conſulere poteſt.


Periodus Juliana eſt orbis annorum ex triplici cyclo lunæ ſolis & indictionum contextus, ex quibus inter ſe multiplicatis reſultabit periodus an. 7980. ſi enim 19. & 28. multiplicentur in ſe exurgent anni 532. qui numerus per 15. multiplicatus facit ſummam annorum 7980. Dicta autem eſt Juliana hæc Periodus, quia ad methodum anni Juliani & ejus Cyclorum accommodata eſt ab authore illius Joſepho Scaligero. Hæc autem eſt ratio hujus Periodi, ut quilibet illius annus ſuis cyclis ſit præditus, cujuſmodi omnes & ſingulos nullus alius in totâ Periodo poſſidet; cum nonniſi poſt elapſos 7980. annos redire poſſint. Et cum primus annus hujus

Periodi habeat cyclum ſolis 1. lunæ 1. indictionis 1. in annis 7980. nullum reperire eſt cui tres illi cycli ſimul conveniant.

Porrò maximus eſt hujus Periodi uſus, maximaque utilitas in chronicis & chronologiis, quæ vel ab exordio rerum, vel ab aliâ quælibet epochâ ante æram Chriſtianam inchoantur. Cum enim tanta ſit opinionum diverſitas in annorum ſerie ab orbe condito numerandâ; ut vix duo authores inter ſe conſentiant; indè fit ut cum eventum aliquem tali vel tali anno aſſignatum ab aliquo authore reperimus, non poſſimus illius anni à nobis diſtantiam ſcire, niſi priùs inveſtigaverimus quot annos author iſte ab orbe condito ad primũ æræ Chriſtianæ noſtræ annum numeret, quod in ſingulis libris & chronicis requirere valdè moleſtum eſt. Prætereà cum in diverſis hiſtoriis & epochis plerùmque diverſa ſint annorum initia, ita ut nonnulli vernâ tempeſtate, ſcilicet Martio incipiant, ut anni urbis Romæ; alii à ſolſtitio æſtivo ſeu Juliano, ut Græci. Alii ab autumno ſeu Octobri, ut Judaici & Seleucidarum anni; alii à brumâ ſeu Januario ut Juliani, facilè in tantâ diverſitate poteſt oriri confuſio, maximè cum in diverſis illis annorum initiis explanare neceſſe ſit utrùm in initio, medio, vel fine anni res relata contigerit, ut eventus cum annis Julianis conciliari poſſit. Ab his autem ambagibus ſe expediet qui Periodum Julianam adhibebit. Cum enim omnia chronicorum qui hodiè paſſim apud eruditos recipiuntur, initia antecedat, quantùmlibet inter ſe diſcrepantes mundi epochæ ſuum in illâ periodo ſitum obtinent.

Ut autem magis in particulari pateat hujus Periodi utilitas, ſtatuenda eſt aliqua epocha in quâ omnes Chronologi conveniant. Præcipua autem inter alias omnes Epocha eſt æra Chriſtiana, in quâ omnes Chriſtiani conſentiunt, licet de vero natali Chriſti anno inter ſe diſſideant. Hæc autem caput eſt & limes in quem confluunt omnia Chronologorum ratiocinia. Illam autem collocant omnes anno Periodi Jul. 4714. ità ut primus ille æræ Chriſtianæ annus Cyclum habeat lunæ 2. ſolis 10. indict. Rom 4. quod quiſque reperiet, ſi 4714. dividat per 19. 28. & 15. hanc enim annorum ſummam

dividendo per 19. restabunt duo, qui erit cyclus lunæ; si per 28. supererunt decem, qui est Cyclus solis. Si per 15. supererunt 4. qui est numerus indictionis illius anni. Quapropter ab initio periodi Julianæ ad primum æræ Christianæ annum exclusivè integri numerandi sunt anni 4713. Nemo est autē ex Latinis Chronologis, paucissimis exceptis, de quibus infrà, qui mundi primordia non multo posteriùs hâc annorum summâ constituat: nam alii 4000. alii 4050. alii 100. plus vel minùs annis intervallum istud definiunt; ideo citrà Periodi Julianæ initium istorum annorum principia consistunt. Hoc posito facilè quamlibet aliam epocham cum Periodo Julianâ conciliare. Si enim quæras, verbi gratiâ, quo anno hujus Periodi conditus sit mundus, cum juxtà rationes Chronologicas inferiùs tradendas anni 4004. ab orbe condito ad æram vulgarem numerandi sint, si totidem annos ex periodo prædictâ an. 4714. auferas, supererunt anni 710. undè inferendum est orbem conditum esse anno 710. Periodi Julianæ: hic autem annus habet cyclum lunæ 7. Solis 10. & indict. 5. ut quilibet perspicere potest dividendo summam an. 710. per 19. 28. & 15. quod in quâlibet aliâ summâ annorum observatum Cyclos facilè exhibebit. Cæterùm quisque facilè intelligit cujuscunque Epochæ temporis quod æram vulgarem præcesserit, annum in periodo Julianâ facilè & certò inveniri posse: dummodo enim numerus annorum assignatus à numero 4714. auferatur, qui supererunt anni, locum illius Epochæ in periodo Julianâ indicabunt. Verbi gratiâ, si quæratur quo anno Periodi Jul. primus Olympiadis primæ annus assignandus sit, cum annus primus Olymp. primæ sit 776. antè æram vulgarem, statim deprehendetur ablato isto numero ex 4714. superesse 3938. sicque primum annum Olympiadis primæ, anno periodi Julianæ 3938. assignandum esse, quod idem, ut patet, æquè facilè inveniri poterit in aliâ quâlibet Epochâ.



DISSERTATIO VIGESIMA SEPTIMA

DE ANNIS PRIMORUM Patriarcharum. De annis Hebraeorum & Ægyptiorum, simul & de Chronologia sacra initio usque ad diluvium.

§ I.

De annis primorum Patriarcharum.

CIRCA annos primorum Patriarcharum sciendum est, multis olim præsertim medicis incredibile visum esse primos homines tot annorum Centuriis vixisse, nonnullosque illorum superasse 900. annos nostris æquales. Undè alii per annos, menses lunares intellexerunt, quos nimirùm annos dici posse crediderunt, quòd quolibet mense luna integrum Zodiaci circulum perficiat. Alii existimaverunt, annos istos fuisse 36. dierum, qui numerus est quadratus ex senario sex ducto, efficitque circiter decimam partem anni nostri. Alii denique annos istos antiquo Ægyptiorum more computandos esse censent, qui olim (ut infrà dicetur) annos trimestres, vel quadrimestres numerabant.

Verùm annos Patriarcharum in Genesi relatos nostris fuisse similes, facile est ex eâdem Genesi demonstrare. Et quidem duæ priores sententiæ falsitatis haud difficilè convincuntur ex annis quibus illi Patriarchæ generare cœperunt. Cum enim Malaleel & Enoch anno sexagesimo quinto genuisse dicantur, si menstrui tantùm fuissent eorum anni, vel etiam triginta sex dierum, sequeretur eos anno quinto vel sexto suæ ætatis genuisse, quod absurdum est. Posterior verò sententia de annis trimestribus, vel quadrimestribus æquè facilè refellitur

ex historiâ diluvii. Cum enim in eâ septimi & decimi mensis nec non & vigesimæ septimæ diei mensis fiat mentio, manifestum est annos illius temporis non fuisse annos trimestres vel quadrimestres.

Jam verò istos annos nostris similes fuisse, ex eâdem etiam diluvii historiâ non obscurè elicitur. In eâ enim narratur diluvium incœpisse anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, die decimâ septimâ mensis, & anno sexcentesimo primo vitæ ejusdem, mense primo, primâ die mensis, immutatas esse aquas super terram. At inter decimam septimam diem secundi mensis, & primam diem primi mensis anni sequentis, numerantur à Scripturâ centùm quinquaginta dies; posteà fit mentio septimi mensis, tùm decimi. Et post primam diem decimi numerantur adhuc dies quadraginta & bis septem. Insuperque datur intelligi plures etiam dies in corvi egressionibus & reversionibus elapsos esse, proindèque satis etiam innuitur eorum annos nostris omnino similes fuisse. Cum tamen ex centùm quinquaginta diebus appareat menses omnes æquales fuisse, nimirùm triginta dierum, statuendum est alios quinque dies exactis duodecim mensibus additos fuisse.

Confirmatur hæc sententia ex eo quòd nullibi Scriptura ideam, quam de anno semel tradidit, mutasse reperiatur. Cum itaque constet progressu temporis, verbi gratiâ, in tertiâ mundi ætate & deinceps annos Hebræorum nostris æquales fuisse, ut modo dicemus, idem etiam procul dubio de annis Patriarcharum asserendum est.

§ 2.

De annis Hebræorum.

QUOD spectat ad annos Hebræorum, constat ex historiâ sacrâ in libro Exodi eos ante exitum ex Ægypto nostris omnino æquales fuisse; siquidem evoluto anno eadem semper tempestas redibat, & eadem peragenda in Lege paulo post datâ Israëlitis indicebantur. Nec dubitari sinit, ut modo

modo dicebamus, ſeries Scripturæ, quæ in ſingulis Geneſis & Exodi capitibus annos eodem modo ſemper numerat, hos Iſraëlitarum annos eoſdem prorsùs fuiſſe, qui olim fuerant primorum Patriarcharum, à quibus eos acceperant.

Porrò hi anni ante exitum de Ægypto, à menſe Tyſri, qui initium ſignificat, & noſtro Septembri vel Octobri reſpondet, incipiebant: quia nimirùm exiſtimabant Hebræi mundum ab autumno incœpiſſe. Undè notat Divus Hieronimus in cap. 1. Ezech. antiquiſſimas nationes in hoc anni initio cum Hebræis conſenſiſſe. Ab exitu verò ex Ægypto, anni initium in menſe Abib ſeu Niſan, Martio noſtro vel Aprili reſpondente, collocatum eſt ex mandato Dei, ut patet ex libro Exodi cap. 12. ℣. 2. ubi habetur: *menſis ille vobis initium menſium, primus erit in menſibus anni.* Hæc tamen mutatio de ſolo anno ſacro intelligenda eſt, ſecundùm quem feſta anni & Neomeniæ celebrari debebant. Annus enim Civilis & Sabbaticus etiam poſt Exodum à menſe Tyſri inchoari non deſtitit, ut colligitur ex cap. 23. Exodi ℣. 16. ubi feſtum tabernaculorum celebrandum dicitur in exitu anni; cum tamen circà menſem Septembrem celebraretur. Id etiam res familiaris exigere videbatur: ſi enim annus Sabbaticus à menſe Niſan cœpiſſet, Iſraëlitæ nihil ex fructibus terræ per duos annos collegiſſent. Teſtatur etiam Philo lib. de opif. mundi, contractus civiles, ut venditionis, elocationis, &c. juxtà calculum hujus anni Civilis ordinatos fuiſſe. Cæterùm hi anni, ſolares erant, non lunares: ſiquidem menſes ex quibus conſtabant, erant triginta dierum, ut ſuprà dictum eſt. Poſt captivitatem tamen Babylonicam, vel ſaltèm poſt Seleucidarum jugum receptum, anno uſi ſunt lunari 354. dierum, quibus addebant undecim dies cum ſex horis, ut illum ſolari accommodarent. Nec tamen mutarunt ſitum anni deſignatum, neque menſes aut hebdomadas, quas ſabbata vocant, ut conſtat ex multis Joſephi & Philonis locis.



§ 3.

De annis Ægyptiorum.

ANNUS Ægyptiacus constabat diebus trecentis sexaginta quinque, absque bissextili. Ex quo fiebat, ut quarto quoque anno, initium anni prioris uno die anteverteret, ut elapsis 1461. annis ad idem punctum rediret; ita ut si v. g. annum Ægyptiacum hoc anno 1699. observare inciperemus; fieret ut anno 1703. annus à 31. nostri Decembris inciperet; sicque deinceps usquequò dimensis 1461. annis ad primum Januarii rediret. Hâc anni formâ usi sunt Ægyptii in Fastis suis usque ad cladem Antonii & Cleopatræ. Initio tamen sui status annis menstruis aliquandiù usi sunt; posteà verò trimestribus, vel quadrimestribus, ut constat ex Solino in Polihistoro c. 2. Plutarcho in vitâ Numæ Pompilii, Plinio lib. 7. c. 8. Macrobio l. 1. Saturn. c. 12. Diodoro Siculo l. 1. Varrone apud Lactantium l. 2. c. 13. & Augustino l. 12. de civ. Dei cap. 10. quod idem de Chaldæorum annis notat idem Diodorus. Hæc autem sunt Plutarchi verba: *apud Romanos ab exordio constitit decem mensibus annus, ut apud nonnullos Barbaros tribus, & in Græciâ apud Arcados quatuor, sex in Acarnaniâ, Ægyptiis menstruus annus fuit, mox quadrimestris ut ferunt, qui quamvis regionem colant maximè novitiam, habentur vetustissimi, & numerum annorum in annalibus supputant in infinitum mensibus inter annos annumeratis.*

§ 4.

De initio Chronologiæ sacræ usque ad Diluvium.

HIs de diversis antiquorum annis prælibatis, tempus est ut ad initium Historiæ Sacræ veniamus, & nonnullas difficultates minoris momenti, quæ in annis antediluvianis occurrunt, expediamus.

Prima est circà tempus quo duravit innocentiæ status, & quo primi parentes de Paradiso ejecti sunt. Circà quam probabiliter asserere possumus primos parentes peccasse die decimâ tertiâ mundi feriâ sextâ sequentis hebdomadæ à suâ creatione, eâdemque die post increpationem divinam è Paradiso ejectos esse. Ratio est, quia plerique Sancti Patres existimant eâdem die Christum passum esse, quâ Adam lignum comedit, & de Paradiso ejectus est. Jam verò credibile non est Adamum eâdem feriâ sextâ quâ creatus est, peccasse, cum tàm multa eo die peracta esse narrentur, ut vix superesse potuerit tentationi & peccato locus, maximè cum status sui felicitatem eos aliquandiù experiri ante peccatum congruum esset. Item non debet ultrà præfatum decimum-tertium mundi diem protendi tempus hujus transgressionis; nam constat primos parentes in Paradiso Virgines mansisse: alioquin Caïn ille primogenitus reproborum sine peccato conceptus fuisset. Cum igitur aliundè urgeret eos mandatum Dei, quo benedicens eis præceperat dicens: *crescite & multiplicamini*, non videtur eorum ejectio ultrà sextam feriam secundæ mundi hebdomadis protelanda.

Secunda difficultas spectat tempus quo Caïn & Abel geniti sunt. Ad quam respondeo nemini dubium esse quin Caïn & Abel fuerint duo primi filii Adæ, & quidem diversis Evæ partubus editi, ut Scriptura dilucidè ostendit. Quapropter statuendum est Caïn natum esse sub finem primi anni mundi, Abelem verò sub finem secundi.

Tertia difficultas versatur circà tempus quo Abel à fratre occisus est. Ad quam respondeo eum occisum esse anno ætatis suæ centesimo vigesimo octavo, Adami verò centesimo trigesimo. Nam paulò post occisum Abelem natus est Seth, qui nomen istud sortitus est eo quod Deus illum posuisset & suffecisset in locum Abelis occisi. Constat autem Seth anno centesimo trigesimo Adami genitum esse; proindèque statuendum est etiam Abelem ejusdem anni initio fuisse occisum.

Quarta difficultas petitur ex annis quibus Patriarchæ genuerunt; utrùm scilicet pro completis, an pro currentibus

ſint accipiendi? Ad quam reſpondeo contrà Petavium, eos pro completis abſque ullâ dubitatione accipiendos eſſe. Cum enim vix negari poſſit ſcriptores ſacros exactam nobis ab orbe condito chronologiam tradere voluiſſe, maximè cum in majoribus epochis menſes & dies annotare ſoleant; neceſſe eſt etiam fateri annos generationis Patriarcharum pro completis ſumendos eſſe: alioqui paſſim nutaret chronologia ſacra; nec quidquam certi in eâ ſtatui poſſet. Non eſt tamen in ſingulis generationibus res adeò ſtrictè accipienda, ut nequidem unicus dies anni completi defuerit; ſed quòd ita plus minùs in ſingulis contigerit, ut in omnibus ſimul numerus completus conveniat.

Duo tamen objicit Petavius. Primum eſt quòd diluvium dicitur contigiſſe anno ſexcenteſimo vitæ Noë, quod incertum eſt an de anno currente, an verò de completo intelligendum ſit. Secundum eſt quòd c. 10. Sem dicitur genuiſſe Arphaxad *cum centum eſſet annorum*. Sed objectiones iſtas diluere non eſt difficile. Ad primam enim reſpondetur certum eſſe ex Scripturâ annum fuiſſe currentem; nec tamen id eſſe contrarium noſtræ ſententiæ: tùm quia agimus tantùm de annis generationis Patriarcharum: tùm quia Scriptura totum hunc annum per ſpatium quo duravit diluvium, percurrit, & ad initium anni ſequentis perducit. Ad alterum verò, ſecundam mundi ætatem non pendere ab ætate Semi, ſed à biennio poſt diluvium.

Quinta difficultas ſpectat tempus generationis Patriarcharũ; utrùm ſcilicet à conceptione, an verò à nativitate numerari debeat? Reſpondeo certum videri vocem generandi in Geneſi pro tempore nativitatis accipiendum eſſe: tùm quia alioqui nihil incertius eſſet illo computo, quippe cùm incertum eſſet tempus quo quiſque in utero permanſiſſet: tùm quia certum eſt in aliis pleriſque Scripturæ locis vocem generandi tempus nativitatis deſignare. Ita Matth. 2. ỹ. 1. primæ Petri 2. ỹ. 2. Geneſ. 40. ỹ. 20. Oſeæ 2. ỹ. 3.



DISSERTATIO VIGESIMA OCTAVA
DE
Annis Chronologicis primorum Patriarcharum
IN QUA

Diversorum computorum rationes diversæ referuntur. Et inquiritur potissimùm, utrùm Hebraicus Scripturæ textus versioni Græcæ septuaginta Interpretum, in rebus chronologicis sit anteponendus.

NON omnes anni Patriarcharum chronologiæ sacræ stabiliendæ inserviunt. Sed ii soli quibus filiorum suorum nativitatem precesserunt, quique propter istam rationem chronologici appellantur. Ex eorum summâ duæ priores mundi ætates constituuntur. Undè nullum esset in istarum ætatum duratione definiendâ negotium, si nulla esset in diversis calculis circà annos istos diversitas. Sed cum in utrâque illâ ætate enormis sit varietas inter diversos Scripturæ codices: hinc maxima oritur difficultas cui demum computo standum sit. Græca versio τῶν ὁ in utraque ætate, singulis ferè Patriarchis addit centum annos suprà textum Hebraicum, ante παιδογονίαν, quos totidem detrahit post παιδογονίαν. Ex quo fit ut licet utriusque linguæ codices in summâ annorum cujuslibet Patriarchæ conveniant: nihilominùs chronologia τῶν ὁ propter rationem modo allatam multis sæculis Hebraici textus chronologiam in utrâque ætate superet. Ita ut cum juxtà Hebraicos codices & Vulgatam versionem in primâ ætate, nimirùm ab initio mundi usque ad diluvium anni dumtaxat 1656. numerentur; juxtà versionem τῶν ὁ 2242. reperiantur; vel etiam 2262. secundùm alios codices, quibus usus est Divus Augustinus, in quibus Mathusalem dicebatur genuisse, non anno ætatis suæ 187. ut legimus hodiè, sed anno 167. Utriusq; differentiæ specimen meliùs exhibebit schema infrà positum.

Schema Chronologicum primæ mundi ætatis.

Juxtà textum Hebræum & Vulgatam versionem

Anno ætatis	genuit	vixit postquam genuit	in totum	Anni mundi nativitatis	Anni mundi mortis
Adam	130	800	930	1	930
Seth	105	807	912	130	1042
Enos	90	815	905	235	1140
Caïnan	70	840	910	325	1235
Malaleel	65	830	895	395	1290.
Jared	162	800	962	460	1422
Enoch	65	300	365	622	transfertur 987
Mathusala	187	782	969	687	1656
Lamech	182	595	777	874	1651
Noë	500.	450	950	1056	2006

Diluvium cœpit anno mundi 1956. duravit uno anno, desiit anno 1657.

Schema Chronologicum primæ mundi ætatis.

Juxtà Sixtinam editionem τῶν ὁ

Anno ætatis	genuit	postquam genuit vixit	in totum	Anni mundi nativitatis	mortis
Adam	230	700	930	1	930
Seth	205	707	912	230	1142
Enos	290	715	905	435	1340
Caïnan	170	740	910	625	1535
Malaleel	165	730	895	795	1690
Jared	162	800	962	960	1922
Enoch	165	200	365	1122	transfertur 1487
Mathusala	a 167 b 187	802 782	969	1287	2256
Lamech	188	565	753	1454 1474	2207 2227
Noë	500	450	950	1642 1662	2592 2612

a computum Hieronimi, Augustini & Eusebii. *b* editio Græca.
Diluvium cœpit 2242. duravit uno anno, desiit anno 2243.

Quæritur ergo quisnam calculus, Græcus an Hebraicus, sit alteri præferendus ? Circà quòd observandum est omnes antiquos Scriptores, qui primis Ecclesiæ sæculis de Chronologiâ scripserunt, secutos esse calculum LXX. Interpretum; licet multi eorum Hebraicum calculum Græco præferendum duxerint. Antiquorum opinionem & computum amplexi sunt etiam, qui postmodum Martyrologia scripserunt, aut de rebus chronologicis aliquid ediderunt usque ad initium præteriti sæculi. Contrà verò quicumque ab initio superioris sæculi res chronologicas tractarunt, ferè omnes Hebraici textûs, aut Vulgatæ versionis, authoritate ducti, calculum τῶν ὁ rejecerunt, & Hebraico textui adhæserunt. Non defuerunt tamen viri eruditi, licet pauciores numero, qui collabentem chronologiæ LXX. Interpretum authoritatem suis humeris fulcire conati sint. Celebriores inter alios fuerunt nostris diebus Isaacus Vossius Vintoniensis in Angliâ Canonicus, & post ipsum R. P. D. Paulus Pezeron collegii Parisiensis Cystercientium moderator : ille in syntagmate de LXX. Interpretibus ; hic in libro gallico anno 1687. edito cui titulus est: *antiquitas temporum restituta & propugnata adversùs Iudæos & recentiores chronologos*. Uterque causam suam quantâ potuit acritate defendit, & quanto potuit argumentorum genere munivit. Sed licet eorum argumenta non sint omninò contemnenda, multumque eruditionis in se contineant, iis tamen assensum præbere non possumus ob rationes modo referendas. Itaque.

Dicendum est textus Hebraici calculum versioni τῶν ὁ esse præferendum. Hæc assertio non eget aliis probationibus ab iis quas retulimus disserttaione tertiâ ad demonstrandum textum Hebraicum datâ operâ non fuisse à Judæis corruptum. Nam clarum est, idque fatentur ultrò adversarii, diversitatem quæ inter Hebraicos Græcosque codices reperitur, nec amanuensium negligentiæ, nec ulli casui tribui posse : sed mutationem istam consultò & datâ operâ factam esse. Ex quo sequitur quòd si nusquam Judæi suos codices datâ operâ immutarint, aut depravarint, nusquam etiam seriem annorum in sacrâ chronologiâ inverterint aut mutilarint.

Cum

Cum itaque priorem illam sententiam firmissimis argumentis totâ dissertatione tertiâ munierimus, necesse non est ut de hâcce assertione probandâ deinceps laboremus.

Addam nihilominùs primò nullam omninò afferri posse probabilem rationem cur istam depravationem in Hebraicis codicibus tentassent Judæi; cum è contrà plures occurrant, cur id ab aliis in Græcis fieri potuerit. Vel enim qui primus versionem τῶν ὁ ex eorum autographo descripsit, quem hujus depravationis authorem fuisse suspicatur S. Augustinus l. 15. de civ. c. 13. hanc mutationem induxit; quia cum annos in primâ mundi ætate menstruos tantùm fuisse putaret juxtà antiquum Ægyptiorum morem suprà memoratum, judicavit absurdum, Hebræorum calculo in annis generationis Patriarcharum insistere, ex quo nimirùm sequi non dubitaret nonnullos Patriarchas annis ætatis suæ quinto, sexto, vel septimo liberis operam dedisse. Vel ipsi etiam LXX. Interpretes potuerunt authores esse istius mutationis, ut ex additione istâ fidem Scripturæ sacræ conciliarent apud Ægyptios, qui mundum multò antiquiorem Mosaico computo faciebant, & se multis annorum millibus cæteros homines præcessisse gloriabantur.

Secundò advertendum est plerosque ex Sanctis Patribus, quos in dissertatione tertiâ laudavimus, de difficultatibus chronologicis agere, cum textum Hebraicum Græcæ versioni præferendum esse definiunt.

Tertiò illis addi potest venerabilis Beda, qui licet eo tempore vixerit quo passim Scriptores omnes chronologiam τῶν ὁ sequebantur, nihilominùs re maturiùs discussâ, & utroque calculo maturè examinato, Hebraicum sinceriorem esse profitetur, eumque non solùm Augustini & Hyeronimi, sed etiam Josephi authoritate confirmat. Hæc sunt ejus verba in præfat. ad chronicum Eusebii: *Ego confidenter profiteor quod non reprehendo veteres chronographos, qui versionem LXX. Interpretum modò secuti sunt, modò prout libuit, probantur habuisse contemptui: sicut etiam in processu hujusce opusculi monstrabitur. Sed omnibus his Hebraicæ veritatis integram præfero puritatem qua*

constaret Messiæ adventum & legem post quartum demum millenarium esse collocanda.

Secundò falsum est quod tàm audacter asserunt viri docti SS. Patres hoc sexti millenarii argumento potissimùm ursisse Judæos, ut probarent Messiam jam advenisse. Docuerunt quidem pro suâ computandi ratione Christum sexto mundi millenario apparuisse: sed nequaquam numerum istum contrà Judæos pro adventu Messiæ adstruendo adhibuerunt, tantùm abest ut fortissimum suæ causæ præsidium in eo collocarint. Sciebant profectò Sancti Patres se firmiorem habere propheticum sermonem, cui & attendebant diligenter, & ex eo Judæos de adventu Messiæ præterito facilè convincebant. Undè si Judæi, ut argumenta Sanctorum Patrum eluderent, Scripturas ipsas depravare voluissent, proculdubiò non in chronologiâ veterum Patriarcharum, quæ ad eorum disputationem nihil conferebat; sed in prophetiis Esaïæ, Danielis, & aliorum, id tentassent.

Tertiò quæcumque profert doctissimus Pezeronus de tempore corruptionis factæ sub Imperio Trajani, tàm facilè à nobis rejiciuntur, quàm gratis ab eo asseruntur. Tantum enim abest, ut hujus facti ullum testimonium afferri possit ex Patribus; ut ne vestigium quidem ejus in totâ antiquitate appareat. Primò enim fictitia sunt, ut modo vidimus, quæ profert vir doctus de argumento tunc temporis à Patribus petito ex sexto mundi millenario, quo Messiam adventurum esse fatebantur Judæi; præcipuè cum tempore Trajani Imperatoris vix alii præter Clementem Romanum, Hermam, & Ignatium scripsisse reperiantur; apud quos tamen ne verbum quidem de hoc argumento. Secundò quod asserit vir doctus Akibam hujus depravationis authorem fuisse, satis abundè confutatur ex iis quæ de eodem Akiba profert in eodem capite ad commentum istud adstruendum. Refert enim ex Hyeronimo in cap. 8. Esaïæ Akibam istũ sub Adriano Imperatore persuasisse Judæis Barcoxebam quemdam Judæum esse verum Messiam, & ut eum tamquam Messiam reciperent, effecisse. Quomodo igitur suis persuadere potuit sub Adriani imperio Messiam de facto

versione LXX. Interpretum legimus, habuerunt, non eam quæ hodiè in Hebraicis codicibus extat.

Respondeo primò istos authores, etsi ab Hebraico textu longiùs discrepent in computo, neque tamen inter se, neque cum versione τῶν ὁ convenire: sicque eorum testimonia non tantam mereri authoritatem, quantam vir doctus illis tribuit. Secundò mirum non fore, etsi cum versione τῶν ὁ in omnibus convenirent, neque id quidquam ad Hebræorum computum evertendum facere posse. Cum enim authores isti longè post factam versionem LXX. Interpretum scripserint, hocque in Ægypto, ubi versio ista potissimùm innotuerat; mirùm non foret eos chronologiam gentis Judaicæ hausisse ex versione, quæ tunc in illâ regione evulgata erat, & à Judæis recepta; maximè cum lingua Hebraica Gentilibus prorsùs esset ignota, Judæis verò ipsis tunc temporis non admodum familiaris. Ut ergo aliquid ex antiquis authoribus pro suâ opinione adstruendâ elicere posset vir doctus, aliquem nobis proferre deberet, qui antè confectam versionem τῶν ὁ scripsisset, & tamen eamdem computi rationem secutus esset. Quod cum facere non possit, manifestum est authorum istorum calculum ex versione LXX. Interpretum tanquam à fonte repetendum esse, proindèque Pezeroni sententiam non juvare.

Objicit secundò. Fl. Josephus palàm profitetur præfat. ad lib. antiq. se historiam gentis suæ, quam viginti libris antiquitatum complexus est, ex Hebraicis litteris transtulisse; atqui Josephus eumdem ferè profert calculum, quem in versione τῶν ὁ legimus, ac fermè sex annorum millia ad suam usque ætatem numerat. Ergo tempore Josephi non soli codices versionis Græcæ huic computo favebant; sed etiam textus Hebraicus illud exhibebat. Proindèque Judæi à tempore Josephi calculum sacrum in codicibus Hebraicis decurtarunt.

Ad hunc docti viri Achillem, omissâ eorum responsione qui contendunt Josephum linguam Hebraicam ignorasse, tria responderi possunt, quorum unumquodque suam habet probabilitatem, nimirùm vel hodiernos Josephi codices depravatos

esse, vel mutare historici fidem, vel denique ejus verba non eum sensum habere quem ipsi tribuunt Pezeronus & Vossius.

Primò itaque depravatos esse hodiernos Josephi codices hæc persuadere possunt. Primò quòd numeri, qui nunc extant in Josephi libris, non conveniant in omnibus cum editione τῶν ὀ, sicut nec cũ Hebræo conveniunt. Differunt enim in annis quibus Sem dicitur genuisse Arphaxad post diluvium, in annis quibus Nachor dicitur genuisse Thare, in annis vitæ Isaaci, in annis regni Salomonis &c. Secundò quòd summa annorum, quam à diluvio ad Abrahamum numerat, sit tantùm 292. cum tamen numerus, qui ex particulari calculo colligitur, mille annos superet. Tertiò quòd epochæ, quas alibi de prioribus mundi ætatibus tradit Josephus, cum iis nullatenùs conveniant quæ ex primis antiquitatum libris colliguntur. Docet enim tùm præf. ad lib. antiq. tùm præf. ad lib. 1. contrà App. historiam quam in libris antiquitatum complexus est, fuisse 5000. annorum, cum tamen singulorum librorum calculus adunatus circiter 6000. nobis exhibeat. Docet etiam lib. 1. contrà Appionem cap. 2. ab exordio rerum, seu creatione mundi, ad mortem Mosis, tria ferè annorum millia effluxisse; cum tamen juxtà priores quatuor antiquitatum libros quatuor ferè annorum millia reperiantur. Docet insuper lib. 4°. de bello Judaico cap. 31. urbem Chebron, seu Hebron in Idumeâ, in quâ urbe Abrahamum habitasse credunt, ante annos dumtaxat 2200. fuisse ædificatam; cum tamen juxtà calculum, quem alibi statuere videtur de Legis duratione, plusquàm 3500. aut 3600. statuendi sint. Quartò librorum editorum tùm Græcorum, tùm Latinorum historiæ Josephi calculus valdè diversus est à plerorumque M. SS. codicum calculo; cum tamen dubitari nequeat quin editiones istæ ad fidem aliorum M. SS. adornatæ sint; ac proindè quin M. SS. codices in hoc Josephi calculo à seipsis tàm diversi, incertum Josephi calculum efficiant.

Secundò etiamsi fateremur ista omnia posse inter se conciliari, ac Josephi chronologiam cum LXX. Interpretum calculo apprimè convenire, insuper etiam Josephum historiam

ſuam ex Hebræo deſumpſiſſe : nihilominùs meritò dubiam haberemus ejus fidem in recenſendâ verâ codicis Hebraici chronologiâ. Cum enim jamdiù vulgata eſſet apud Gentiles verſio ſeptuaginta Interpretum quæ aliam ab Hebraico textu chronologiam exhibebat, multò probabilius eſt Joſephũ, etiamſi reliqua ex Hebræo vertiſſet, eam tamen Chronologiam ſecuturum fuiſſe, quæ jamdiù in 70. Interp. verſione Gentilibus innotuerat : ne ſi eam exhiberet, quæ in Hebræo habebatur, tàm aperta inter textum & verſionem contradictio totam hiſtoriam Sacram eorum ludibrio exponeret. Hoc autem eò probabilius videtur, quò magis conſtat Joſephum, cæterò qui facundiſſimum & doctiſſimum virum, in antiquitatibus Judæorum ſcribendis minùs ſincerum fuiſſe; idque maximè caviſſe ne ſi res geſtas eo modo quo in Scripturis Sacris habentur, enarraret, hiſtoria gentis ſuæ ut minùs commendabilis in contemptum Gentilium veniret. Hinc ſæpè maximorum miraculorum, v. g. tranſitus maris rubri, fidem enervat, dum aut hiſtoriæ dubiam fidem relinquit, aut ea naturalibus cauſis tribuere conatur. Hinc idololatriam populi in deſerto penitùs omittit, ne in punitâ adoratione vituli, Romanos, Apis Ægyptiorum cultum approbantes, reprehendere videretur, ut notat Grotius. Hinc pondus argenti à Davide Salomoni relicti ad ſtructuram templi ita minuit, ut pro mille millibus talentis, quæ in Scripturâ referuntur, centùm millia ſubſtituat; ne major quantitas incredibilis Gentibus videretur. Hinc Bethlehemicum Herodis infanticidium penitùs reticuit, ne iſta narratio de tot infantibus ob cauſam Regis Meſſiæ occiſis Veſpaſiano minùs placeret. Denique major ſuæ gentis antiquitas, quam ex verſione LXX. Interp. eruebat, ſola eum movere potuit, ut illius calculum, relicto Hebraico, adhiberet. Undè cum certum ſit Joſephum fidem ſuam non liberaſſe, quâ promiſerat antiq. lib. 1. cap. 10. & l. 10. c. 11. ſe ea omnia relaturum quæ in Hebræorum voluminibus habebantur, neque ſubtrahendo quidquam, neque addendo; quis tandem abſque temeritate poſſit affirmare eumdem repertam in Hebraicis codicibus chronologiam

non immutaſſe, nec verſioni LXX. Interp. accommodaſſe; maximè cum hæc verſio majorem genti ſuæ antiquitatem conciliaret?

Tertiò non ita certum eſt Joſephum antiquitatum ſuarum hiſtoriam ad Hebraicum exemplar concinnaſſe, quin aliter poſſint ejus verba explicari. Præterquàm enim ſatis apparet ex ipſis locis, quæ ab adverſariis producuntur, Hebraicas litteras idem ſonare apud Joſephum ac ſacros Scripturæ libros; quidni dicere potuiſſet Græcos habituros hiſtoriam Judæorum ex litteris Hebraicis tranſlatam; etiamſi verſionem τῶν ὸ ad Hiſtoriam ſuam concinnandam adhibuiſſet? ſiquidem conſtat verſionem illam ex Hebraicis litteris deſumptam eſſe.

Itaque, quoquo modo res exponatur, certum eſſe debet Joſephi chronologiam fidem Hebraico calculo derogare non poſſe; nec probare, aliter tunc temporis habuiſſe codices Hebraicos, ac nunc habeant: præcipuè cum à tempore Domitiani, ſub quo libros antiquitatum ſcribebat Joſephus, ad tempora Hadriani, quibus certum eſt, ipſis adverſariis fatentibus, iſtos codices eandem chronologiam habuiſſe quam nunc exhibent, impoſſibile fuerit omnes Hebraicos codices per totum mundum, quo jam diſperſi erant Judæi, vitiari, ut ſuprà demonſtratum eſt.

Objicit 3°. Ex ipſis Judæis facilè probari poteſt eorum chronologiam vitiatam eſſe: tradunt enim in libro *Breſchit Rabba*, Adamum poſt mortem Abelis à procreandis liberis per 130. annos abſtinuiſſe: atqui non aliter veritas hujus hiſtoriæ ſubſiſtere poteſt, quàm ſi rejecto Hebræorum calculo ſtatuatur cum LXX. Interp. Sethum anno duntaxat 230. Adami natum eſſe: ergo &c.

Reſpondeo mirum eſſe cur vir doctus ſententiæ ſuæ patrocinium ex fabulis Judæorum, quos plerumque valdè ignaros in rebus ſacris fuiſſe conſtat, quærere voluerit. Si enim ea omnia quæ in ſuis libris tradunt Recutiti, pro genuinis hiſtoriis habenda eſſent, aut validum in iis argumentum fundari poſſet, nulla jam foret tanta abſurditas, quæ & aſſeri & ex eorum authoritate confirmari non poſſet. Non

debuerat

debuerat itaque vir doctus ejusmodi nugis attendisse. Sed si istam objectionem protulit tanquam argumentum ad hominem contrà Judæos, advertere debuerat eosdem ex suis itidem fabulis ejus objectionis vim facilè evasuros. Docent enim, tùm in eodem libro *Breschit Rabba*; tùm alibi, Evam nocte quâ primum cum Adamo congressum habuit quinque tàm filios quàm filias concepisse, & eâdem nocte quinque istos peperisse: quidni ergò dicere potuerint, eâdem die, quâ nati sunt, adolevisse, eâdemque Abelem à Caïno occisum fuisse, proindèque Adamum licet anno 130. vitæ suæ Sethum genuerit, totis tamen 130. annis à procreatione liberorum abstinuisse?

Objicit 4°. Temerarium est eam sententiam rejicere, quam omnes Sancti Patres & authores antiqui secuti sunt, eam verò amplecti quam pauciores admodùm antiqui admiserunt; atqui calculum LXX. Interp. secuti sunt omnes Sancti Patres, & ferè omnes antiqui Scriptores, qui de rebus chronologicis ad præteritum usque sæculum scripserunt; pauci verò admodùm computum textus Hebraici Græco prætulerunt. Ergo &c.

Respondeo cum distinctione, temerarium quidem est antiquorum Scriptorum & Sanctorum Patrum communes sententias deserere in iis quæ fidem spectant & bonos mores; concedo: cum enim ea quæ credere debemus & agere, Deo revelante per Christi & Apostolorum prædicationem habuerimus, non aliundè de credendis & agendis certi esse possumus, nec aliundè valemus addiscere, quam ex iis fidelibus qui Christum & Apostolos prædicantes audierunt; aut qui ab Apostolorum discipulis eruditi, aliis sequentium sæculorum Christianis tùm scriptis tùm vivâ voce utrumque reliquerunt, ut hi quoque posteris suis per continuam traditionem credenda & agenda eodem modo relinquerent. Undè temerarium semper est & valdè periculosum, in hisce rebus, neglectis antiquorum Patrum sententiis, suis opinionibus & incertis rationibus indulgere. At in rebus criticis, & historicis quas revelatione divinâ non habemus, unicuique licitum est in suo sensu abundare, & eas opiniones

veras tenere quas majoribus rationum momentis fultas esse perspexerit. In præsenti verò quæstione certum est neutram sententiam, neque nostram, neque adversariorum, ad fidem pertinere; neque moribus informandis quidquam nocere vel prodesse, utram opinionem tuearis. Quid ergò impedit quominùs hæc quæstio, juxtà severiores Criticæ leges discutiatur, eaque vera habeatur quæ firmiores pro se rationes habuerit, etiamsi Sancti Patres rebus majoris momenti intenti, aliam sententiam secuti sunt?

Sed id etiam maximè advertendum est Sanctos Patres chronologiam LXX. Interp. magis secutos esse, quàm eam propugnasse. Cum enim eorum tempore nullâ aliâ versione Ecclesia uteretur præterquàm versione LXX. Interp. mirum non est si eam computandi rationem secuti sint, quam in eâ Scripturæ versione repererant, quâ Ecclesia utebatur. At nunquam docuerunt versionis suæ chronologiam textûs Hebraici calculo præferendam esse: cum id nequidem unquam ad examen revocarint. Unum excipio Julium Toletanum septimi sæculi authorem, qui communem illius temporis chronologiam acriter tuetur contrà Judæos & eam calculo Hebraico præferre non dubitat. Sed cum nonnulli antiquiores Patres, præcipuèque Divus Hieronimus, & Divus Augustinus, qui istam quæstionem extrà disputationis æstum & absque ullo præjudicio agitarunt, chronologiam Hebraicam alteri, licet eorum sæculo magis receptæ, præferendam judicarint, non debet unius Juliani judicium Sanctorum Hieronimi, & Augustini judicio præponderare; sed è contrà eorum sententia verior judicari, quibus nihil omninò nocuisset (quod maximè de Augustino verum est), alteram sententiam prætulisse. Itaque tantum abest, ut in hâc quæstione, sententiæ nostræ noceant Sancti Patres, quin è contrà non parùm eam juvent. Sic enim possumus argumentari: Ferè omnes Sancti Patres qui chronologiam τῶν ὁ secuti sunt, eam absque examine receperunt: quicunque verò ex antiquis primorum sæculorum Patribus eam ad examen revocarunt, & cum Hebraico textu contulerunt, hanc alteri præferendam esse censuerunt. Ergò

potior debet haberi ratio doctissimorum Patrum, licet numero pauciorum, qui hanc quæstionem moverunt & discusserunt, quàm aliorum Patrum, licet numero plurium, qui contrariam sententiam absque ullo prævio examine receperunt..

Sunt & aliæ difficultates quas pro chronologiâ τῶν ὁ contrà nostram sententiam movet vir doctus. Sed eas sequentibus dissertationibus examinandas relinquimus. Certum itaque hactenùs manere debet, chronologiam textus Hebraici & vulgatæ versionis, alteri τῶν ὁ chronologiæ esse præferendam. Proindèque primam mundi ætatem à creatione mundi ad diluvium usque extrà annos 1656. extendendam non esse.

DISSERTATIO VIGESIMA NONA

DE ANNO DILUVII, ET metâ vitæ hominum post diluvium.

QUÆRITUR 1°. circà Diluvium quo anno evenerit? Josephus Scaliger in Elencho orationis chronologicæ Paræi censet diluvium evenisse anno 599. vitæ Noë. Sed nihilominùs respondetur evenisse anno sexcentesimo vitæ Noë, mense 2°. 17. die mensis. Prætérquàm enim id diversis verbis Scriptura asserit, idem etiam apertè colligitur ex summâ annorum quam toti vitæ Noë tribuit. Docet enim Gen. 9. ℣. 28. Noë vixisse 350. annis post diluvium; in totum verò 950. Atqui si diluvium contigisset anno 599°. vitæ ejus, non jam 950. annis, sed 949. vixisse dicendus esset, contrà expressam Scripturæ authoritatem: ergò pro certo statuendum est diluvium contigisse anno sexcentesimo vitæ Noë currente.

Quæritur 2°. utrùm menses, qui in historiâ diluvii vocantur secundus, septimus, & decimus, sic nuncupentur per

relationem ad annum currentem; an verò per relationem ad ſexcenteſimum annum vitæ Noë.

Reſpondeo 1°. Cajet, Pererium, Torniellum, Salianum, & nonnullos alios docere, ſic nuncupatos eſſe per reſpectum ad annum ſexcenteſimum vitæ Noë: ita ut cum cæpit diluvium, Noë natus fuerit annos ſexcentos, duos menſes, & 17. dies. Rationes eorum ſunt 1°. quia alioqui nimis obſcurè locutus fuiſſet Moſes, modo de annis Noë loquendo, modo de annis currentibus. 2°. quia hic videtur eſſe mos computandi; cum enim dicimus aliquid contigiſſe tali anno, tali menſe, talis Principis, menſis ad annum Principis referri ſolet. 3°. quia ſicut dies 17us. ad proximè nominatum menſem, ita menſis ad proximè nominatum annum referri debet. At annus proximè nominatus eſt annus vitæ Noë.

Reſpondeo 2°. menſes iſtos ad annum currentem non verò ad annum ſexcenteſimum vitæ Noë referri debere. 1°. Quia id ubique obſervat Scriptura, ut quoties de menſibus agit, ſemper menſes recenſeat per reſpectum ad annum currentem, niſi contrarium expreſsè declaretur; ut videre eſt 3^{i}. Reg. 6. & 4^{i}. Reg. ult. 2°. Quia uſitatum eſt etiam in rebus politicis ut menſes ad annum currentem, non ad annum Principis referantur; ut cuique hiſtorias conſulenti patebit. Quemadmodum ergò Romani ab urbe conditâ numerabant, & Chriſtiani à Chriſto nato numerant: ſic valdè probabile eſt primos Patriarchas ab orbe condito numeraſſe. 3°. Quia alioqui majores fierent æquivocationes & frequentiores, ſi menſes ſemper numerarentur per reſpectum ad annos illius perſonæ, de cujus ætate ultimo loco facta fuiſſet mentio. Ex quibus patet reſponſio ad rationes in contrarium allatas, quæ omnes falſum ſupponunt, & uſui contrariæ ſunt.

Quæritur 3°. Utrum 40. dies pluviæ includantur in 150. ſequentibus, an verò ſeorſim ab illis numerandi ſint? Hoc ſecundum contendunt Toſtatus, Torniellus, & Salianus; quia alioqui, inquiunt, annus diluvii brevior fuiſſet cæteris, 40. diebus. Cum enim ſummæ omnes particulares dierum, quæ in hiſtoriâ diluvii referuntur, efficiant tantùm 365. ex qui

bus annus coalescit, manifestum est, quòd si 40. illi dies in 150. sequentibus includerentur, annus diluvii 40. diebus minor esset cæteris. Nihilominùs respondeo illos 40. dies in 150. sequentibus debere includi. Supposito enim, quod modo probatum est, secundum, septimum, & decimum menses, non ad alium & alium annum referri debere, sed semper ad annum sequentem, manifestum est 40. dies in 150. sequentibus contineri: alioquin darentur dies multò plures quàm contineri possent intrà diem decimum septimum mensis secundi & vigesimum septimum mensis septimi; 40. enim dies additi 150. diebus efficiunt 190. dies; cum tamen à 17°. mensis 2. ad 27um. mensis 7. non possint numerari nisi 153. dies in sententiâ de mensibus lunaribus, vel 160. in sententia de mensibus solaribus. Deindè fatentur etiam omnes intrà spatium istud dies aliquot pro decremento aquæ esse statuendos, sicque 40. illos dies à 150. sequentibus non posse sejungi. Hanc autem sententiam tuentur Divus Ambrosius lib: de Noë & Arcâ cap. 17. Hugo de Sancto Victore, Genebrardus ad annum mundi 1653. Scaliger lib. de emend. temp. &c. Neque tamen indè concludi potest hunc annum cæteris minorem fuisse ut suprà ostensum est, dissertatione 27. Quibus addi potest spatium aliquod reponi posse inter ultimam emissionem columbæ & primam diem anni sexcentesimi primi vitæ Noë.

Quæritur 4°. An Arca requieverit suprà montes Armeniæ vigesimo septimo die mensis septimi, ut habet textus Hebraicus, vel decimo septimo ejusdem mensis, ut habet editio Græca?

Respondeo standum esse textui Hebraico cujus lectiones hic constanter retinuit Hieronimus, tàm in editione Latinâ quam composuit, quàm in correctione Vulgatæ quam jussu Damasi Papæ ad Græcum textum contulit. Idem dicendum est circà tempus durationis diluvii, quod textus Hebraicus & Vulgata unius anni & decem dierum faciunt, versio verò τῶν ὁ unius anni precisè.

Quæritur 5°. Quodnam fuerit spatium vitæ hominum post diluvium? Respondeo plures ex veteribus, ut Josephum, Phi-

lonem, & Lactantium, ex recentioribus verò Abulensem, existimasse metam vitæ hominum non ultrà 120. annos communiter esse protendendam. Hanc autem sententiam fundant potissimùm in illo Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius 120. annorum.* Sed alii ut Augustinus lib. 15. de civit. Dei cap. 4. Hieronimus, Hugo Cardinalis &c. hunc locum meliùs interpretantur de metâ vitæ hominum ante diluvium, quàm de metâ vitæ eorumdem post diluvium. Ratio est quia non apparet ex Scripturâ, hominum post-diluvianorum tàm brevem statim fuisse vitam: cum è contrà plerique 400. & 500. annis vixisse legantur. Nec vita hominum ad tantam brevitatem redacta esse videtur ante Mosis sæculum. Sensus igitur istius loci Gen. 6. est, quod cum Deus statuisset delere omnem carnem, ob multam malitiam quæ super terram increverat; concesserit nihilominus hominibus adhuc 120. annos ut ad pænitentiam converterentur. Hanc autem expositionem confirmat Paraphrasis Chaldaica in hunc locum, ubi sic habet: *Non permanebit generatio hæc pessima coràm me in æternum, eò quòd caro sunt & opera eorum pessima, & terminus dabitur eis 120. annorum, si fortè convertantur.* Sed difficultatem facit contrà hanc expositionem quòd ait Scriptura eo tempore quo divinum oraculum pronuntiatum est, Noë fuisse quingentorum annorum. Cum enim diluvium contigerit anno sexcentesimo vitæ Noë, spatium 120. hic reperiri non potest.

Respondent nonnulli ut Hieronimus, in quæst. Hebra. & Augustinus epistolâ ad Hesych. tempus istud 20. annis breviatum fuisse ob incrementum malitiæ hominum, qui tempore ad pœnitentiam sibi concesso abutebantur.

Respondet 2°. Divus Augustinus lib. 15. de Civi. Dei cap. 94. hoc oraculum pronuntiatum fuisse anno 480. vitæ Noë; quod tamen tempus ob numeri rotunditatem Scriptura dicit fuisse 500. annorum.

Sed probabiliùs respondetur, istud spatium non ad numeri rotunditatem, sed ad Hyperbaton referri debere, quâ nimirùm Scriptura non rarò ea refert posteriùs quæ anteà conti-

gerunt, & è contrà. Hic autem peculiaris erat ratio ut priùs ætas Noë proferretur, quâ nimirùm tres liberos genuit, quàm humani generis condemnatio à Deo prolata referretur; licet hæc pluribus annis anterior fuisset. Cum enim Scriptura toto Gen. cap. 5. omnes Adæ posteros usque ad Noë recensuisset, congruum erat ut etiam Noë genealogiam cæteris conjungeret; quò genealogia hominum ab Adamo ad diluvium completa esset; deindè causam inducti diluvii simul cum ejus historiâ connecteret. Id autem factum esse præter alia hinc etiam liquet, quòd Scriptura causam inducti diluvii repetat à tempore quod ætatem & maximè παιδογονίαν Noë longè præcessit, nimirùm à multiplicatione hominum super terram.

Licet autem hac sententia de futurâ hominum ætate post diluvium intelligenda non sit; fatendum nihilominùs est longè breviorem fuisse hominum ætatem post diluvium quàm erat anteà, eamque ferè ad dimidiam partem priorum Patriarcharum, id est ad 500. aut 400. annos redactam esse.

Quæritur 6°. circà biennium quod à diluvio effluxit ad nativitatem Arphaxad, an illud biennium completum fuerit; an verò tantùm inchoatum. Respondeo cum plerisque veteribus, biennium completum fuisse. Licet enim in versione τῶν ό habeatur Arphaxadi nativitatem contigisse δεύτερυ ἔτυ μετὰ τὸν κατακλυσμον, in textu tamen Hebraico difficultas omnis removetur. Habetur enim quòd *Sem genuit Arphaxad duobus annis post diluvium*: cum quo conveniunt, tùm Paraphrases Chaldaicæ, tùm Ruffiniana Josephi versio, quæ habet *post duos annos*. Ex quibus patet errasse nonnullos ex veteribus ut Theophylum Antiochenum, Julium Africanum, authorem fastorum Siculorum: & ex recentioribus Josephum Scaligerum, dum existimarunt Arphaxad natum esse statim post finem diluvii. Hinc autem provenit error, quòd putarint authores isti Sem fuisse Noemi primogitum. Ex hoc enim intulerunt, necessarium esse ut Arphaxad statim post diluvium natus sit, siquidem Scriptura disertè asserit Sem fuisse tantùm centum annorum quandò genuit Arphaxad. Sed certum est eos primogenituram Semo malè detulisse;

cum apertè dicat Scriptura Japhetum fuisse Semo majorem, ut modò ostendetur.

Quæritur 7°. Quis fuerit ordo filiorum Noë? Respondeo nonnullos authores asserere Semum fuisse filiorum Noë minimum, Japhetum verò primogenitum. Ad id autem quod objici posset, Semo primum locum tribui Gen 6. inter filios Noë, respondent id fieri ordine inverso; quemadmodum Gen. 11. Thare dicitur genuisse *Abraham, Nachor & Aram.* Sed ista sententia conciliari nequit cum Scripturâ quæ disertè asserit Cham fuisse natu minimum Genes. 9. ℣. 24. vox enim quæ in Vulgatâ, minor, redditur, idem sonat ac, minimus. Undè Josephus etiam apertè pronuntiat Cham fuisse filiorum Noë νεώτατον. Neque istud ad Chanaan Chami filium referri potest; cum clarum sit Scripturam de Chamo loqui. Superest igitur tantùm difficultas circà Japhetum, quem plerique Semo minorem fuisse contendunt, ad suam sententiam detorquentes verba Scripturæ Gen. 10. quæ sic habent: *de Sem verò fratre Iaphet majore &c.* ut sensus esse videatur Semum fuisse fratrem majorem Japheti. Sed certè nec versio Græca nec textus Hebraicus æquivocationi locum relinquunt; non enim habent *fratre Iaphet majore* sed *fratre Iaphet majoris.* Saltèm vox Hebraica tàm aptè reddi potest per genitivum quàm per ablativum. Cum ergò Scriptura disertis verbis asserat Noë cum 500. esset annorum, liberos habere cæpisse, & Semum, biennio post diluvium elapso, centùm tantùm annos habuisse, clarum est eum primogenitum esse non potuisse.



DISSERTATIO

DISSERTATIO TRIGESIMA

DE SECUNDA MUNDI ætate ; & utrùm ejus duratio meliùs aſſignetur in verſione ſeptuaginta Interpretum quàm in textu Hebraico.

NON minor eſt difficultas in aſſignandâ verâ ſecundæ mundi ætatis duratione, quæ ex omnium conſenſu incipit à fine diluvii, & deſinit in anno vocationis Abrahæ, quàm in primâ ſtabiliendâ. Præterquàm enim verſio Græca pleriſque Patriarchis poſt diluvium centum annos ſuprà textum Hebraicum addit ante παιδογονίαν; quemadmodùm in primâ mundi ætate, duas alias hæc ætas continet etiam difficultates. Prima quòd verſio Græca quemdam Caïnan inter Arphaxad & Sale conſtituat, cujus textus Hebraicus omninò non meminit. Secunda, quòd Scriptura aſſerere videatur Abrahamum natum eſſe cum Nachor eſſet tantùm ſeptuaginta annorum, quod tamen cum aliis Scripturæ locis convenire non poteſt. Hinc fit ut Chronologi in varias ſententias abierint circà hanc ætatem. Alii enim ut Genebrardus Hebraico textui in omnibus adhærentes, & nativitatem Abrahæ in annum ſeptuageſimum Tharæ collocantes, numerant tantùm 232. annos uſque ad ejus nativitatem: quibus ſi addantur 75. qui effluxerunt uſque ad ejus vocationem, efficient annos 367. Alii ut Jacobus Uſſerius Caïnan quidem expungentes, ſed annum nativitatis Abrahæ uſque ad annum 130. Tharæ differentes, annos 426. huic ætati tribuunt. Alii rursùs, Hebraicum quidem calculum ſequentes, ſed tamen Caïnan admittentes, eique annos triginta ante παιδογονίαν tribuentes, ſecundam ætatem faciunt annorum 456. Alii denique & Caïnan admittentes, & chro-

nologiam τῶν ὁ sequentes, huic ætati 1257. vel 1207. annos tribuunt. Nobis autem verior apparet sententia Jacobi Usserii; cum & pro certo habeamus Caïnan omninò fictitium esse, & Abrahæ nativitatem ad annum] Tharæ 130. differendam esse certò constet ex Scripturis , ut sequenti dissertatione demonstrabimus. Cum autem hic calculus sit ipsa chronologia textus Hebraici , quod nemo diffiteri potest , sufficienter probatus manet ex iis quæ tùm dissertatione tertiâ, tùm vigesimâ octavâ , hanc in rem à nobis dicta sunt. Quapropter disquisitionem de fictitio Caïnane & anno nativitatis Abrahæ ad sequentem dissertationem remittentes , cæteras tùm Morini , tùm Pezeroni & Wossii objectiones pro calculo septuaginta Interpretum adstruendo , diluemus. Itaque.

Objiciunt 1°. Scriptura Sacra refert terram divisam esse inter posteros Noë circà nativitatem Phaleg ; proindèque supponit jam tùm temporis genus humanum sufficienter multiplicatum fuisse , ut totam terram impleret. Juxtà calculum autem textus Hebraici nonnisi 102. anni fluxerunt à diluvio ad nativitatem Phaleg. In tàm brevi autem spatio genus humanum non potuit ità multiplicari , ut omnem terram replere posset ; ergo calculus Hebraicus rejiciendus est , & calculus septuaginta Interpretum in ejus locum substituendus.

Respondeo 1°. Divisionem istam cæpisse quidem circà nativitatem Phaleg ; sed nonnisi progressu temporis perfectam fuisse ; siquidem inter eos , qui dispersi sunt , plures filii Jectan fratris Phaleg referuntur ; proindèque sufficere posset si circà nativitatem Phaleg multiplicari cæpisset genus humanum , hæcque multiplicatio in dies magis aucta esset.

Respondeo 2°. Genus humanum sufficienter potuisse per centum annos multiplicari , & populum ferè innumerabilem conficere , ut quique , in doctrinâ numerorum vel mediocriter docti facilè poterunt computare , & infrà etiam à nobis ostendetur. Nec est quod Morinus objiciat nobis , non jam fore mirum quòd septuaginta viri qui ingressi sunt in Ægyptum tantum multiplicari potuerint , quod tamen Scriptura tanquam mirum quoddam recenset , si ex tribus viris tanta potuit nasci multitudo intrà centum annos.

1°. Enim falsum est Scripturam Sacram multiplicationem Israëlitarum in Ægypto ad miraculum referre; cum ne id innuat quidem. 2°. Maxima est inter utrumque tempus differentia: tempore enim servitutis Ægyptiacæ multum abbreviata erat hominum vita, citiùsque senectus adveniens, eos multiplicationi minùs idoneos reddebat, & mors præmaturior ferè omnes post unius sæculi vitam rapiens, multitudinem minuebat. At verò ante dispersionem Gentium homines multò diutiùs vivebant; sicque humani generis propagationi aptiores erant; nec senum morte numerus hominum minuebatur, sicut in Ægypto, quippe quos nec ducenti, nec trecenti anni ad senectutem venire faciebant.

Objiciunt 2°. Scriptura Sacra statim post dispersionem Gentium, Regum plurium regnorumque meminit. At dato quòd intrà centum annorum spatium genus humanum sufficienter multiplicari potuerit, ut homines in varias regiones dividi & dispergi possent, nemo sibi certè unquam persuadebit ad tantam eos multitudinem venire potuisse, ut statim amplissima regna componerent. Respondeo 1°. Falsum esse regna ista, de quibus Scriptura statim post dispersionem meminit, fuisse illo tempore amplissima; cum è contrà Scriptura innuat apertè contrarium, dum narrat Abrahamum cum trecentis decem & octo vernaculis facilè vincere potuisse quatuor potentissimos illius temporis Reges. 2°. Dato quòd aliqua regna tunc temporis jam fuissent amplissima, non defuturos fuisse homines qui tempere Abrahæ regna amplissima componere possent.

Objiciunt 3°. Tanta brevitas secundæ mundi ætatis conciliari non potest cum iis quæ posteà refert Scriptura de nativitate Isaac, eam nimirùm miraculū fuisse; cum jam *mortuum esset Abrahæ corpus, & Saræ desiissent fieri muliebria.* Potissimùm verò nulla erat ratio tanti stuporis in Sarâ ut dicere posset: *Postquàm senui & Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo?* Et iterùm: *num verè paritura sum anus?* Et rursùm: *quis crederet auditurum Abraham quòd Sara lactaret filium quem peperit ei jam seni?* Ut quid, inquiunt, tanta causa mirandi? Si enim ea fuerit secundæ mundi ætatis

brevitas, quam textus Hebraicus exhibet, Sara facilè videre potuerat plures alias mulieres non solùm post nonaginta, sed post ducentos annos parientes, & viros non post centum tantùm, sed post trecentos annos generantes. Quid igitur aliud verba Saræ & Abrahæ mirantium innuunt, nisi id quod tunc temporis contingebat, omninò præter ordinem & inauditum fuisse? proindèque jam à longo tempore defunctos fuisse omnes illos Patriarchas qui tandiù vixerant, & in ætate tàm serâ liberos habuerant, quod tamen stante computo textus Hebraici verum esse non potuit.

Respondeo, 1°. Longam priorum Patriarcharũ ætatem, & in longævâ ætate progeniem, non obesse posse quin Sara de tàm sero partu mirari potuerit; ad hoc enim sufficere poterat ut inter mulieres, quæ ejusdem erant ætatis & temporis cum Sarâ, id esset insolitum: comparatio enim ut legitima sit, institui debet inter æquales. 2°. Advertendum esse quòd etiam inter æquales alii aliis citiùs consenescant, idque Saræ & Abrahæ ex divinâ dispensatione contigisse. Nec enim præcisè propter ætatem mirum videri debuit, quòd Abraham centenarius genuerit: nam cum centum & septuaginta quinque annos vixerit, tàm facilè gignere potuit centenarius, ac nunc qui septuaginta annos vivit, gignere potest quadragenarius. Deindè ipse Abraham anno centesimo trigesimo Patris sui natus erat, ut infrà probabitur. Præterea Jacob, Abrahæ nepos, plusquam centenarius erat, quando genuit Benjamin; nec tamen id miraculo deputatum est. Denique ipse Abraham octoginta sex annos natus, absque ullius miraculi interventu, Ismaëlem genuerat, & post mortem Saræ plures filios ex Cheturâ habuit. Dicendum est igitur, quòd, ut magis eluceret divina potentia, ex peculiari dispensatione ejus providentiæ factum est ut Abraham à tempore nati Ismaëlis ad annum usque ætatis centesimum, omninò senesceret, ejusque corpus omninò mortificatum evaderet. Posteà verò, divinâ virtute tàm vegetum redderetur, ut post triginta septem indè annos, alios filios gigneret.

Objiciunt 4°. Scriptura Sacra non diù post Gentium

diſperſionem varia bella & diſſenſiones inter diverſos populos & Reges refert, eo tempore quo juxtà computum Hebraicum, Noë, Sem, & plerique alii Patriarchæ adhuc vivebant. At quis credet, inquit Morinus, ſi Noë tunc adhuc vixiſſet, eum diſſentiones non fuiſſe compoſiturum, & bella ſedaturum? aut nepotes ejus ob avi reverentiam ab ejuſmodi jurgiis ſtatim non abſtinuiſſe? Sed 1°. Nunquid Noë aut Sem ubique locorum eſſe poterant, ut lites omnes & jurgia compeſcerent? 2°. Nunquid reverentia Patris aut avi filios nequam movere poteſt? Nunquid movit Caïn ne Abelem occideret, num Abſalom ne fratrem trucidaret, num ipſos Noëmitas ne turrim ædificarent, aut Nemrod ne ſibi imperium in alios arrogaret? Adde quòd diſtantia locorum propinquos velut extraneos ſibi invicèm reddit, ut patet de Iſmaëlitis & Madianitis, qui Joſeph propinquum ſuum emerunt, & Ægyptiis poſteà ſervum vendiderunt.

Objiciunt 5°. Chronologia textus Hebraici poſt diluvium conciliari non poteſt cum antiquiſſimis hiſtoriis Ægyptiorum, Chaldæorum, & Serarum, quos Sinas vulgò appellamus. Certum eſt enim ex illorum regnorum hiſtoriis, Chaldæorum quidem regnum cœpiſſe pluſquàm 3000. annis ante Chriſtum. Ægyptiorum verò pluſquàm 2960. Serarum denique pluſquàm 2950. Atqui certum eſt juxtà canonem Hebraicum, non poſſe numerari à diluvio ad Chriſtum niſi annos circiter 2400. Ergò ſi vera eſſet Hebraici textus epocha, ſequeretur iſtorum regnorum initia pluribus ſæculis ante diluvium cœpiſſe; quod & abſurdum eſt, & hiſtoriæ contrarium, quâ certum eſt Menem unum ex Chami poſteris fuiſſe primum Ægyptiorum Regem, & Nemrod regni Chaldæorum multis annis poſt diluvium prima jeciſſe fundamenta. At iſta omnia facilè conciliantur cum calculo ſeptuaginta Interpretum, quo patet iſta omnia regna nonniſi poſt nativitatem Phaleg, & terræ diſperſionem cœpiſſe. Ergo dubitari nequit quin chronologia τῶν ό calculo Hebræorum ſit anteponenda.

Reſpondeo primò, iſtorum regnorum hiſtorias non magis

posse convenire cum versione τῶν ὀ, quàm cum Hebraico textu; quod facile est demonstrare. Præcipuum fundamentum quo Pezeronus nititur Hebraici textus chronologiam evertere, & calculum τῶν ὀ statuere, petitur ex authoritate antiquorum Patrum à quorum semitis & calculo recedere piaculo ducit. Id enim demùm toto opere præstare contendit, ut chronologiam antiquorum restituat, & recentiorum computum evertat. Nihilominùs fatetur pluribus in locis authores omnes Eusebio antiquiores numerasse tantùm ab orbe condito ad Christum usque 5500. annos, Eusebium verò & eos qui post eum vixerunt, maximèque Occidentales, numerasse duntaxat 5200. Atqui nec cum Eusebii computo, nec cum antiquiorum calculo convenire possunt regnorum istorum historiæ; ergo non magis conciliari possunt cum versione τῶν ὀ, quàm cum textu Hebraico. Ergo istorum regnorum epochæ malè adversùs textum Hebraicum objiciuntur.

Jam vero historias illas cum antiquorum Patrum calculis conciliari non posse facile est demonstrare. Et primo quidem de calculo Eusebii quem propiùs ad veritatem accedere quàm antiquiorum infrà demonstrabimus, res manifesta est. Cum enim juxtà hunc calculum à diluvio non reperiantur nisi 2938. anni aut ad summum 2958. usque ad Christũ: Imperium autem Chaldæorum, juxtà Pezeronum, cœperit annis ànte Christum 3686. clarum est Eusebii chronologiam talem antiquitatem pati non posse. Idem etiam dicendum est de regno Ægyptiorum, quod idem author cœpisse contendit 2969. annis ante Christum. Idem denique de regno Serarũ cujus initium collocat vir doctus anno 2952. ante Christũ. Quod si ad antiquiorum sententiam veniamus, quam Eusebii computo perperàm à viro docto prælatam esse, suo loco ostendemus; non erit nobis magis difficile demonstrare, eam non posse, juxtà Pezeroni sententiam ejusque rationes, cum istis historiis convenire. Primò enim initium istorum Imperiorum convenire nequit cum epochâ primæ divisionis terræ, quam in nativitate Phaleg cum aliis communiter collocat vir doctus. Cum enim nativitas Phaleg, juxtà illum, contigerit anno mundi 2787. manifestum est principium

regni Chaldæorum quòd 3086. Christum præcessisse dicitur, non potuisse collocari post diluvium ab iis Patribus qui duntaxat 5500. annos à creatione mundi ad Christum usque admiserunt. Idem etiam patet de aliis regnis, quorum epochas modo retulimus, ut cuivis eas consulenti patebit.

At erit fortassis, qui regnorum illorum initia ante nativitatem Phaleg collocare velit, ut eorum historias cum chronologiâ τῶν ὁ conciliet. Sed præterquàm id Scripturæ contrarium foret, saltèm quoad regnum Chaldæorum, quod nonnisi post dispersionem filiorum Noë contigisse Scriptura testatur, & quoad regnum Serarum, quod nonnisi multo tempore post illam divisionem incipere potuisse clarum est: Chaldæorum imperii intium, juxtà illam explicationem, collocandum esset anno 152. aut ad summum 172. post diluvium; Ægyptiorum autem anno 269. vel ad summum 289. post diluvium: Serarum denique anno 286. aut ad summum 306. post diluvium. Atqui omnes qui pro chronologiâ τῶν ὁ contrà Hebraicum textum astruendâ pugnant, contendunt tàm breve spatium sufficere non potuisse, ad tantam hominum multiplicationem, quanta necessaria erat ad tot regna & imperia componenda; præsertim cum juxtà illorum sententiam homines tunc temporis non ante annum 130. aut circiter liberis operam dare inciperent. Denique etiam contrà istam hypotesim redirent omnes rationes quibus suprà respondimus, quas adversarii contrà computum Hebraicum proferunt.

Cum itaque regnorum illorum historiæ conciliari nequeant cum historiâ sacrâ, sive calculum Hebræorum sequaris, sive chronologiam septuaginta Interpretum, quam, fatente Pezerono, secuti sunt omnes veteres; manifestum est historias illas, nonnisi inter fabulas computari posse, quæ cum regulâ veritatis convenire nequeunt. Manifestum est etiam Pezeronum operam perdidisse, cum in suo libro conatus est, non historias illas cum Scripturis conciliare, sed Scripturam ipsam tanquam regulam Lesbiam historiis illis accommodare. Id enim aliter præstare non potuit vir doctus, quàm omnium Sanctorum Patrum & antiquiorum

chronologiam (quam solam agnoscendam & sequendam esse toto libro contendit) deserendo, & aliam ab ipsorum calculo diversam substituendo. Sicque dum antiquorum chronologiam restituere velle se simulat, suam in ejus locum invehit; & dum calculum textus Hebraici novitatis arguit, ipse alium magis novum & ante Isaacum Vossium inauditum inducit.

Sed quia non desunt etiam argumenta quibus prædictarum historiarum falsitas demonstrari, aut saltèm vanitas suspecta reddi possit: ideò non erit inutile rem paucis expedire. Itaque.

Respondeo secundò, jactatam à Chaldæis, Ægyptiis & Seris antiquitatem fabulis accensendam esse. Licet enim non diffiteamur populos illos omnium antiquissimos esse; incunctanter tamen asserimus, multò minorem esse eorum antiquitatem quàm vulgò præ se ferant: quod de singulis demonstrandum est.

Primò itaque quod Chaldæos attinet, cum ea omnia quæ de eorum maximâ antiquitate jactantur, non alium authorem præter Berosum habeant, â quo, fatente Pezerono, p. 130. alii authores mutuati sunt ea quæ de Chaldæis scripserunt, manifestum est majorem esse non posse tantæ Chaldæorum antiquitatis fidem, quàm sit certitudo historiæ Berosi. At eam incertissimam esse, imò fabulis respersam, facilè suaderi potest. Primò quia Berosus Chaldæorum historiam conscripsit tempore Seleucidarum paucis ante Christum sæculis. Atqui fatentur quotquot in rebus Criticis tantillum exercitati sunt, incertissimas semper reputari debere eorum historias, qui de iis rebus scribunt, quæ pluribus ante eos sæculis contigerunt, si de iis ante eos nullus quidquam scriptis prodiderit. At Berosus juxtà Pezeroni rationes, scripsit de iis rebus quæ tribus ferè annorum millibus ante eum evenerant: quidni ergo fabulis annumerentur ea omnia quæ de tantâ suæ gentis antiquitate narrat, aut saltèm pro incertissimis habeantur, nec aliter recipiantur ut verisimilia, quàm si cum omnibus aliis historiis conveniant?

Dicet fortasse aliquis Berosum ea quæ scripsit desumpsisse

ex

ex antiquiſſimis Chaldæorum archivis. At præterquàm referunt hiſtorici Nabonaſſarum Chaldæorum Regem omnium ante ſe Regum facta curaſſe abolenda, ut à ſe novum principium rerum & regnantium duceretur, quis præter fabulas ac figmenta ab iis ſperare potuit, qui mundum æternum eſſe crediderunt, & aſtrorum obſervationes à ſuis factas per 170000. annos jactaverunt, ut refert Cicero lib. 2. de divinatione, & Diodorus Siculus lib. 2. Bibl. cap. 30? Secundò tanta eſt, ipſo fatente Pezerono, convenientia inter ea quæ Beroſus de prima ſuorum origine ſcripſit, & ea quæ de rerum exordio à creatione mundi uſque ad Abrahamum refert Moſes, ut unum ex altero deſumptum eſſe dubitari non poſſit. Si ergo pro veris agnovit Beroſus quæcunque in libro Geneſis de mundi exordio refert Moſes, quis non videat ea omnia, vel ipſo invito, fabulis accenſenda, quæ cum hiſtoriâ Sacrâ non conveniant? atqui tractatam à Beroſo Chaldæorum antiquitatem cum eâ convenire non poſſe jam à nobis oſtenſum eſt. Tertiò manifeſtè fabuloſum eſſe concedit vir doctiſſimus, quòd Beroſus initium regni Chaldæorum à primo homine incipiat: ad quid ergo eam omnem ætatem, quam ſuis tribuere contendit Beroſus, poſt diluvium collocare tentat vir doctus, cum ipſe Beroſus ejus initium à primo homine ſumat? Quartò, ea quæ de ſeptem Regibus Chaldæis & ſex Arabibus quos omnes Belũ præceſſiſſe ex Africano & Euſebio refert Pezeronus, non minùs fabuloſa ſunt. Cum enim fateatur antiquos ea, quæ de Regibus iſtis retulerunt, ex Beroſo maximè deſumpſiſſe: clarum eſt iis majorem non deberi fidem, quàm aliis fabulis, quæ ab eodem referuntur: maximè cum neque Herodotus, neque Cteſias multò antiquiores, quidquam de Regibus iſtis tradiderint. Deinde etſi eorum Regum ſeriem, ex Africano referat Euſebius; malè tamen hinc infert vir doctus, Euſebium Reges illos pro veris habuiſſe: contrarium enim patet ex eo, quòd nullum eis locum in ſuo computo reliquerit. Nam chron. lib. 1°. pag. 9. refert mortem Beli ad annum Tharæ vigeſimum octavum: cùm tamen noniſi poſt annos pluſquàm ducentos quinqua-

ginta referenda esset, si Reges isti fabulosi non essent. Præterea cogitur vir doctus in suo computo admittere Nemrodum trecentis annis regnasse, cum nihilominùs certum sit tẽpore dispersionis Gentiũ vix trecentis circiter annis vixisse homines, juxtà chronologiam τῶν ὁ, multò verò paucioribus juxtà textum Hebraicum. Denique ea omnia, quæ de regni Assyriorum duratione per 1460. annos refert, unius Syncelli authoritate nituntur, suntque antiquis authoribus contraria. Ctesias, & ex eo Diodorus, referentibus Agathiâ lib. 2. pag. 63. & Syncello in chronico, Assyriorum regnum intrà annos circiter 1300. claudit. Idem habet Trogus Pomp. apud Just. lib. 1°. Castor iis tribuit tantùm 1280. Velleius Paterculus 1070. Eusebius 1240. Divus Augustinus lib. 18. de civit. cap. 20. 1305. Ut ergo sileam etiam istam antiquitatem 1300. circiter annorum valdè incertam esse, eamque non immeritò à viris doctissimis in dubium revocari; cùm unius Ctesiæ, à quo omnes alii desumpserunt, authoritate nitatur: Herodotus multò antiquior nonnisi 520. annos durationis huic regno tribuit. Ut etiam sileam in Scripturâ Sacrâ de regno Assyriorum, ne verbum quidem ante templi constructionem reperiri: certum est saltèm, Eusebium malè à Pezerono carpi, quòd quatuor Reges Chaldæorum eraserit, & eorum Monarchiæ minùs quàm 1460. annos assignarit. Cum è contrà reprehendendus potiùs veniat vir doctus, qui unius Syncelli authoritate fretus, contrà omnium veterum ipsiusque Ctesiæ authoritatem, quatuor istos Reges addiderit, & eorum regni durationem, multò plusquàm par erat, produxerit. Sed hactenùs de regno Chaldæorum & Assyriorum. Ex quibus patet, quàm levibus fundamentis vir doctus ex Chaldæorum & Assyriorum antiquitate Hebraici textus chronologiam evertere contendat.

Quòd spectat ad Ægyptios, non minùs certum est jactatam ab eis suæ gentis antiquitatem fabulosam esse, quàm Chaldæorum. 1°. Enim fateri id omnes coguntur, de iis quæ de Deorum & semideorum regnis referuntur à Manethone & veteri Chronico, à quibus solis habemus id omne quod de Ægyptiorum Dynastiis jactant nostri Chronologi. At cur

eà potiùs rejiciunt, quæ de Deorum & ſemideorum regnis tradiderunt, quàm quæ iidem de regnis hominum nobis reliquerunt? Aut cur potiùs non utrumque inter fabulas reputabitur? Si fortè ideò regna Deorum & ſemideorum rejiciunt, quia cum Scripturis convenire non poſſunt; ergo ex Scripturâ chronologia regnorum illorum metienda eſt, non verò ex eorum duratione Scripturæ Sacræ chronologia extendenda. At neque etiam ea, quæ de hominum Ægyptiorum regnis traduntur, cum Scripturis Sacris convenire poſſe, jam à nobis oſtenſum eſt. Si verò ideò rejiciuntur iſta regna priora ob nomen Deorum & ſemideorum, id fit ſine ullo fundamento; cum è contrario juxtà Pezeronum primi cujuſque Gentis Reges, Deorum nomen & cultum apud poſteros conſecuti ſint.

2°. Licet ex Syncello conſtet, tàm in Chronico, quàm apud Manethonem, fuiſſe tantùm triginta Regum Ægyptiorum Dynaſtias, computatis inter eas quindecim prioribus, nimirùm Deorum & ſemideorum: nihilominùs adverſarii, licet Deorum & ſemideorum regna tanquam fabuloſa rejiciant, adhuc tamen poſt Africanum 30. Dynaſtias numerant. Quis ergo non videat ſaltèm pleraſque illarum fictitias eſſe & ad arbitrium efformatas?

3°. A quo habuerunt adverſarii 30. Dynaſtiarum Ægypti ſexdecim priores collaterales fuiſſe, (ut volunt,) cæteras verò ſucceſſivas? An ideò hoc ab eis ſuppoſitum, quia ſucceſſio omnium Dynaſtiarum cum Chronologiâ Sacrâ accommodari non poterat? Atqui hoc omnium Dynaſtiarum fidem ſuſpectam reddere debuerat, non verò adverſarios movere ad ea cogitanda, de quibus authores iſtarum Dynaſtiarum ne per ſomnium quidem cogitarunt. Sed nec iſtæ collaterales Dynaſtiæ ſeu principatus, quos ad tempora Moſis perſeveraſſe volunt, ſatis conveniunt cum iis, quæ Scriptura Sacra de Ægypto nobis trahit: ubique enim Ægyptum nobis repræſentat tanquam ab uno Rege gubernatam; neque unquam plurium meminit aut plures ſaltèm inſinuat: ſive tempora Abrahami ſpectes, ſive Joſephi, ſive denique tempora oppreſſionis Iſraelitarum. Quin imò Joſephum in

totâ terrâ Ægypti dominatum fuisse docet, & circuivisse *omnes Provincias* Ægypti, ut frumenta colligeret. Itemque eundem emisse *universam terram Ægypti*, & subjecisse eam Pharaoni *à novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus.* Prætereà neque etiam stare possunt collaterales istæ Dynastiæ cum iis, quæ tradunt antiqui authores de regni illius duratione. Diodorus enim lib. 1. cap. 44. refert ex antiquis Ægyptiorum monumentis, Reges homines Ægypto præfuisse annis 15000. indigenas verò annis 4700. quod apertè demonstrat, neque Diodorum, neque alios existimasse Dynastias illas collaterales fuisse. Cum autem tantum annorum spatium Chronologiæ Sacræ apertè repugnet, quidni etiam omnium istarum Dynastiarũ series ut fabula rejiciatur?

4°. Etiamsi daremus adversariis, regnum Ægyptiorum tot annis durasse, quot volunt adversarii; adhuc tamen ejus duratio conciliari posset cum calculo Hebraico; supposito, quod Ægyptiorum anni minores fuerint annis Hebræorum: atqui multò minores fuisse suprà ostendimus, ex omnibus antiquis, qui tradunt primorum Ægyptiorum annos menstruos tantùm fuisse; posteà verò quadrimestres. Ergo frustrà nobis objiciunt adversarii antiquitatem Ægyptiorum, ut chronologiam nostram rejiciant. Ergò cùm in Dynastiis Manethonis, nulla fiat annorum menstruorum sub primis Regibus distinctio, ab annis aliorum qui posteà sequuti sunt, manifestum est Dynastias illas inter fabulas esse numerandas; neque ex illis difficultatem adversùs Chronologiam Sacram efformari posse.

Seras denique seu Chinenses quod attinet, non est quod tanti faciant adversarii eorum chronologiam, ut eam Scripturæ Sacræ authoritati apponant. Etsi enim ridiculum foret omnem eorum historiam & Regum seriem rejicere; fateri nihilominùs coguntur vel ipsi adversarii, historiæ illius initia ante tempora Fohi primi Regis, plerisque fabulis esse respersa. At immeritò negant, quiddam fabulosum reperiri posse à tempore istius Imperatoris. Quis enim non videat fabulosam esse Regis illius nativitatem; quem à matre absque viri consortio natum volunt? Deindè non ita

conſtans eſt omnium Chinenſium ſententia de primo illius gentis Rege, ut volunt adverſarii: refert enim J. Gonzales de Mendozâ, ex Serarum traditione, primum eorum Regem fuiſſe Vitcium non Fohium. Præterea quis non habeat valdè ſuſpectum regionem illam, quæ ad præteritum uſque ſæculum omnibus Europeis, imò verò toti ferè orbi ignota fuit, tàm citò cognitam fuiſſe à filiis Noë, ut 3200. annis ante Chriſtum, id eſt, juxtà computum antiquorum, qui chronologiam τῶν ὁ ſunt ſequuti, 50. circiter annis poſt diluvium habitata fuerit? Deindè quis non meritò ſuſpectum habeat tàm diuturnum octo priorum Regum imperium, quos per annos 745. regnaſſe volunt adverſarii, dum iisdem temporibus 13. Reges in Chaldæâ per 440. duntaxat annos, & quindecim priores Ægypti Reges per annos tantùm 510. regnaſſe volunt? Itaque in iſtis omnibus hiſtoriis, ſi initia fabuloſa ſecernantur à ſerie hiſtoricâ, facilè quiſque percipiet earum calculum chronologiæ textus Hebraici minimè repugnare; proindèque malè nobis ab adverſariis initia fabuloſa regnorum iſtorum opponi, ut eo pacto Scripturæ Sacræ tot ſæculis confirmatam authoritatem evertant. Sed de his jam ſatis.



DISSERTATIO TRIGESIMA PRIMA

DE CAINANO ARPHAXADI filio & de annis nativitatis Tharæ & Abrahæ.

SECTIO PRIMA.

De Cainano Arphaxadi filio.

QUOD ſpectat ad primum, celebris eſt nec minimi momenti quæſtio in rebus chronologicis, utrùm Caïnan Patriarchis poſt-diluvianis ſit annumerandus. Affirmant omnes qui Chronologiam τῶν ὁ ſequuntur; plerique etiam eorum, qui in aliis adhærent calculo textus Hebraici. Negant verò plures alii, quorum ſententia nobis multò probabilior videtur, ob rationes ſequentes. 1°. Quia nulla extat mentio hujus Caïnanis, nec in vulgatâ verſione, nec in Hebraico textu, nec in Pentateucho Samaritano, quorum omnium authoritas abſque dubio prævalere debet anticipatæ quorumdam de iſto Caïnane opinioni. Si enim Caïnan ignotus fuit Moyſi, ut ignotum de facto non dubitabit quiſquis perpenderit Moyſen eum nunquam fuiſſe omiſſurum, ſi illum agnoviſſet. Cum etiam clarum ſit ex diſtinctâ cæterarum generationum relatione, Moyſen exactam chronologiam tradere voluiſſe: quis ſibi perſuadere poterit eum generatione illâ prætermiſsâ chronologiam ſuam aut vitiare voluiſſe, aut ſaltèm vitiaſſe. Ita ferè Pererius lib. 16. in Geneſ. ſect. 174. Similia habet Petrus Poſſinus Dial. Theologic. Generalogic. his verbis: *Magnis viris aſſenſior Abulenſi, Eugubino, Cajetano, Cornel. Ianſenio, Sixto Senenſi, Genebrardo, Pererio, Cornelio à Lapide, Dyon. Petavio,*

aliisque antiquioribus multis, nullum unquam fuisse inter homines Cainanem, qui Arphaxadi quidem filius, Salei verò pater fuerit. Id invicto argumento conficere mihi videor ex disertâ affirmatione Mosis genitum ab Arphaxado Saleum narrantis. Quod testimonium quin prout sonat, ac prout iacet accipiendum sit causa nulla idonea potest afferri. Si ergo cum idem Moses eodem loco genitum aut à Semo Arphaxad, aut à Saleo Heberum divinâ quâ valuit authoritate revelat, creditur propriè & ἀμέσως Heberum Salæ fuisse patrem, Semo Arphaxad filium: adeò ut qui proferre auderet alios quosdam quorum generatio media inter illos fuisset, continuò repellendus videretur tanquam temerarius & divinæ revelationis, per Mosen Spiritus Sancti Interpretem nobis oblatæ contemptor contumax: non video quis superesse possit locus isti de insititio Cainane sententiæ. Hæc ille.

2° Nulla fit mentio hujus Caïnanis, neque in libris Paralipomenon, neque apud Onkelosi Paraphrasim; neque apud Flavium Josephum, nec apud Berosum Chaldæum, ab eodem Josepho citatum; siquidem Abrahamum in decimâ post diluvium generatione collocat. Sed neque apud Eupolemum ab Alexandro Polyhistore productum, & ab Eusebio relatum lib. 9. præpar. Evangelicæ. Nec denique in sinceris exemplaribus versionis τῶν ὁ, ut ex objectionum solutione constabit. Itaque.

Objicitur 1°. Caïnanis generatio in editione τῶν ὁ inter Arphaxad & Sale reperitur: ergo non debet repudiari; maximè cum omnes antiqui Patres versionem illam plurimi fecerint; nonnulli verò etiam à Deo inspiratam crediderint.

Respondeo 1°. Negando consequentiam: septuaginta enim Interpretes fuerunt errori obnoxii non prophetæ, ut ait D. Hieronimus. Quod si Patres aliqui in eis prophetarum authoritatem agnoverint, monet Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 6. illos in hoc *piè quæsisse rationes excusandi & defendendi eam versionem, quâ tunc Ecclesia utebatur.* Verùm hoc loco in quantum extollitur versio τῶν ὁ, in tantum Vulgata deprimitur. Deinde plerique adversariorum qui septuaginta Interpretes tantum hic prædicant, ex eorum numero

ſunt, qui eos alibi in rebus chronologicis incunctanter rejiciunt. Prætereà neque etiam conveniunt inter ſe, qui pro iſto Caïnane decertant, de ætate quæ tùm ipſi, tùm patri ante generationem tribuenda eſt. Nam Marianus Scotus, qui primus omnium Caïnanem cum textus Hebraici chronologiâ conjunxit, Arphaxado 135. annos tribuit, Caïnano verò 130. cum genuerunt. Bellarminus verò, Gordonus, Torniellus, Salianus & alii contendunt ducentos annos ab hoc numero eſſe reſcindendos. Denique variant codices etiam demptis à Caïnano centum annis, in ætate quæ ipſi ante παιδογονίαν tribuenda eſt. Jornandes enim & Gregorius Syrus 35. ipſi tribuunt, Georgius verò Syncellus licet 130. ipſi tribuat, agnoſcit tamen alios codices 139. ipſi tribuere.

Reſpondeo 2°. Negando antecedens; licet enim hodierni codices Caïnanum illum præferant, & fortè etiam in eâ verſionis editione, quæ κοινὴ dicebatur, extiterit, conſtat tamen eam olim in ſinceris & correctis illius verſionis codicibus non extitiſſe. 1°. Quia in editione quæ in exaplis Origenis habebatur, non legebatur Caïnanis generatio. Origenes enim ubique, conſtanter omiſſo Caïnane, docet fuiſſe tantùm decem generationes à Noë ad Abrahamum. Sic enim habet tract. 16. in Math. pag. 402. edi. Huetianæ: *Tertiâ horâ aliud vigebat opus, temporibus ſcilicet Noë, quando fœdus cum eo pepigit Deus, decem poſtmodum à Noë ad Abrahamum generationes quæ in Abrahamo deſinunt, alteri vocationi initium dabant.* Et tract. 20. in Joan. pag. 287. ejuſdem editionis ſic habet: *Abraham vigeſimus genitus eſt à Protoplaſto, nam decem generationes ſunt ab Adam uſque ad Noë, & decem à Noë ad Abraham.* Denique Homil. 4. in Num. *viginti & duo* (inquit) *à Protoplaſto Adam uſque ad Iacob, ex cujus ſemine initia ſumunt duodecim tribus.* Euſebius etiam qui in Chronico editionem Exaplorum ſecutus eſt, nullam ejus mentionem facit; ſed ſimpliciter refert: κατὰ ἑρμηνείαν τῶν ὁ Arphaxadum an. 135. genuiſſe Sale. 2°. Quia Euſebio antiquior & Origeni æqualis Julius Africanus hunc Caïnanem omninò prætermiſit: ſiquidem ab Adam uſque ad mortem Phaleg 3000. annos numerat,

ut

ut notant Eustathius in Hexameron pag. 55. & Georgius Syncellus chron. pag. 86. Idem quod Africanus præstant Hesychius apud Anastasium Nycænum quæst. 95. in Script. Suidas in Phaleg, Georgius Cedrenus in chron. &c. 3°. Ante Africanum Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autholicum, calculum chronologicum juxtà editionem τῶν ὁ instituens, Caïnanis tamen nullatenùs meminit; quamvis Caïnanis nomen in versionem latinam per errorem, vel Interpretis audaciam irrepserit. 4°. Eusebio subjungi possunt feré omnes veteres, qui de rebus chronologicis aliquid scripserunt, Quintus Julius Hilarion in libello de duratione mundi, Martyrologia Rom. Usuardi, Rabani, Adonis &c. Orosius lib. 1. cap. 1. Idacius, Prosper, Marcellinus Comes, Cassiodorus, Isidorus, Gregorius Turon. &c. qui omnes tempora Caïnanis omiserunt. 5°. Idem probat quòd neque in Græco codice Vaticano, neque in Bibliorum Jayanorum versione Arabicâ, neque in Ruthenicâ sive Illyricâ translatione adhuc inserta sit Caïnanis generatio in lib. 1. Paralipomenon, ubi series generationum quæ fuerant ante & post diluvium recensentur.

At reclamant adversarii contrà hanc responsionem. Philippæus quidem Eusebium, etsi in chronico Caïnanis non meminerit, alibi tamen eum recensere, ut patet ex libello Latino quem Scaliger Eusebii chronico adjunxit. Pezeronus verò contendit omnes authores qui ante Origenem scripserunt, Caïnanum inter Patriarchas post-diluvianos numerasse: imò in Hebraico textu olim recensitum esse, & à Josepho memoratum; sed à Judæis tàm ex Josephi historiâ, quàm ex Hebraico textu datâ operâ erasum esse. Sed certè cavillantur hic adversarii dum nihil habeant boni quod respondeant. 1°. Enim certum est istum libellum Eusebii non esse, ut jam pridem ostendit Josephus Scaliger, ex diversitate chronologiæ, quæ inter hunc libellum, & Eusebii chronicon intercedit. Certum est etiam Eusebium Caïnanem constanter rejecisse: siquidem id in eo notat & reprehendit Georg. Syncellus chronici pag. 86. 2°. Gratis contendit Pezeronus ante Origenem Caïnanem ab omnibus veteribus numeratum fuisse.

Debuerat ergo respondisse ad testimonia Josephi, Berosi, Theophili Antiocheni, Eupolemi, Textûs Samaritani &c. Quod si se posse evadere putat asserendo Josephi libros malitiosè corruptos, restat ut & Berosi, Eupolemi & Theophili Antiocheni libros etiam malitiosè vitiatos esse contendat, quod quam absurdum fuerit asserere, nemo non videt.

Objicitur 2°. B. Lucas Spiritus Sancti amanuensis Caïnanem in Christi Genealogiâ inter Salem & Arphaxadum collocavit, ergo nullus superest dubitandi locus, quin reverâ talis homo extiterit. Respondent aliqui negando consequentiam; quia Sanctus Lucas id ex propriâ sententiâ non fecit; sed ex aliorum opinione, qui id in aliquibus τῶν ὁ exemplaribus legebant: *multa quippe*, inquit Sanctus Hieronimus in cap. 28. Jeremiæ, *dicuntur juxtà opinionem illius temporis quo gesta fuerunt, & non juxtà quod rei veritas continebat. & in lib. 2°.* adversùs Helvidium *Evangelistæ*, inquit, *vulgi opinionem exprimentes, quæ vera historiæ lux est, patrem dixerunt Ioseph Salvatoris.* Similiter ergo, inquiunt, Evangelista Lucas omnes primogenitores Salvatoris tàm vulgò ita habitos, quàm veros recensendos sibi proponens, genealogiam ejus sic exorsus est, ὢν ὡς ἐνομίζετο ὁ υἱος τῦ ἰωσὴφ τῦ ἠλι, τῦ μάθαν, *existens ut putabatur filius Ioseph filiuss Eli &c.* In progressu quoque Caïnan inter patres Christi nominare potuit: non quòd talis reverâ ipse esset, sed quòd à Judæis Hellenistis, quorum plurimi nomen ejus in suis Bibliis legebant, talis putaretur. Enim verò non improbabiliter conjici potest ex chronologiâ Demetrii, quam refert Alexander Polyhistor apud Eusebium lib. 9°. præpar. Evangelicæ, Caïnanis nomen jam ante Christum in aliquâ versionis τῶν ὁ exemplaria irrepsisse. Cum enim ab Adamo ad Jacobi descensum in Ægyptum numeret annos 3624. à diluvio annos 1360. vel potiùs 1362. ab Abrahami verò peregrinatione 215. videtur suum ætati Caïnanis tribuisse locum. Sed ne fortè hæc responsio, etsi conformis principiis Divi Hieronimi, aliquos offendat, parùmque venerationi & authoritati Scripturarum convenire videatur.

Respondeo negando antecedens. Cum enim certum sit

Caïnanis nomen, neque in Hebraico textu, neque in Samaritano; sed neque in codicibus versionis τῶν ο melioris notæ, tempore D. Lucæ extitisse, ab omni verisimilitudine alienum est Sanctum Lucam ejus mentionem fecisse. E contrà verò probabilissimum, ab aliquo amanuensi sciolo, qui Caïnanis nomen in aliquibus versionis τῶν ὀ exemplaribus legerat, in Christi genealogiam fuisse intrusum, ac deinceps istud nomen in aliis exemplaribus etiam locum invenisse. Hoc autem eò verisimilius efficitur, quòd non ita in omnibus codicibus prævaluerit ista lectio, apud Sanctum Lucam; quin adhuc aliqua reperiantur exemplaria, quæ Caïnanem istum prorsùs omittunt. Extat enim codex Beati Lucæ Græco-latinus in antiquissimis membranis, litteris majusculis sine spiritibus & accentibus descriptus ubi in Græco ita exertè legitur. τοῦ Φαλὲγ τοῦ Ἐβὲρ, τοῦ Σαλὰ, τοῦ Ἀρφαξὰδ, τοῦ Σὴμ. *Et in Lâtino; qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem*, Caïnanis mentione prætermissâ. Porrò codex ille ex Galatiâ in Galliam olim allatus est, & in Monasterio Sancti Irenæi in suburbio Lugdunensi repositus, ibique tempore civilis belli anno 1562. repertus, anno 1581. à Theodoro Bezâ Academiæ Cantabrigiensi donatus est. Adde quòd Divus Irenæus hunc Caïnanem apud S. Lucam non legebat; siquidem numerat tantùm septuaginta duas generationes ab Adamo usque ad Christum: cum tamen, si Caïnanem numeres, septuaginta tres inveniantur. Cœterùm quæ de istius Caïnanis prosapiâ & vitâ nonnulli referunt, tàm fictitia sunt, quàm ipse fuerit. Id solum notandum est, Eusebium de istâ prosapiâ nullibi esse locutum.



SECTIO SECUNDA.
DE annis Nativitatis Tharæ & Abrahæ.

QUOD spectat ad annum nativitatis Tharæ, non est magna difficultas: constat enim tùm ex Eusebio, tùm ex aliis veteribus, nec non ex editione Venetâ versionis τῶν ὁ Nachorem genuisse Tharam anno ætatis suæ septuagesimo nono; proindeque errorem irrepsisse in editionem Sixtinam, & Complutensem, ejusdem versionis in quibus pro 79. legimus 179. Ex quo mirari subit, cur Pezeronus huic generationi assignet annum Nachoris 129. juxtà calculum Josephi, quem hic nobis pro calculo τῶν ὁ venditat: cum tamen fateatur, vel ipse Isaac Vossius, Josephum in hoc à codicibus versionis τῶν ὁ diversum esse.

Sed multò gravior est difficultas circà natalem annum Abrahæ. Scriptura enim expresse tradere videtur, eum anno septuagesimo Tharæ natum esse; cum tamen eadem Scriptura, Genesis 12. asserat eum, cum egrederetur de Haran, fuisse tantùm septuaginta quinque annorum: & tamen Patrem ejus ducentis quinq; annis natum, jam tunc mortuum fuisse, paulò ante asserat. Sed quia hoc ultimum, ex quo præcipuè exurgit difficultas, non ab omnibus admittitur; ideò hic illud paulò fusiùs stabiliendum est.

Probatur itaque primò, ex connexione quæ reperitur, inter mortem Tharæ & vocationem Abrahæ: postquàm enim Scriptura retulit mortem Tharæ, statim subjungit: *& dixit Dominus ad Abram: egredere de terrâ tuâ &c.* Ex quo patet istam Abrahæ profectionem tunc demùm contigisse. Undè etiam Scriptura ibidem memorat Abram tulisse animas quas fecerant in Haran. Secundò quia ex eâdem Scripturâ constat, Tharam profectum esse ex Mesopotamiâ cum filio, ut irent in terram Chanaan, & venisse in Cha-

ran, ubi mortuus eſt : ergo cum Abram profectus ſit de Haran, conſtat quòd ejus peregrinatio nonniſi poſt mortem Tharæ cœperit. Quia tamen urget Scriptura Abrahamum anno Tharæ ſeptuageſimo natum eſſe, & tamen ſeptuaginta quinque duntaxat annorum fuiſſe, quando egreſſus eſt de Haran, clarèque ex eo ſequi videtur, Tharam tunc temporis necdum fuiſſe mortuum : ideò nonnulli cenſent mortem Tharæ hic per prolepſim in Scripturâ relatam, ut totius deindè peregrinationis Abrahæ ſeries texeretur. Sed quoniam Scriptura contrarium apertè docet Actorum 7. ubi Beatus Stephanus diſertè aſſerit *Abraham tranſlatum eſſe de Charan, poſtquàm mortuus eſt Pater ejus.* Hinc plures tantam difficultatem hic viderunt, ut indiſſolubilem eam putarint. Ita Hieronimus in quæſt. Hebraicis, & Joſephus Scaliger in Elencho ſecundæ orationis Paræi. Nonnulli etiam eò devenerunt, ut hujus loci Actorum, fidem in dubium revocaverint; vel aſſerentes, ut Melchior Canus, B. Stephanum æſtu diſputationis raptum, memoriâ lapſum eſſe : aut ut Buccholcerus, Acta ad Geneſim eſſe examinanda : non verò Geneſim ad Acta. Sed certè utriuſque reſponſio valdè temeraria eſt : quaſi verò, non idem omninò Geneſis haberet quod Acta, aut quaſi Spiritus Sanctus minùs Acta inſpiraſſet quàm Geneſim; vel minùs per os B. Stephani, qui eo plenus erat, quàm per os Moſis locutus ſit ? Nec magis audiendus eſt Sethus Calviſius, Iſag. Chronol. cap. 35. cum in ſeptuaginta Interpretes rejicere ſatagit quem B. Stephano tribuit errorem : ſiquidem nihil in Septuaginta Interpretibus, hoc loco, habetur, quod non etiam in Hebraico textu reperiatur.

Alii ut Syncellus, Maſius, & Nicolaus Abram, mortem iſtam Tharæ, volunt intelligi de morte myſticâ, per idololatriam. Sed certè ſatis clarum eſt, non magis eſſe myſticam hanc, de quâ B. Stephanus loquitur, mortem, quàm ſit myſtica illa de quâ Scripturâ loquitur, Geneſis 11. ad quam Sanctum Stephanum reſpexiſſe dubium non eſt. Neque uſquam oſtendi poterit ex Scripturâ Tharam, ex quo de Ur profectus eſt, in idololatriam lapſum eſſe.

Alii igitur ut Abulensis, & Pererius, duas statuunt in Chanaan profectiones, unam ante mortem Tharæ, alteram post mortem ejus; de quarum priore Moyses egerit, & de posteriore B. Stephanus meminerit. Sed præterquàm duplex illa profectio abundè confutatur à Torniello, Saliano, Bonfrerio Harvillæo, & aliis, manifestè etiam repugnat D. Pauli verbis, Hebr. 11. qui de primis Patriarchis, & Abrahamo potissimùm, loquens, ait: *Siquidem patriæ memores fuissent, de quâ exierant, habebant oportunitatem ad revertendum.*

Alii ut Ludovicus de Dieu, unicam quidem statuunt profectionem; sed illam translationem post mortem Tharæ de quâ Act. 7. intelligunt esse de terrâ Chanaan in genere, ad peculiarem illius terræ locum, qui posteà Tribui Judæ fuit destinatus. Sed præterquàm impropriè diceretur translatus, cum regionem non mutasset, huic evasioni locum abstulit B. Stephanus: asserit enim translationem illam factam esse ex Charan, indèque *ἐκεῖθεν*, *postquàm mortuus est pater ejus &c. cum non esset ei filius.* Quæ ultima verba confodiunt etiam istam explicationem; siquidem, juxtà Ludovici de Dieu hypotesim, Abraham tunc agebat annum 137. proindèque habebat filium. Nec valet quod asserit Petavius verba ista, *cum non esset ei filius*, non esse cum prioribus conjungenda, sed tantùm promissionem jam anteà factam designare. Contrarium enim clarum est, tùm ex verbis B. Stephani, tùm etiam, ex verbis Mosis, ac utriusque intento. Ex quibus omnibus patet, aliundè quàm ex istis solutionibus, quærendam esse nodi hujus resolutionem.

Itaque ad solutionem difficultatis quâ dicitur in Genesi Abram anno septuagésimo Tharæ natum esse; cum tamen eum nonnisi centesimo trigesimo natum oporteat; siquidem anno ducentesimo quinto patris sui erat tantùm annorum septuaginta quinque: dicendum est, de facto Abraham non ante annum 130. Tharæ natum esse; nec contrarium tradi in Scripturâ: sed tantùm quod Thara Pater ejus anno septuagesimo generare cœperit. Cum enim Scriptura asserat Tharam anno septuagesimo ætatis suæ, genuisse Abram,

Nachor, & Haran; nec tamen tres uno anno nasci potuerint, res ita accipienda est ut dicatur Tharam primum filium suscepisse anno septuagesimo ætatis suæ; alios verò posteà. Neque difficultatem facere potest quòd Abram primo loco nominetur; id enim contigit non quòd primogenitus esset, sed quòd spectarent ad eum Dei promissiones. Vel etiam quia is est stilus Scripturæ Sacræ ut generationes ordine retrogrado referat, quod facillimum esset infinitis exemplis demonstrare. Enimverò clarum est ex Scripturâ, Haran duobus aliis longè seniorem fuisse; non solùm quia longè ante eos obiit; sed maximè quia Nachor habuit uxorem Melcha filiam Haran: Abraham verò Saraï, quam eandem esse cum Jeschâ ejusdem Haran filiâ tradunt non solùm ex Hebræis omnes veteres, sed etiam plerique ex Christianis, & nominatim D. Augustinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 12. & 19. Neque etiam in contrarium facit, quod objicit Bellarminus, Scripturam per nativitatem Abrahæ texere chronologiam; proindèque statuendum, eum natum esse anno septuagesimo Tharæ; id enim falsum est: immò clarum est ex Scripturâ non à nativitate Abrahæ, sed à promissione, quæ illi post mortem Tharæ facta est, ducendum esse calculum chronologicum. Ex quo timendum non est ne fortè annus nativitatis Abrahæ incertus remaneat; siquidem, deductis septuaginta quinque annis, à tempore quo facta est illi promissio, facillimè invenitur, quo demùm anno, Tharæ nimirùm centesimo trigesimo, Abraham natus sit.

Ceterùm, absolutis difficultatibus quæ secundam mundi ætatem spectant, antequàm ad tertiam veniamus, operæ pretium est hic eam, tàm secundum calculum Hebraicum quem sequimur, quàm secundum versionem τῶν ο ob oculos exponere.



Anni Patriarcharum post diluvium.

Anni mundi		ante παιδογονίαν Juxtà Hebr.	Græc.	post παιδογονίαν Juxtà Hebr.	Græc.	anni ante Christum
1658	Sem	2	2	500	500	2346
1639	Arphaxad	35	135	403	330	2311
	Caïnan	0	130	0	330	
1723	Sale	30	130	403	330	2281
1757	Heber	34	134	430	270	2247
1787	Phaleg	30	130	290	209	2217
1819	Ragau	32	132	207	207	2185
1849	Saruch	30	130	200	200	2155
1878	Nachor	29	79	119	125	2126
1948	Thare	70	70	135		2056
2083						1921

Abraham profectus est ex Charan anno ætatis 75. ætatis Tharæ 205.

Summa tertiæ mundi ætatis an. 427.



DISSERTATIO

DISSERTATIO TRIGESIMA SECUNDA

DE TERTIA MUNDI ÆTATE, ejus initio, duratione & fine.

HUjus ætatis duratio expreſsè definitur à D. Paulo ad Galatas cap. 3. ver. 17. ubi aſſerit, inter promiſſionem Abrahæ factam, & Legem datam, quadringentos triginta annos reperiri; proindèque hujus ætatis duratio non videtur poſſe amplius in dubium revocari. Dubitari tamen poſſe aſſerit Petavius, tùm de ejus initio, tùm de fine. Cum enim non definiat Apoſtolus, an illi quadringenti triginta anni, completi fuerint, an verò incompleti; dubitari poteſt primò, an ineunte; an verò completo anno ſeptuageſimo ſexto Abrahami, illius periodi ſumendum ſit initium. Secundò an in initio, an verò potiùs in fine quadringentorum triginta annorum, finis ejus conſtituendus ſit. Sed abſque ratione dubium iſtud movet Petavius: de utroque enim certiores nos reddit Scriptura. De primo quidem, cum non ſolùm Geneſis 12. dicat, Abrahamum fuiſſe ſeptuaginta quinque annorum, cum exiret de Charan; ſed etiam Geneſis 16. ℣. 3. numeret decem annos expletos ab initio peregrinationis, quando ingreſſus eſt ad Agar; & verſu 16. dicat, eum octoginta ſex annorum fuiſſe, cum Agar peperit. Ex hoc enim ſole clarius elicitur Abrahamum cœpiſſe annum ſeptuageſimum ſextum quando egreſſus eſt de Haran. De ſecundo verò cum Exodi 12. verſ. 41. expreſsè dicit: *& factum eſt poſt finem quadringentorum triginta annorum, ut eodem ipſo die egrederentur omnes exercitus Domini de terrâ Ægypti.*

Sed magnam difficultatem facit locus Exodi 12. ℣. 41. in quo dicitur: *peregrinatio autem filiorum Iſraël, quâ commorati*

sunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum. Si enim tantum temporis in Ægypto fuerint Israëlitæ, profecto ista Periodus Exodi, non sumit initium à profectione Abrahæ de Charan.

Sed primò advertendum est vocem Hebraicam, quæ voci peregrinationis respondet, quamcunque migrationem è patriâ designare. Quod idem dicendum est de voce Græcâ παροίκησις.

Secundò terram ipsam Chanaan ab Abraham, Isaac, & Jacob, pro terrâ peregrinationis habitam, ut constat ex Genesis 18. ℣. 4. 26. ℣. 7. 28. ℣. 1. Exodi 6. ℣. 4. &c. Sic autem peregrinatio Patrum tribuitur filiis, sicut possessio filiorum tribuitur Patribus, loquendi modo Scripturis usitato, ut ex pluribus Scripturæ locis facilè probari posset. v. g. Deuteronomii 26. ℣. 5. Judicum 10. ℣. 11. & 12. & primi Regum 12. ℣. ij. Si igitur ista peregrinatio numeretur ab egressione de Charan, facilè reperientur quadringenti triginta anni, & omnia concordabunt.

Tertiò vox Hebraica, quæ in illâ phrasi respondet voci, *quâ commorati sunt in Ægypto*, æquè aptè reddi potest per vocem (qui) ut Polyglotta Antuerpiensia, & Parisiensia legunt, hoc modo: *habitatio autem filiorum Israël qui manserunt in Ægypto &c.* quâ particulâ sic mutatâ, nulla nobis superest difficultas. Ideò verò Moses, in istâ peregrinatione commemorandâ, Ægypti tantùm meminit; quia in terrâ Chanaan erant *numero brevi paucissimi & incolæ ejus*, ut dicitur in Psalmo: cum è contrà in Ægypto valdè multiplicati sint. Nec est quòd hæc sententia tàm severè habeatur à Stapletone, in antid. Apostolorum ad Act. 7. quasi hæretica esset, cum eam non solùm docuerit Lyranus; sed ex veteribus etiam approbarint Augustinus quæst. 47. in Exodum. Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolicum. Sedulius in caput tertium ad Galatas. Beda in libro de sex mundi ætatibus, ut nunc taceam Judæos in Seder-olam Rabba, & in comment. tàm ad Genesis 15. quàm ad Exodi 12.

Quòd autem ab ingressu Jacob in Ægyptum isti quadringenti triginta anni non possint numerari sic probatur.

Primò. Caat jam natus erat, cum Jacob intravit in Ægyptum, vixitque duntaxat centum triginta tribus annis. Amram verò filius ejus, pater autem Moysis vixit tantùm centum triginta septem annis; Moses verò erat octoginta annorum cum eduxit Israël de Ægypto. Ergo etiamsi omnes isti anni numerarentur simul; nec dum haberentur quadringenti triginta anni, sed tantùm trecenti quinquaginta; proindè filii Israël non potuerunt esse quadringentis annis in Ægypto. Porrò dicere cum Genebrardo, vel Amram vixisse plusquàm centum triginta septem annis, vel alias personas inter ipsum & Mosen inserendas, hariolari est.

Secundò. Jocabed fuit mater Moysis; atqui ipsa erat filia Levi, quæ nata est ei in Ægypto ex Numerorum 26. ℣. 59. Levi autem in Ægypto vixit ad summum nonaginta tribus; veriùs autem octoginta septem annis. Quibus subductis, cum octoginta quibus natus erat Moyses, cum Israëlitas eduxit de Ægypto, ex quadringentis triginta supersunt adhuc ducenti quinquaginta septem anni. Sicque dicendum erit, Jocabed genuisse Moysen anno ætatis suæ ducentesimo quinquagesimo septimo, quod plusquàm absurdum est.

Tertiò Hesron, qui cum Jacob descendit in Ægyptum, sexaginta annorum factus, ductâ filiâ Machir genuit Segub. At Segub genuit Jaïr, qui post quadraginta annos ab Exodo elapsos, possedit villas Basan ejus nomine appellatas. Ex primi Paralipomenon 2. ℣. 21. Numerorum 32. ℣. 40. & Deuteronomii 3. ℣. 14. Ergo &c. Simile argumentum duci potest ex Genealogiâ Core contradictoris; habuit enim avum Caath filium Levi, Dathan verò & Abiron habuerunt avum Ruben, ex Numerorum 16. ℣. 1. & 26. ℣. 8. & 9.

Quartò. Ex versione τῶν ό, quæ sic habet: *Peregrinatio autē filiorū Israël quâ peregrinati in terrâ Ægypti & in terra Chanaā, ipsi & Patres eorum, fuit annorum quadringentorum & triginta.* Licet autem clausula; *ipsi & Patres eorum*, non habeatur in Vaticano codice, habetur tamen in Alexandrino, & in omnibus aliis atque ita legerunt olim; Eusebius in chron. Q. Jul. Hil. lib. de duratione mundi. Augustinus quæst. 47. in Exodum &c.

Quintò. Divus Paulus ad Galatas 3. expresse docet, Legis promulgationem factam esse post quadringentos triginta annos, à promissione Abrahæ factâ. Atqui promissio illa plusquàm ducentis annis præcessit ingressum in Ægyptum: non possunt itaque numerari quadringenti triginta anni ab ingressu in Ægyptum. Licet autem diversimodè cavillentur adversarii, ut vim istius authoritatis eludant & Apostoli verba aliò detorqueant: nihilominùs adeò clara est ejus sententia, ut quisquis locum attentè inspexerit, omnes adversariorum cavillationes absque ullâ difficultate sit soluturus.

Verùm contrà hanc sententiam magnam facit difficultatem insignis locus Genesis 15. in quo sic habetur: *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subjicient eos servituti & affligent eos quadringentis annis.* Ex quo inferunt adversarii moram Israëlitarum in Ægypto fuisse quadringentorum ad minus annorum; proindèque hanc tertiam ætatem ultrà quadringentos triginta annos esse extendendam. Sed evanescet ista difficultas, si quæ ad locum Exodi 12. modo diximus huic etiam simili loco applicentur.

Sunt & aliæ difficultates quas pro diuturniore Israëlitarum in Ægypto morâ movent adversarii, ut v. g. quòd Scriptura octo generationes recenseat inter Ephraïm & Josuam; licet Josuë quinquagesimum tertium saltèm annum explesset, quando ingressus est in Ægyptum: quòd Israëlitæ in tantum multiplicati essent, ut quando egressi sunt de Ægypto exercitum penè innumerabilem conficerent, &c. Sed præterquàm istæ difficultates prævalere non debent adversùs authoritatem D. Pauli, disertè asserentis, inter promissionem Abrahæ factam & Legem datam, nonnisi quadringentos triginta annos effluxisse: facile est etiam eas resolvere. Ad primam enim respondeo 1°. plerosque eorum qui in Vulgatâ versione inter Ephraïmi nepotes numerantur, ab ipsomet genitos fuisse; ut patet ex Hebraico textu, in quo inter ejus filios referuntur. Hujus autem textus lectio indè confirmatur, quòd in divisione terræ Sheera inter filias ab Ephraïmo genitas recenseatur, quam tunc natam oportuit, saltèm centum

quadraginta annis. At si Israëlitarum mora in Ægypto fuisset quadringentorum annorum, ut volunt adversarii, Sheera trecentesimum trigesimum annum tunc superasset, quod incredibile est; nec cum ætate hominum istius ut sæculi convenit. 2°. Dato quòd octo essent generationes inter Ephraïm & Josuë, necdum tamen istæ octo generationes, diuturniorem moram in Ægypto evincerent; siquidem singulis istarum generationum, possent assignari viginti anni; quod spatium jam tunc temporis sufficiebat ad unam generationem, ut patet ex ætate quâ duodecim Patriarchæ liberis operam dare cœperunt. Ad secundam respondeo, nihil esse in hâc multiplicatione quod sententiæ nostræ adversetur; cum non solùm septuaginta viri, qui ingressi sunt in Ægyptum, sed multò pauciores, potuerint intrà ducentos annos tantam multitudinem procreare, ut cuivis attendenti facilè patebit.

Verùm exurgit alia difficultas circà initium hujus ætatis. Alii enim in anno septuagesimo quinto Abrahæ; alii ante, alii denique post annum istum, illud collocant. Cum enim duplicem Abrahæ vocationem Scriptura memoret, plerique initium hujus ætatis à primâ numerantes, eam ab anno septuagesimo Abrahæ in quo vocationem istam collocant ordiuntur; alii verò hanc ætatem à secundâ tantùm Abrahæ vocatione, vel etiam seriùs incipientes, initium ejus sumunt vel ab anno septuagesimo quinto, vel à septuagesimo septimo, vel ab octogesimo quinto. Nobis verò probabilius videtur utramque Abrahæ vocationem anno ejus septuagesimo quinto contigisse, & tamen initium hujus ætatis, nonnisi à secundâ quæ post mortem Tharæ contigit, esse desumendum. Primum hinc colligi potest, quòd Scriptura docet Tharam de Ur Chaldæorum, cum Abrahamo exiisse, animo eundi in terram Chanaan. Cum igitur in Charan substiterit ibique mortuus fuerit, valdè probabile est eum ultimum vitæ annum tunc agentem, ibi morbo correptum fuisse, nec longiùs in itinere procedere potuisse; sed ibi diem ultimum obiisse. Secundum verò indè probatur, quòd ex consensu omnium tertia ætas incipere debeat à

Anni mundi	*Tabula tertiæ mundi ætatis.*	Anni ante Christum
2083	Abraham 75. annorum erat cum ex Charan profectus est in terram Chanaan ut patet ex Genesis 12. ℣. 4.	1921
2108	A Profectione Abrahæ ad nativitatem Isaac, anni sunt 25. ex Genesis 21. ver. 5.	1896
2168	A Nativitate Isaac ad nativitatem Jacob anni sunt 60. ex Gen. 25. ver. 20. & 35. ver. 28.	1836
2298	A Nativitate Jacob ad ejus descensum in Ægyptum anni sunt 130. ex Genesis 47. ver. 9.	1706
2315	A Descensu Jacob in Ægyptum ad nativitatem Caâth filii Levi anni sunt 17.	1689
2355	A Nativitate Caâth ad nativitatem Amram anni sunt 40.	1649
2439	A Nativitate Amram ad nativitatem Mosis anni sunt 78.	1571
251	A Nativitate Mosis ad exitum de Ægypto anni sunt 80. ex Exodi 7. ver. 7.	1491

Summa totius tabulæ anni 430.



DISSERTATIO TRIGESIMA TERTIA

DE QUARTA MUNDI Ætate, ab egresſione nimirùm Iſraëlitarum, uſque ad Templi Salomonis ædificationem.

CIRCA hujus ætatis durationem, (quæ initium ſumit ab egreſſu Iſraël de Ægypto, & deſinit in anno quarto Salomonis, ſeu initio ædificationis templi, ut habetur tertii Regum cap. 6.) tot ſunt authorum ſententiæ, ut nulla ſit in totâ Scripturâ difficultas, quæ tot & tàm diverſas opiniones pepererit. Licet enim Scriptura expreſſe definiat, loco citato, hanc ætatem fuiſſe duntaxat quadringentorum ſeptuaginta novem annorum, dum ait: *& factum eſt quadringenteſimo octuageſimo anno egreſſionis filiorum Iſraël de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundus Regni Salomonis ſuper Iſraël, ut ædificare inciperet domum Domino.* Quia tamen Apoſtolus Actorum 13. videtur aſſerere tempus Judicum à morte Joſuë uſque ad Samuëlem fuiſſe quadringentorum quinquaginta annorum: hinc eſt quòd omnes ferè, qui de rebus chronologicis hucuſque ſcripſerunt, unanimi conſenſu aſſeruerint, hujus ætatis ſpatium, ultrà tempus aſſignatum eſſe protrahendum. Et quia in ſpatio, ut iis quidem videtur, libero, ſuo quiſque genio indulget, ſuaſque rationes ſequitur, tot ferè ſunt diverſæ ſententiæ, quot ſunt authores. Alii enim ut Severus Sulpicius hiſt. ſacr. lib. 1. errorem irrepſiſſe in librum tertium Regum ſuſpicati, illud quingentorum octoginta octo annorum fecerunt. Alii, eodem fundamento nixi, ſexcentorum octoginta, ut Serrarius in lib. 3. Regum; vel quingentorum octoginta, ut Ludovicus Capellus, chron. ſacræ tab. 9. numerantur

merarunt. Alii, ut Melchior Canus lib. ii. locorum Theolog. cap. 5. hanc ætatem quingentorum nonaginta annorum cum Josepho conficiunt. Alii, ut Laurentius Codomanus, exitum de Ægypto usque ad partitionem terræ continuantes, huic ætati quingentos quinquaginta octo annos assignant. Alii, ut Michaël Moestlinus, eandem rationem secuti, hanc ætatem intrà annos 592. includunt. Alii, ut Dyonisius Petavius, & Petrus Possinus, per istum exitum Israëlis de Ægypto quadraginta tantùm peregrinationis annos intelligentes, ætatem integram 520. annorum esse definiunt. Alii, ut Nicolaus Abram, eundem exitum ultrà septem annos protrahentes, 527. annos ætati tribuunt. Alii, ut J. Volterus 620. annos statuunt. Alii, ut Pezeronus tempus Mosis ad Inachi sæculum referentes hanc ætatem in tantum augent, ut eam ferè duplo majorem faciant quàm in Scripturâ statuatur; cum ejus durationem ad 873. annos extendant. Alii denique, loco citato tertii Regum inhærentes, chronologiæ in eo statutæ insistendum, & locum Apostoli aliter intelligendum esse, contendunt.

Quamvis autem, ex tantâ opinionum varietate, satis appareat, hanc quæstionem satis perplexam & implicatam esse: nihilominùs ea nobis probabilior videtur & Scripturæ conformior quæ 479. annos statuit.

Primò enim, hoc spatium expresè notatur in Scripturâ; proindèque, modò locus Actorum 13. cum hoc tertii Regum conciliari possit, nemo est qui non videat hanc sententiam cœteris longè esse præferendam: atqui locum Apostoli facilè explicari, & componi posse cum hâc sententiâ, infrà ostendemus.

Secundò. Quia ne levis quidem suspicio esse potest, hunc annorum numerum à scribis seu amanuensibus immutatum fuisse: cum non solùm omnes manuscripti codices, tàm antiqui quàm recentiores, sed etiam omnes antiquæ versiones, eandem absque ullâ varietate lectionem nobis repræsentent, & ita omnes Sancti Patres constanter semper legerint.

Tertiò. Quia hic calculus facilè conciliatur cum iis quæ

Pp

Scriptura refert de generationibus, quæ à Josuë usque ad Davidem effluxerunt. Scriptura enim tres tantùm generationes recenset, nimirùm Booz, Obed, & Jesse, qui fuit Pater Davidis, cum tamen inter utrumque tempus plusquàm 350. anni reperiantur. Si enim supponamus Salmon, qui tempore Josuë adhuc erat juvenis, quadraginta duobus annis post ingressum in terram Chanaan, genuisse Booz: hunc autem anno 102. genuisse Obed, qui genuerit Jesse anno ætatis centesimo undecimo; pari verò anno Jesse genuisse Davidem; nihil omninò incredibile aut admodum difficile à nobis proferetur. Præterquàm enim hujusmodi generationum exempla nostris etiam diebus non desunt, ut refert Usserius de majori Britanniâ, & nos aliquâ ex his Provinciis possemus addere; certum est istis temporibus, de quibus agimus, homines diutiùs adhuc vixisse, quàm nunc vivant; cum ferè omnes, quorum Scriptura refert ætatem, ad centesimum annum propius accesserint, aut etiam ætatem illam superaverint. Constat etiam ex eâdem Scripturâ, Booz fuisse omninò senem, cum genuit Obed; & Jesse pariter fuisse senem grandævum quandò Davidem genuit. Nihil itaque difficultatis faciunt istæ generationes, in nostrâ sententiâ. At in eorum calculis qui hanc ætatem, ad majus annorum spatium protrahunt, prorsùs inexplicabilis est ista series generationum, & ita difficilis ipsis adversariis videtur, ut Lyranus, & nonnulli alii eum secuti, ad istud delirium confugerint, ut tres fuisse Booz comminiscerentur; quorum primus fuerit filius Salmon, tertius verò Pater Obed. Quod certè si non est ludere de Scripturâ, quæ tribus in locis generationes istas recenset, nec ullibi nisi unius Booz meminit, quodlibet commentum Scripturæ verbis facilè poterit superstrui. Itaque cum in unâ nostrâ sententiâ difficultas illa possit superari, dubium esse non potest quin ea sit cœteris omnibus anteponenda. Undè superest ut ad eam magis confirmandam tàm cum verbis Apostoli Actorum 13. quàm cum libro Judicum eam conciliemus.

Quòd itaque spectat ad locum Apostoli Act. 13. ubi dicitur Deum dedisse Judices per annos quadringentos

quinquaginta uſque ad Samuëlem, facilè cum noſtrâ ſententiâ conciliabitur, ſi iſta ætas, ad tempus quod Judices præceſſit, non ad tempus Judicum referatur; ita ut ſenſus ſit: à tempore quo Deus per nativitatem Iſaac, elegit Patres noſtros, ut in Iſaac vocaretur Abrahæ ſemen, eos peculiari modo ſervavit, & in Ægypto auxit, poſtmodumque eos ab Ægyptiacâ ſervitute eruens, terram promiſſionis eis partitus eſt poſt 450. annos. Dehinc verò dedit Judices uſque ad Samuëlem. Ut autem verba Apoſtoli ſic intelligantur, facit primò conſtans lectio omnium exemplarium & verſionum libri tertii Regum, quæ, ut modo diximus, nonniſi 479. annos completos exhibent ab Exodo uſque ad initium ædificationis templi. Secundò, quòd iſtâ lectione admiſsâ, nulla ſuperſit in hâc ætate diſtribuendâ difficultas. Tertiò quòd à nativitate Iſaac uſque ad terræ diviſionem à Joſuâ factam, totidem reperiantur anni, quot aſſignantur ab Apoſtolo nimirùm 450. Quartò quòd Vulgata eodem modo ſenſum Apoſtoli nobis repreſentet: ſic enim habet: *Deus plebis Iſraël elegit Patres noſtros & plebem exaltavit...... & deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan ſortè diſtribuit eis terram eorum quaſi poſt 450. annos; & poſt hæc dedit Judices uſque ad Samuëlem.* Quibus verbis nihil clarius eſſe poteſt pro noſtrâ expoſitione aſſerendâ. Quintò denique quia etiam textus Græcus, in editione Roberti Stephani, quæ judicio eruditorum, optima eſt omnium, & in nonnullis antiquiſſimis codicibus, ut in Cantabrigienſi, quod olim Bezæ fuerat, in Alexandrino, & in Velezianis, eodem modo habetur, quo in Vulgatâ; nimirùm: κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου.

Jam verò, ut hic noſter calculus, cum libro Judicum concilietur, nihil aliud requiritur, niſi ut anni quietis & Anarchiæ in annis cujuslibet Judicis numerentur, ita ut, cum refertur v. g. terram quieviſſe annis quadraginta ſub Othoniele, ſenſus ſit, quietem illam ab Othoniele partam eſſe, anno quadrageſimo ab eo tempore, quo ſub Joſuë devictis quinque Regibus primùm quieverat. Si enim ex annis, qui

in lib. Judicum referuntur, sic computatis, summa conficiatur, numerus 480. in libro tertio Regum notatus, facilè reperietur. Proindè dubitari non debet, quin ita sit intelligendum.

Id autem confirmatur primò ex ætate Othonielis fratris Caleb: facilè enim intelligitur eum supervivere potuisse aliquandiù senioribus Israël, & liberasse populum suum, anno quadragesimo à partitione terræ, seu ab extinctione Regum Chananæorum, suisque etiam aliquandiù præfuisse. At incredibile omninò est eum, juxtà adversariorum sententiam, præfuisse quadraginta annis, post mortem Josuë, & omnium aliorum, qui unà cum Othoniele Josuæ supervixerunt. Cum enim constet Othonielem jam fuisse strenuum bellatorem, tempore partitionis terræ, ut patet ex Josuë 15. & Judicum 1. fateri necesse est, eum jam tunc temporis, triginta saltèm annis natum fuisse, quibus si addantur viginti septem, quibus volunt nonnulli, Josuam populo præfuisse; deindè totidem, vel etiam ampliùs, quibus seniores post Josuam præfuerunt, postremòque quindecim, aut etiam ampliùs, tàm Anarchiæ, quàm servitutis, dicendum erit, Othonielem fuisse centenarium, quando bellum adversùs Mesopotamiæ Regem aggressus est, transactoque bello, usque ad centesimum quadragesimum annum, populo præfuisse. Quis autem credat, Othonieli centenario in animum venisse, ut bellum aggrederetur; aut populo ut ducem centenarium, id est ætatis decrepitæ sequeretur. Certè multò verisimilior cuilibet videbitur ea sententia, quæ id muneris ei tribuit, cum corpore adhuc vegeto, & ad bellum aggrediendum satis robusto esset, qualem eum adhuc fuisse quadragesimo anno à divisione, nemo negabit.

Confirmatur secundò, ex eo quòd satis clarè insinuet Scriptura servitutis annos in ipsis Judicum annis includi. Nam Judicum quartò dicitur, quòd Debora judicabat populum, eo tempore, quo Jabin Rex Chanaan eum servitute opprimebat. Statim enim postquàm Scriptura commemoravit servitutem, quâ eos opprimebat spatio viginti an-

norum ſubdit : *Erat autem Debora prophetis uxor Lapidoth quæ judicabat populum in illo tempore : ſedebatque ſub palmâ .... aſcendebantque ad eam filii Iſraël in omne judicium. Quæ miſit & vocavit Barac filium Abinoës &c.* Clariùs adhuc rem eamdem exprimit Scriptura , de Samſone loquens ; diſertè enim aſſerit Samſonem judicaſſe populum, *in diebus Philiſtiim* , viginti annis. Cum igitur expreſsè de duobus illis aſſerat Scriptura , eos judicaſſe, ipſo tempore ſervitutis , falſum eſt , quod aſſerunt adverſarii , tempora ſervitutis à temporibus Judicum eſſe diſtinguenda : proindèque corruit eorum ſententia.

Unum tamen eſt , quod ſcrupulum facere poſſet in ſententiâ noſtrâ , nimirùm quòd Scriptura , dum annos judicum refert , non dicit terram quieviſſe tali anno v. g. quadrageſimo ; ſed abſolutè , quieviſſe *quadraginta annis.* Verùm præterquàm epocha libri tertii Regum , & aliæ rationes adductæ , modum noſtrum computandi ſufficienter probant , ſciendum eſt , quòd licet in Vulgatâ ita tranſlatum habeatur , nihilominùs voces hebraicæ noſtram expoſitionem facilè admittant , ut notat Franciſcus Ribera lib. 1. de Templo cap. 1.

His ita ſtatutis , id unum nobis ſupereſſet , ad hujus ætatis quæſtionem abſolvendam , ut numerum annorum 479. in ſuas partes diſtribueremus & ſingulas in tabulâ exhiberemus. Sed quia doctiſſimus Pezeronus , nuper ſibi viſus eſt invicta argumenta protuliſſe , pro antiquitate temporum reſtituendâ , & hâc potiſſimum ætate mirum in modum dilatandâ , operæ pretium eſt , in ejus hypoteſi diſcutiendâ paulò diutiùs immorari , & ſingulas ejus rationes æquâ judicii lance , juxtà Scripturæ authoritatem ponderare.

Contendit itaque vir doctus , hanc ætatem mirum in modum decurtatam eſſe , ab omnibus qui hactenùs de rebus chronologicis ſcripſerunt ; cum enim omnes , quingentos tantùm , aut ad ſummum circiter ſexcentos annos ei tribuant ; non dubitat vir eruditus , eidem octingentos ſeptuaginta tres annos aſſignare. Duplici autem ejus ſententia nititur fundamento.

Primum est [l], quod omnes antiqui, tàm Pagani, quàm Judæi, aut Christiani, qui de Mosis ætate, ante Eusebium locuti sunt, eum Inacho coævum fecerunt, non Cæcropi, ut præstiterunt plerique, qui post quartum sæculum de hisce rebus egerunt, Eusebii errorem secuti.

Secundum, quòd Josephus & Philo testentur Legis tempus, seu durationem, fuisse annorum bis mille: idemque confirmetur ex antiquâ traditione domus Eliæ, ut in Talmude commemoratur. Atqui, ait vir doctus nec Lex durasset duobus annorum millibus, nec Moyses Inacho fuisset coævus; nisi hæc ætas, plusquàm octingnetorum annorū esset. Cum enim certum sit, à condito templo, ad nativitatem Christi, non effluxisse mille & centum annos, nunquàm posset demonstrari, aut verificari, Legem durasse duobus annorum millibus, usque ad tempora Josephi, nisi spatium, quod à tempore Legis datæ, usque ad templi ædificationem intercessit, fuisset circiter nongentorum annorum. Sed neque etiam demonstrari posset, Mosen fuisse Inacho coævum, quod omnes veteres testantur: siquidem Inachus, ex omnium consensu, ferè nongentis annis templum præcessit. Ergo pro certo haberi debet, hanc ætatem, octingentorum septuaginta trium annorum fuisse, quot requiruntur ad duas illas epochas conciliandas. Ita ferè Pezeronus.

Sed, pace viri docti dixerim, ejus sententia, neque invictis, ut putat, argumentis, nititur; ut infrà ostendemus: neque cum Scriptura satis cohæret. Immò verò, certis ab eâdem Scripturâ, ductis argumentis, multimodè impugnari potest.

Primò enim epocha tertii Regum, eam penitùs convellit: siquidem hanc ætatem, duntaxat quadringentorum septuaginta novem annorum facit: cum tamen juxtà Pezeroni calculum, ferè duplo majus spatium debuisset ei assignare. Neque valet ejus responsio, dum contendit Scripturam Sacram, fausta duntaxat tempora, in hoc numero computasse; ut moris tunc erat Orientalibus populis, & ipsi Scripturæ familiare. Primò enim eam apertè excludunt

Scripturæ verba, quæ sic se habent: *factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, in anno quarto mense Zio: ipse est mensis secundus regni Salomonis, super Israël, ædificari cœpit domus Domino.* Cum enim ibi asseratur istam epocham & summam continere numerum annorum, qui effluxerunt ab Exodo, ad ædificationem templi, id de solis annis prosperitatis intelligere, non de omnibus indiscriminatim, hoc non est Scripturam exponere, sed, ut verum dicamus, Scripturæ illudere est. Quid enim aliud est quàm Scripturis illudere, earum verba sic exponere; ut dum clarè recensent temporis spatium, quod inter duo extrema effluxit, additis etiam mensibus superfluis; ex earum tamen verbis, impossibilè sit deprehendere, quot reverâ inter utrumque spatium anni & menses intercesserint. At quis, dùm verba Scripturæ modo relata legerit, poterit suspicari non 479. annos sed 873. ab Exodo usque ad templi ædificationem intercessisse? Secundò, quidquid sit de Orientalibus populis, falsum est istum modum numerandi, Scripturis familiarem esse; aut ullum exemplum talis calculi, ex iis proferri posse: immò contrarium, multis exemplis comprobari potest. v. g. Corruptio generis humani, per annos plusquàm ducentos ante diluvium, quamvis tempus valdè infaustum fuerit; nihilominùs in Scripturâ, æquè ac alia tempora, numeratur. Ipsa diluvii duratio exactè refertur. Post diluvium verò, totum tempus captivitatis Ægyptiacæ in Exodo computatur. Item in libro Numerorum, tempus quadraginta annorum, quibus Israëlitæ erraverunt in deserto, ibique mortui sunt. In libro Judicum, tempus quo diversis regibus Israëlitæ servierunt. In libris Regum tempus quo Israëlis Reges, & plerique Reges Juda, etsi non minùs impii, quàm Salomon ultimis regni annis fuerit, recensentur. In libris Prophetarum tempus captivitatis Babylonicæ. In libris Machabæorum, tempus afflictionis Judæorum, ab Antiocho & aliis. Denique ista omnia tempora, non minùs apud Josephum quàm in Scripturis notata reperiuntur. Falsum est igitur, quod asserit vir doctus, morem Scrip-

turæ, & Orientalium esse, infausta tempora penitùs reticere; ac proindè falsum Scripturam 3. Regum 6°. non omnia tempora, quæ ab Exodo fluxerunt, numerare voluisse.

Secundò Pezeroni calculus cum Jephte Galaaditæ calculo, ab eo evidenter in libro Judicum relato, conciliari non potest; imò confutatur. Cum enim Jephte, Judicum undecimo, disceptaret cum Rege Ammonitarum, graviter ferente, Israëlitas possidere terram Amorrhæorum, quam ad se pertinere contendebat; Jephte ex diuturnâ possessione terræ illius, à filiis Israël, qui eam tulerant ex Amorrhæis, præscribebat contrà jus allegatum, à Rege filiorum Ammon, tempusque illius possessionis, quantùm poterat extendens, ut par est credere, prout omnibus præscribentibus consuetum est, asserebat jam à trecentis annis, terram illam ab Israëlitis possessam fuisse. At, si verus esset Pezeroni calculus, non debuisset Jephte, trecentos tantùm annos, sed sexcentos allegare. Quis autem credat Jephtem, contrà Ammonitas præscribentem, cum posset sexcentos possessionis annos, contentum fuisse, trecentos tantùm commemorare? Quis igitur non videat multò minorem, id est totis ad minus trecentis annis, esse calculum Scripturæ, calculo Pezeroni: Proindèque hunc calculum rejiciendum esse; ut potè falsis & Scripturæ repugnantibus nixum fundamentis?

Tertiò. Confutatur idem Pezeroni calculus, ex genealogiâ Davidis, quæ saltèm tribus in locis Scripturæ refertur; nimirùm Ruth ultimo, 1 Paralip. 2°. & Mathæi 1. his verbis: *Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isaï, Isai genuit David.* At certum est, Salmon non genuisse Booz, nisi post terræ partitionem; siquidem genuit Booz de Rahab meretrice; proindèque constat tres tantùm reperiri generationes, inter Salmon & Davidem. At numerus iste generationum, nunquam conciliari poterit, cum calculo Pezeroni. Nam juxtà rationes ejus, inter natum Booz & natum Davidem, intercesserunt ad minùs septingenti quinquaginta anni: proindèque dicendum esset, juxtà ejus computum, Booz annos natum ducentos quinquaginta, genuisse Obed. Similiter Obed pari anno genuisse Jesse: ac denique

deniquc Jeſſe pari annorum numero Davidem procreaſſe. Quis autem non videat, ridiculum eſſe, ſtatuere tres iſtos Patriarchas anno ætatis ducenteſimo quinquageſimo, potuiſſe gignere; cum tunc temporis, nullus ad centeſimum quinquageſimum ſaltèm annum vixiſſe reperiatur, ætaſque vulgaris hominum, paulòpoſt iſta tempora, eſſet tantùm ſeptuaginta aut octoginta annorum.

Neque reſpondere poteſt Pezeronus, Scripturam generationes aliquas præteriiſſe. Præterquàm enim id gratis omninò, & contrà Scripturæ authoritatem, aſſereretur: cum in omnibus locis, quibus Scriptura genealogiam iſtam recenſet, non plures quam tres illas recenſeat; facilè etiam confutari poteſt ex aliis genealogiis, quæ in libro Paralipomenon referuntur. Nam 1. Paralip. 6. Ab Aaron uſque ad Sadoch, qui tempore Davidis Sacerdotio fungebatur, novem tantùm generationes referuntur. A Levi autem uſque ad Etan qui eodem tempore florebat, tredecim tantùm recenſentur: atqui juxtà Pezeroni calculum à Phinees uſque ad Sadoch octingenti ſaltèm anni effluxerunt, à Levi autem uſque ad Etan circiter mille centum. Dicendum igitur erit, ſi Pezerono credamus, iſtos omnes aut centenarios aut ferè centenarios genuiſſe; quod cum nemo non videat, in tantâ temporum ſerie, totque ſecutis generationibus, vix eſſe poſſibile; apparet Pezeroni ſubterfugium, ridiculum eſſe & falſum, cum aſſerit in genealogiâ Davidis generationes eſſe omiſſas.

Quartò confutatur etiã idem calculus ex ætate Othonielis, quem conſtat, juxtà Pezeronum, judicaſſe Iſraëlem quadraginta annis, poſt primam oppreſſionem. At juxtà eundem authorem initium judicaturæ ejus contigit annis centum viginti poſt ingreſſum in terram Chanaan. Negari autem non poteſt, quin tempore ingreſsûs illius, Othoniel quem Scriptura fratrem Calebi appellat, ſtrenuumque bellatorem oſtendit, natus fuerit ſaltèm triginta aut circiter annis: proindèque dicendum erit Othonielem centum quinquaginta annis natum, bellum aggreſſum eſſe, poſtmodumque quadraginta annis ſuo populo præfuiſſe. At tempus iſtud

convenire non posse cum ætate quâ tunc vivebant homines, nequidem ipse, ut puto, diffitebitur Pezeronus. Ex quo fateri cogetur, calculum à se confectum stare non posse.

Porrò ex his omnibus satis liquet, systema Pezeroni, quoad hanc ætatem, nullatenùs posse subsistere, aut cum Scripturis conciliari : ac consequenter, falsa esse argumenta, quibus illud systema conatur adstruere. Non esset itaque necesse, in iis confutandis diutiùs immorari. Sed quia difficile non erit eorum falsitatem, aut saltèm incertitudinem, aliundè etiam demonstrare : ideò pleniorem eorum discussionem hic aggredi non pigebit. Itaque

Ad primum argumentum respondeo, verum quidem, id traditum esse à Josepho & aliis veteribus, dum contrà paganos disputarunt : sed à plerisque eorum absque ullo examine admissum. Josephus quidem, id asseruit in libris contrà Appionem; sed aut id præstitit, ut fictâ illâ antiquitate, gentis suæ antiquitatem magis extolleret; præsertim cum ibidem inferat Mosem præcessisse bellum Trojanum annis ferè mille, quod falsum esse nec ipsemet Pezeronus diffitebitur : aut ibi usum esse contrà Appionem argumento, ut vocant, ad hominem. Cum enim plerique gentilium scriptores, qui de Mose locuti fuerant, cum Inacho æqualem fecissent, eo quòd in Scripturâ divinâ, præsertimque in chronologiâ, non satis essent versati : Josephus, eorum testimonio nixus, ipsi hanc tribuit antiquitatem, quò faciliùs Appionis temeritatem & imperitiam argueret. Sed dum idem Josephus in suis antiquitatibus, singulas singulorum ætates paulò severiùs, & magis historicè discutit, satis ostendit parùm fundatam esse, imò fictitiam illam antiquitatem. Tantùm enim abest, ut Moysen statuat mille annis ante bellum Trojanum; vel saltèm nongentis ante templum Salomonicum, & in temporibus Inachi : ut è contrà constanter statuat libro 8°. cap. 2°. inter Exodum & templi ædificationem, non intercessisse plusquàm quingentos nonaginta duos annos. Insuper cum juxtà Pezeroni chronologiam inter Inachi & Samuëlis tempora, octingenti anni numerentur,

Josephus è contrà libro 5°. numerat tantùm circiter quingentos. Prætereà idem author, ab ingressu Abrahami in terram Chanaan, ad quartum Salomonis annum, numerat annos mille viginti; cum tamen numerare debuisset plusquàm mille trecentos, si Moysen Inacho æqualem fecisset. Denique lib. 10. cap. 11. templum, quod juxtà ipsum, stetit annis quadringentis septuaginta, statuit eversum annis post Exodum 1062. Atqui ab Inachi tempore, usque ad illam eversionem, intercesserunt juxtà Pezeronum, plusquàm mille trecenti quinquaginta anni: ergo pro certò haberi debet, Josephum nullatenùs putasse, Moysen Inacho æqualem fuisse; dumque id contrà Appionem asserebat, vel aliud cogitanti id elapsum esse, vel studio partium & antiquitatis suæ gentis id asseruisse, vel argumento ad hominem usum esse: vel denique in errorem ex hoc inductum, quòd pastores, de quibus Manetho loquitur, Israëlitas esse putaverit: cum tamen sola lectio Manethonis abundè sufficiat, ad contrarium statim persuadendum. Enimvero pastores isti, juxtà Manethonem, statim Memphiticum regnum invaserunt, cum exercitu ducentorum quadraginta mille hominum, plures Reges habuerunt, per annos quingentos, Ægyptios servitute oppresserunt, & tributarios fecerunt; tandemque longâ obsidione victi exire compulsi sunt. Quæ omnia Israëlitis convenire non possunt.

Porrò ex his patet etiam responsio ad secundum argumentum. Si enim Josephus ab Exodo ad templi ædificationem non plures annos quàm quingentos nonaginta duos numeravit, ut modò probatum est; clarum est etiam, nec id ipse diffitebitur Pezeronus, eum non potuisse bis mille annos Legi tribuere, cum juxtà ejus calculum, vix 1600. reperiantur. Nihilominùs adversùs istam Pezeroni objectionem, & tantam Legis durationem, aliam adhuc probationem suppeditat nobis idem Josephus, in libris de bello Judaico. Refert enim lib. 4°. cap. 31. urbem Chebron seu Hebron, esse antiquissimam omnium urbium Idumeæ, imò etiam Memphi Ægyptiorum antiquiorem; cum ab annis bis mille trecentis ædificata esset: subditque Abrahamum, cum primùm venit

in terram Chanaam, in eâ habitasse. Quod totum confirmat, ex superstite tunc temporis inscriptione marmori insculptâ & gemmis ornatâ, quæ in eâdem urbe visebatur. Ex hâc enim epochâ apertè colligitur, Legem non potuisse durare bis mille annis ante Josephum. Nam primò, certum est inter peregrinationem Abrahami, & Legem datam, intercessisse quadringentos triginta annos, ut suprà ostendimus. At etiamsi urbs illa Abrahami profectione non fuisset antiquior, cum ab ejus ædificatione ad Josephum essent tantùm bis mille trecenti anni, sequeretur Legem juxtà illud computum non potuisse durare nisi mille octingentis septuaginta annis: ergo &c. Secundò, certum est ex illâ Josephi narratione, urbem illam fuisse multò antiquiorem Abrahamo; siquidem in eâ habitavit, & jam ante Memphim ædificata erat. Atqui juxtà rationes Pezeroni, Memphis ædificata est ferè quingentis annis ante Abrahamum, juxtà nostras verò, plusquàm ducentis quinquaginta: ergo tantùm abest juxtà Josephi narrationem, & epocham ejus tempore marmori insculptam, ut Lex durarit bis mille annis, usque ad Josephum; ut è contrà, dicendum esset, juxtà rationes Pezeroni huic narrationi applicatas, nequidem mille quadringentis annis durare potuisse: juxtà nostras verò circiter mille sexcentis. Quod satis etiam demonstrat Josephum nostram sequutum esse supputationem; non eam quæ ipsi à Pezerono tribuitur.

Fatendum est ergo, Josephum, dum alibi asseruit Legis tempus fuisse bis mille annorum, aut parùm sibi attendisse, aut nimiam antiquitatem jactasse, aut, quod probabilius est, Legis initium desumpsisse ex Lege Circumcisionis Abrahæ datâ annis circiter bis mille ante Josephum; idemque de Talmudistis satis commodè dici potest. Quod autem spectat ad Philonem; cum apertè profiteatur, se tempus datæ Legis ignorare, & aliundè certum sit, eum rerum Judaïcarum parùm fuisse peritum; non est quod in ejus testimonio confutando diutiùs immoremur.

Cæterùm omnes veteres, qui ea de antiquitate Mosis & Legis protulerunt, quæ refert vir doctus; vel ea desumpse-

runt ex Josepho, vel ex Gentilibus historicis, antiquitatum Hebraicarum prorsùs ignaris; proindèque nullius ponderis esse debent. Sed tempus est ut hanc ætatem in singulas partes dividamus.

Cum verò, præter rationem computandi à nobis suprà memoratam quam sequitur Jacobus Usserius, aliam non minùs concinnam, nec minùs verisimilem exhibeat Joannes Marshamius, supponendo nimirùm, neque servitutes omnes, de quibus loquitur liber Judicum, fuisse successivas; sed alias aliis fuisse συγχρόνας; neque omnes Judices totum Israëlem semper judicasse; sed quandoque plures Judices, diversas populi partes, eodem tempore, judicasse; quod satis verisimile judicabit, quisquis librum Judicum attentè legerit: ideò antequàm hanc quartam mundi ætatem juxtà Usserii calculum exhibeamus; istam Marshamii sententiam, quâ cunctæ difficultates quæ ex Judicum successione oriuntur, facilè cum nostrâ epochâ conciliari possunt, indicandam judicavimus: ut si cui magis arriserit, eam adire possit, apud eundem Marshamium, in Canone Hebraico, edito Lypsiæ, anno *1696*.



Schema Chronologicum quartæ mundi ætatis.

Anni mundi		Anni Judicū	Anni ante Christum
2553	Ab exitu Israëlitarum de Ægypto ad ingressum in terram Chanaan anni sunt. - - -	40	1451
2559	Indè ad finita bella & ad quietem datam à Josuâ anni sunt. -	6	1445
2599	Indè ad quietem per Othonielem anni sunt. - - - -	40	1405
2679	Indè ad quietem per Aod datam occiso Eglon Moabitarum Rege anni sunt. - - - -	80	1325
2719	Indè ad quietem per Deboram & Barac, occiso Jabin Chananæorum Rege anni sunt. -	40	1285
2759	Indè ad quietem per Gedeonem Madianitis devictis anni sunt. -	40	1245
2768	Indè ad initium regni Abimelech filii Gedeonis anni sunt. -	9	1236
2816	Abimelechi, Tholæ & Jairi anni sunt. - - - -	48	1188
2822	Jephtæ anni sunt. - - -	6	1182
2848	Ipsan, Elon & Abdonis anni sunt.	25	1157
2887	Samsonis & Heli anni sunt. -	40	1117
2908	Samuëlis anni sunt. - -	21	1096
2949	Saülis Regis anni sunt. - -	40	1055
2993	A morte Saülis ad jacta fundamenta templi anni sunt. - -	44	1012

Summa annorum.
479.

DISSERTATIO TRIGESIMA QUARTA
DE QUINTA MUNDI Ætate, ab initio ædificationis Templi ad ejusdem destructionem.

Licet, in hâc ætate constituendâ, non sit tanta varietas sententiarum, quàm in superiori; neque tanto temporis spatio inter se distent authores: est tamen adhuc aliqua inter eos diversitas. Alii enim, ut Pezeronus, Josephi chronologiam secuti, & octoginta annos regno Salomonis tribuentes, eam quadringentorum septuaginta annorum faciunt. Alii ut Isaacus Vossius, quadringentorum triginta annorum, esse definiunt. Alii, ut Jacobus Usserius quadringentorum viginti quatuor annorum esse volunt. Alii denique ut Joannes Marshamius ad annos quadringentos eam restringunt. Sed quia nimis tædiosum, & parùm utile esset, uniuscujusque rationes & calculum hic referre, & discutere, cum aliundè distantia non sit multorum annorum: ideò cæteris omissis, Usserianum computum hic sequemur; postquàm Pezeroni sententiam de annis regni Salomonici paucis discusserimus.

Itaque, contendit vir doctus, necessariò admittendum esse juxtà sententiam Josephi, Salomonem non quadraginta annis, ut Scriptura disertè affirmat, sed octoginta annis regnasse; hancque sententiam, non solùm Scripturæ contrariam non esse nisi in speciem; sed etiam, ex iis quæ Scriptura de Salomone refert, eam necessariò elici. Probat autē suam sententiam, primò, tùm ex maximâ Josephi eruditione & diligentiâ: tùm ex securitate quâ diversis in locis ætatem illam Salomoni tribuit. Secundò ex eo quòd Scriptura refert, cor ejus depravatum fuisse in senectute per

mulieres; cum tamen senectus, nequaquam ei tribui potuisset, si quadraginta tantùm annis regnasset: siquidem tota ejus vita, quinquaginta duobus annis concluderetur. Tertiò ex ætate Roboami, qui ut refert Scriptura, quadraginta annorum erat, quando Salomon mortuus est. Quis enim sibi persuadeat, Salomonem undecim annos natum filiũ gignere potuisse? Quis credat jam tùm duxisse uxorem Ammonitidam. Quandoquidem Scriptura refert, tunc primùm eum adamasse mulieres Ammonitidas, cum senex factus est? Ex quibus concludit vir doctus, melius esse, & historiæ Sacræ convenientius statuere, Salomonem octoginta annis regnasse, quàm quadraginta. Sed his viri docti conjecturis apertè refragatur Scripturæ divinæ authoritas; quæ cum non plures quàm quadraginta annos Salomonis regno tribuat, temerarium videtur, ex meris conjecturis contrà perspicuum ejus testimonium, hunc numerum duplicare. Respondet quidem vir doctus, ut ab hâc difficultate se se expediat, ideò Scripturam quadraginta duntaxat annorum fecisse mentionem, quia hos annos piè & sanctè transegit Salomon; cæteros verò omisisse, quia in impietatibus & impudicitiis eos consumpsit; prout ei consuetum est in aliis locis, talia tempora penitùs omittere. Sed hanc responsionem superiùs abundè confutavimus. Et certè ejus falsitas, in libris Regum manifesta est; nam plerique Reges Juda feliciter auspicati, infeliciter ultimos regni annos in impietate transegerunt: vel infeliciter auspicati, feliciter obierunt: vel denique totum tempus regni in impietate consumpserunt. Cur ergo eorum omnium annos refert Scriptura? Cur in iis, qui partim piè, partim impiè regnarunt, non idem præstitit quod in Salomone? Cur v. g. ultimos annos Joas, & priores Manassis, non omisit? Si id in Salomone egit ex consuetudine Orientalium, cur non idem etiam egit in aliis Regibus? Aut quomodo asseri potest, id eam egisse in Salomone, cum certum sit in aliis Regibus contrarium omninò præstitisse? Maneat itaque certum, ex Scripturæ testimonio, Salomonem non octoginta, sed quadraginta annis regnasse.

Porrò

Porrò præter Scripturæ authoritatem, idem etiam apertè probatur ex chronologiâ Regum Tyriorum, à Josepho, ex Menandro relata lib. 1. contrà App. cap. 5°. quam quidem chronologiam Menander, eodem Josepho teste, ex authenticis Tyriorum archivis hauserat. Constat enim ex 3°. Regum 16. Achab duxisse filiam Ethbaalis Regis Sydoniorum. At juxtà Menandri calculum, Ethbaal, seu Itobaal regnare cœpit septuaginta tribus annis aut circiter, post initium regni Salomonis, & triginta tribus regnavit: ergo si Salomon regnasset octoginta annis, ut vult Pezeronus, Ethbaal ipso adhuc vivente regnare cœpisset, & cum eo septem saltèm annis regnasset, consequenterque mortuus esset triginta sex annis ante initium regni Achab, quod contigit tantùm anno sexagesimo primo post mortem Salomonis; ac proindè nullatenùs verisimile esset, Achab ejus filiam in matrimonium duxisse: quod cùm asserat Scriptura, eosque simul regnasse innuat, sequitur Salomonem, non octoginta, sed tantùm quadraginta annis regnasse.

Respondet Pezeronus, istum Ethbaal, de quo Scriptura loquitur, non fuisse Regem Tyriorum, sed tantùm Sidoniorum; hincque deceptum esse Josephum, quòd putaverit, unum Regem duabus urbibus præfuisse; cum tamen ex Jeremiæ 25°. & 27°. constet, Sidonem suos Reges peculiares habuisse. Sed præterquàm nomen & ætas istius Ithobaalis, satis ostendunt, ipsum esse de quo Scriptura loquitur plurimum ad hoc confert Josephi authoritas, qui cum Tyriorum archivos legisset ignorare non potuit, utrum tempore Salomonis, Tyriorum Reges Sidone etiam regnassent, proindèque nunquam asseruisset, eundem esse quem Scriptura Sydoniorum Regem facit; nisi id ex Tyriorum historiâ cognovisset. Sed & Menandri historia quam refert idem Josephus, loco citato, idem satis apertè insinuat; cum docet Hiram, adducto ad Tyrum exercitu, Tyrios coegisse, ut tributum, quod ipsi solvere recusabant, præstarent. Id enim satis demonstrat, eum aliã etiam ditionem præter Tyrum habuisse. At, quæ alia esse poterat præter vicinam Sydoniorum urbem? Malè ergo in

dubium revocatur, Tyriorum Reges utrique urbi tunc præfuisse; licet postmodum utraque suos Reges peculiares habuerit. Et certè quòd Reges Tyri etiam Sidoniis præfuerint, præterquàm Esaïas Propheta cap. 23. ruinam Tyriorum prædicens, apertè sub Tyriorum regno & ditione, Sidonios etiam comprehendit; ut ex contextu capitis quilibet potest conspicere: Menander à Josepho citatus lib. 9. antiq. cap. ult. apertè demonstrat Sydonem Tyro subjectam fuisse, cum refert in suis chronicis eam sub Elulæo Tyriorum Rege circà Salmanasaris tempora à Tyriorum ditione defecisse ad Assiriorum Regem. Ex hoc enim clarum est, & Sidonem ad ea usque tempora, Regibus Tyri subditam fuisse, & secutis temporibus, ab ejus ditione fuisse immunem: ex quo verisimile est, utramque urbem suum Regem consecutam fuisse, urbe Tyri in antiquâ possessione permanente, & Sidone Regem tributarium ab Assyriorum Rege consecutâ.

Ad rationes verò ab erudito viro allatas responderi potest: ad primam; Josephi historiam ex sacris codicibus emendandam esse, non sacros codices ad normam historiæ Josephi, corrigendos: proindèque cum Scriptura disertè asserat, Salomonem non nisi quadraginta annis regnasse, Josephus non nisi per errorem contrarium potuit asserere.

Ad secundam, per senectutem Salomonis, intelligi ultimos vitæ illius annos, seu senectutem relativam non absolutam; ut ipse Pezeronus fateri cogitur, cum Salomonis impietatem ab anno ejus quinquagesimo cœpisse statuit. Et certè nemo est, qui non videat, Salomonem, qui semper in voluptatibus & deliciis vixit, iisque incredibiliter àddictus fuit, citiùs senescere debuisse, quàm Davidem, qui tamen cum necdum septuaginta annorum esset, jam prorsùs ad generationem ineptus erat. Qui igitur fieri potuit, ut Salomon filius ejus, usque ad nonagesimum annum, juxtà sententiam viri docti, libidinibus suis indulserit, & in tantâ ætate vix mille mulieribus satiari potuerit?

Ad tertiam, primò, incredibile non esse, Salomonem in ætate tàm præmaturâ genuisse: siquidem legimus

4. Reg. 18. Ezechiam viginti quinque annos natum fuisse, cum Pater ejus Achaz, qui non amplùs quàm triginta sex annis in totum vixit, mortuus est. Et 4. Reg. 22. Josias refertur vixisse duntaxat triginta novem annis, & tamen Joachim tribus mensibus post mortem ejus, in regno succedens, dicitur fuisse viginti quinque annorum. Secundò probabilius esse, Roboam natum esse tantùm annos sexdecim, cum mortuus est Salomon; prout in versione τῶν ό legitur. Hanc autem lectionem veriorem esse hinc confirmatur, quòd constet ex Scripturâ, Roboam tunc temporis fuisse adhuc maximè juvenem; siquidem refertur, cum neglecto seniorum concilio, junioribus *qui cum eo nutriti fuerant* adhæsisse. Si enim, tunc annos quadraginta natus fuisset: non in juniorum, sed in seniorum sententiam inclinasset. Ex quo patet, Roboam natum esse, duntaxat vigesimo quarto anno Salomonis, quo verisimile est, cor ejus jam fuisse depravatum, vel saltèm ad mulieres alienigenas jam inclinatum.

Hâc igitur difficultate superatâ, tempus est ut Regum Judæ & Israëlis tempora invicèm conferamus, & secum invicèm conciliemus. Ad quod non parùm juvat prænotasse annos Regum Juda, de quibus Scriptura meminit, ut plurimũ esse annos completos: è contrà verò annos Regum Israël, ut plurimum, duntaxat incoatos. Itaque post mortem Salomonis, regnum Israëliticum in duas partes scissum est, & Roboamo quidem duæ, Juda nimirùm & Benjamin, remanserunt; Jeroboamo verò aliæ tribus cesserunt. Porrò uterque simul, exceptis fortasse aliquot mensibus, regnare cœpit. Roboam 17. annis completis regnavit; siquidem Abia filius ejus successit anno 18. Jeroboam ineunte. Hic verò regnavit annis 22. sed ultimo duntaxat inchoato.

Abia igitur tribus annis completis regnavit, usque ad finem anni 20. Jeroboami. Sub cujus anni finem, Abiæ successit Asa, qui 41. annis completis, regnum Judæ tenuit. Hujus anno secundo, Nabad in regno Israëlitico, Jeroboamo patri successit, regnumque non nisi ad secundum annum perduxit. Huic successit Baza, qui regnum 24. annis tenuit,

nimirùm ad 26. regni Asa; quo anno successit ei Ela, qui duobus tantùm annis regnavit: siquidem interfecit eum Zamri anno 27. Asæ. Zamri autem non regnavit nisi septem diebus, quia populus, regnum contulit Amri; à quo Zamri obsessus, seipsum in domo regiâ combussit. Tunc autem schisma factum est in regno Israëlitico, aliis, Tebni Regem constituentibus, aliis, qui posteà prævaluerunt, Amri sequentibus. Hoc autem schisma quatuor annis duravit. Quintò autem id est 31. Asæ, Amri solus regnare cœpit, & usque ad 38. Asæ inchoatum regnavit. Hocque modo intelligi debet, quod 3. Reg. 16. dicatur Amri regnare cœpisse anno 31°. Asæ, eique 12. anni regni assignentur, cum tamen ibidem Achab filius Amri dicatur patri successisse anno 38. Asæ. Si enim dicamus eum regnasse cum Tebni à 27°. anno Asæ, inveniemus quomodo 12. annis regnare potuerit, & tamen anno 31°. ejusdem Asæ solus regnare cæperit.

Anno itaque 38. Asæ, Achab mortuo patre regnare cœpit super Israël, regnumque perduxit usque ad annum 22um. Hujus anno 4°. desinente Josaphat patri Asæ successit in regno Judæ, & 25. annis completis regnavit. Hujus anno 17°. Achab filium Ochoziam in societatem regni admisit, ac similiter Josaphat, eodem anno filium suum Joram, vicarium regni fecit. Sicque intelligendum est, quod 4. Reg. 3. dicitur Ochoziam Regem Israël, qui patri Achab, interfecto in Ramoth Galaad, successit anno Josaphat 18. regnare cœpisse anno secundo Joram Regis Juda. Similiter etiam quomodo Ochozias, qui ad summum, octo mensibus, post mortem Achab regnavit, dicatur tenuisse regnum annis duobus. Ochoziâ itaque defuncto, Joram filius ejus regnare cœpit super Israël, anno 18. Josaphat Regis Juda, ut habetur 4. Reg. 3. & regnavit 12. annis.

Josaphat verò anno 23°. regni sui, Joram filium suum, quem anteà vicarium regni jam constituerat, in consortium regni adscivit. Hincque intelligi datur, quomodo Joram Rex Juda, qui anno 12. Joram Regis Israël mortuus est, ut habetur 3. Reg. 8. nihilominùs octo annis regnaverit, ut ibidem dicitur.

Porrò Joram Rex Juda morbo insanabili laborans, ultimo regni anno, filium Regem fecerat. Hincque intelligitur, quod 4. Reg. 9. dicitur eum regnare cœpisse anno 11°. Joram Regis Israël, cum tamen 4. Reg. 8. dicatur, successisse patri anno 12. Joram, & uno anno regnasse.

Itaque anno 12°. Joram Regis Israël desinente, & primo Ochoziæ Regis Juda, Jehu utrumqne interfecit, & 28. annis regnavit super Israël. Interim in regno Judæ, Athalia, omnibus filiis Ochoziæ interfectis, uno excepto, quem Josabeth soror Ochoziæ, & uxor Joïadæ Pontificis furtim de cæde eripuit, ac in templo clàm enutrivit, regnavit 6. annis: 7°. autem anno Joïadas interfectâ Athaliâ, Joas septenni regnum restituit. Hic autem annis 40. regnavit in Jerusalem, ut habetur 4. Reg. 12.

Anno 23°. Joas Regis Juda, Joachaz patri Jehu successit, & 17. annis regnavit super Israël, ut habetur 4. Reg. 13. Anno autem 37. Joas Regis Juda, Joas filius Joachaz, in consortium regni, à patre assumptus est, duobus vel tribus annis, antequàm Joachas moreretur, 16. autem annis regnavit. Sic autem rem se habuisse constat ex 4. Reg. 13. ubi dicitur. Joas Rex Israël cœpisse regnare 37°. anno Joas Regis Judæ.

Anno secundo Joas Regis Israël, mortuo Joas Rege Juda, Amasias filius ejus regnare cœpit in Jerusalem, & 29. annis regnavit, ut habetur 4. Reg. 14. Hujus Regis anno quarto, Joachas regni sui quinto, filium suum Jeroboam secundum, in regni consortium assumpsisse videtur: alioqui explicari non posset, quod 4. Reg. 15. dicitur Oziam seu Azariam regnare cœpisse anno Jeroboam vigesimo septimo, nisi fortè, errore librariorum, 27. obrepserint, pro 17. Hic porrò, mortuo patre Joas, cœpit solus regnare, anno 15. Amasiæ Regis Juda, & quadraginta & uno anno regnavit, ut habetur 4. Reg. 14. Anno igitur 27°. Jeroboam Regis Israël, ab eo scilicet tempore, quo in consortium regni adscitus est; à quo verò solus regnare cœpit 17°. Ozias filius Amasiæ, regnare cœpit in Jerusalem, & annis 52. regnavit in Juda; ut habetur 4. Reg. 15. Cæterùm mortuo

Jeroboam Rege Israël, regnum in Anarchiam decidit, quæ duravit annis undecim; siquidem mortuus est Jeroboam anno Oziæ 26. ut ex summâ annorum regni ejus colligitur; & Zacharias filius ejus qui sex mensibus regnavit, successisse dicitur anno 38°. Oziæ Regis Juda 4. Reg. 15.

Notandum verò hic obiter contrà Rabbinos & Procop. Gaz. lib. 7. in Esa. Oziam sub finem vitæ, leprâ percussum fuisse, non verò circà annum 25. ut volunt. Cum enim Scriptura doceat per id tempus, quo Rex ægrotavit Joathan filium ejus regnum administrasse, id non potuit contingere circà annum 25: eo enim tempore Joathan necdum natus erat; siquidem ex 4. Reg. 15. constat, eum nonnisi 25. annis natum fuisse, cum mortuo patre regnare cœpit.

Anno 25. regni Oziæ, circà æstatem numeratur prima Olympias vulgaris, quâ Chorebus victor extitit. Ex quo verò Iphitus ludos Olympicos restituit, vigesima octava numeratur.

Anno 28. Oziæ, Zacharias, post regnum semestre, interfectus est coràm populo, à Sellum filio Jabes, qui & ipse post mensem, à Memaneche filio Gadi, Samariæ interfectus est, ut habetur 4. Reg. 15. Hic autem, cum uno anno anceps fuisset, obtinuit regnum à Phul Rege Assiriorum, quem Deus suscitaverat ad invadendam terram Israël. Quo obtento, regnàre cœpit sub finem anni 39. Oziæ, & decem annis regnavit, ut habetur 4. Reg. 15. Anno 50. Oziæ Regis Judæ, regnavit Phaceïa filius Manahem, & duobus annis regnavit, quibus transactis, Phaceïa filius Romeliæ, eo interfecto in palatio regio, regnavit pro eo 20. annis à 52. Oziæ. Anno secundo Phaceïæ filii Romeliæ Regis Israël, Joathan patri Oziæ successit, & 16. annis regnavit. Hujus Regis anno quarto, vel ut alii volunt undecimo, Roma condita est 12. Kal. Maii.

Anno 17. Phaceæ desinente, mortuo Joatan, Achaz filius ejus regnare cœpit, & 16. annis regnavit in Jerusalem, ut habetur 4. Reg. 16. anno 20. Phaceæ, cum Achaz imploraffet Theglatphalasaris, Regis Assyriorum auxilium, hic magnam partem Israëlitarum, maximèque eos, qui habita-

bant Damaſci, tranſtulit in Aſſyrios, ut dicitur 4. Reg. 16. Eodem anno, vel ſub initium ſequentis, idem Phacea interfectus eſt, ab Oſeâ filio Elæ, qui poſt iſtud facinus, ſtatim regnum invaſit anno 20. Joatan filii Oziæ, ut ibidem dicitur, id eſt anno 4°. Achaz. Sed propter turbas & ſeditiones, quæ ſupervenerunt in Iſraël, regno non eſt potitus, niſi poſt novem annos. Undè 4. Reg. 17. dicitur, quòd Oſee regnare cœpit ſuper Iſraël anno duodecimo regni Achas Regis Juda, cujus regnum novem annorum fuit. Hunc, ſtatim ab initio regni, Salmanaſar Rex Aſſyriorum, ſibi tributarium effecit. Sed cùm circà annum ſextum regni ejus, comperiſſet quod rebellare moliretur, aſcendit contrà eum, & captâ Samariâ poſt triennem obſidionem, totum Iſraëlem tranſtulit in Aſſyrios, ſub finem anni ſexti Ezechiæ Regis Judæ, & Oſeæ noni. Hicque finis fuit regni Iſraëlitici; poſtquàm 254. annis ſtetiſſet, à regno Judæ ſejunctum.

Anno 16. Achaz Regis Juda, Eſechias in regni conſortium à patre adſcitus eſt; ſiquidem Scriptura 4. Reg. 18. teſtatur, eum regnare cœpiſſe anno tertio regni Oſeæ; & 29. annis regnavit in Jeruſalem. Huic mortuo ſucceſſit Manaſſes anno ætatis ſuæ 12°. & 55. annis regnavit in Jeruſalem. Eum ob ſuas impietates, in manus Regis Babilonis traditum eſſe, & captivum in Babilonem ductum, Scriptura memorat 2. Paral. 33. Similiter cum hâc calamitate converſum eſſe ad ſinceram pœnitentiàm, quam reliquo vitæ tempore non retractavit, ob quam etiam in regnum reſtitutus eſt. Hoc autem contigiſſe volunt Judæi, in Sederolam, anno regni ſui vigeſimo ſecundo. Quod ſi verum eſt, dicendum erit reſipiſcentiam ejus fuiſſe triginta trium annorum. Poſt mortem Manaſſis Ammon filius ejus regnum ſuſcepit, ſed cum eſſet valdè impius, poſt duos annos à ſervis ſuis occiſus eſt, èique ſucceſſit Joſias filius ejus, Rex piiſſimus, ac zelo Dei flagrantiſſimus, qui cum octo annorum eſſet regnare cœpit, & triginta duobus annis regnavit in Jeruſalem.

Vulnerato Joſiâ in Mageddo, ab exercitu Necaonis Regis

Ægypti, & Jerosolymis mortuo, populus filium ejus minorem, Joachaz nomine, Regem constituit. Sed hic tribus tantùm mensibus regnavit. Nam Necao reversus ab Assyriis, Eliacim seniorem ejus fratrem, Regem constituit, eumque Joachim appellari voluit. Joachaz verò captivum duxit in Ægyptum. Porrò Joachim undecim annis regnavit, ac primis quidem regni sui annis servivit Regi Babylonis. Sed cum post triennium servitutis rebellasset, misit Rex Babylonis latrunculos, qui universam Judæam vastarunt; undecim verò regni annis expletis captus est ab exercitu Chaldæorum, eoque mortuo projectum est ejus cadaver insepultum, juxtà quod à Jeremiâ Prophetâ prædictum fuerat, Jerem 22°. Joachim autem filius ejus, postquàm tribus mensibus regnavit, translatus est, cum matre, uxore & Eunuchis Babylonem. Hic autem joachim dictus est Jeconias. Suffecit autem Rex Babylonis, in ejus locum, Mathaniam, cui nomen Sedeciæ imposuit. Hic autem undecim annis regnavit. Cum autem rebellasset adversus Regem Babylonis, hic cum ingenti exercitu obsedit eum in Jerusalem, & urbe post biennium captâ, Sedeciæ oculos eruit, templum incendit, & omnes Judæos, plebeiis exceptis, transtulit Babylonem. His expositis superest ut nonnullas difficultates in hâc ætate occurrentes, quæ chronologos hucusque valdè torserunt, breviter perstringamus.

Prima petitur ex 2. Paral. ib. ubi dicitur quòd anno Asæ Regis Judæ trigesimo sexto, Basa ædificavit Rama; cum tamen 3. Reg. 15°. dicatur Basa regnare cœpisse anno tertio Asæ, & viginti quatuor annis regnasse. Et cap. 16°. dicatur Ela successisse Basæ, anno vigesimo sexto Asæ. Qui ergo post viginti quatuor annos regni mortuus est, vigesimo sexto anno Asæ, quomodo ejusdem Asæ trigesimo sexto potuit ædificare Rama? Quidam, ut Cajetanus & Canus, nodum secantes, dicunt numerum libri secundi Paralipomenon esse corruptum. Sed alii, hanc solutionem improbantes, dicunt in 2°. Paral. Regnum Asæ pro regno Judæ sumendum esse, à tempore nimirùm divisionis sub Roboam. Probant autem suam sententiam ex alio loco ejusdem

ejuſdem libri; nimirùm ubi dicitur Aſa reverſus à bello Æthiopico anno regni ſui decimo quinto; cum tamen in eodem capite dicatur quòd bellum non fuerat uſque ad annum trigeſimum quintum regni Aſæ. Si enim annis Aſæ quindecim, addantur ſeptem-decim Roboami, & tres Abiæ, exurgent anni triginta quinque, regni Judaïci ab Iſraëlitico ſejuncti.

Secunda difficultas petitur ex 2. Paral. 22. ubi Ochozias dicitur fuiſſe quadraginta duorum annorum, cum regnare cœpiſſet, & tamen ex 2. Paral. 21. conſtat Joram patrem Ochoziæ non vixiſſe pluſquam quadraginta annis, dicitur enim, quòd triginta duorum annorum erat, cum regnare cœpiſſet, & octo annis regnarit. Sed hæc difficultas evaneſcet, ſi dicamus pro quadraginta duobus annis, viginti duos eſſe reponendos, prout habetur 4. Reg. 8°. nec non etiã 2. Paral. 21. in verſione Syriacâ; cui etiam ferè conſentit Sixtina editio Græca, quæ tamen viginti pro viginti duobus numerat.

Tertia difficultas ex eo petitur quòd 4. Reg. 15°. dicitur quòd Ozias ſeu Azarias Rex Juda regnare cœperit anno Jeroboami ſecundi vigeſimo ſeptimo; cum tamen ſecundum priorum Regum chronologiam, regnum ejus cœperit anno ejuſdem Jeroboami decimo ſexto. Ad quod dicendum eſt (niſi ſolutio ſuperiùs allata magis placeat,) Oziam quidem ſucceſſiſſe paterno regno anno decimo ſexto Jeroboami: ſed cum tunc temporis quatuor tantùm annorum eſſet, regnum adminiſtratum fuiſſe à tutoribus uſque ad vigeſimum ſeptimum annum Jeroboami, quo Azarias, ſexdecim annorum factus, per ſeipſum regnare cœpit.

Quarta difficultas petitur ex Jeremiæ 52. ubi tres Judæorum deportationes à Nabuchodonoſor factas, ſic recenſet: *Iſte eſt populus quem deportavit Nabuchodonoſor anno ſeptimo. Iudæos 3023. Anno decimo octavo Nabuchodonoſoris deportavit de Ieruſalem animas, 832. Anno vigeſimo tertio Nabuchodonoſoris, deportavit Nabuzardan præfectus militiæ è Iudæis animas 745. omnes animæ ſunt 4600.* Hæ autem deportationes & tempus earum, nec non & numerus, valdè

ejus, juxtà prophetiam Jeremiæ ; decem & octo verò annis natum , solum regnare cœpisse. Alii denique cum tunc octo annorum fuisse, nimirùm à jugo Regis Babylonis suscepto. Sunt qui contendunt eum reverâ fuisse tantùm octo annorum : sed ista sententia stare non potest , cum iis quæ de ipso Scriptura refert , nimirùm quòd fecerit malum in conspectu Domini , & quòd uxores habuerit. His difficultatibus superatis , reliquum est ad hujus dissertationis absolutionem , ut cujuslibet Regis annos hîc in tabulâ exhibeamus.

Schema Chronologicum quintæ mundi ætatis.

Regnavit usque ad annum mundi.	Reges Juda	Regnavit annis	Regnavit annis	Reges Israël	Regnavit usq; ad an. ant. ær. vulg. R. Jud.	Regnavit usq; ad an. ant. ær. vulg. Reg. Is.
3030	Salomon ab incœptâ tẽpli ædificatione an.	37			975	
3046	Roboam	17	22	Jeroboam ab anno 1. Roboami.	958	954
3049	Abia	3			955	
3090	Asa	41	2	Nadab ab anno 2. Asæ	914	953
			24	Basa ab anno 3. Asæ		930
			2	Ela ab anno 26. Asæ		929
				Zamri ab anno 27. Asæ diebus 7.		
			5	Amri ab anno 27. Asæ vivente Tebni qui parti populi præerat		925

Regnavit usque ad annum mundi		Regnavit in totū Reg. Ju.	Reg. Is.		Regnavit usque ad annū ante æram vulgarem Reg. Jud.	Re. Is
			6	Zamri mortuo Tebni ab anno 31. Asæ.		918
			22	Achab ab anno 38. Asæ		897
3114	Josaphat	25	2	Ochosias ab anno17. Josaph. parti cum patre partim solus.	882	896
			12	Joram ab anno 19. Josaphat		885
3119	Joram ab anno 23. Josaphat cui socius in regno fuit	8			885	
3120	Ochosias ab anno 7. patris cui socius fuit.	2			884	
3126	Athalia filia Achab uxor Ochosiæ.	7	28	Jehu ab anno 1. Athaliæ	878	857
3165	Joas	40	17	Joachaz ab anno 23. Joas R. J.	339	840
			16	Joas ab anno 37. Joas R. J. vivente Patre Joachaz cum eo regnare cœpit & in totum regnavit an.		826

3194	Amasias	29	41	Jeroboam II. ab anno 15. Amasiæ R.J. videtur tamẽ jã ante annos decem in regni consortium à patre assumptus.	810	784
3245	Ozias sive Azarias ab æstate anni 35. hujus regis, mũdi verò 3228. numeratur prima Olimpias quâ Chorebus victor extitit, terminaturque tempus quod à Varrone μυθικὸν seu fabulosũ dicitur.	52			759	
			11	Hic numeratur Anarchia undecim annorum ab anno videlicet 26. Oziæ ad ejusdem an. 38.		773
				Zacharias anno 38. Oziæ sex tantùm mensibus regnavit.		
				Sellum anno 39. Oziæ unico mense regnavit.		
			10	Manahem ab anno 39. Oziæ.		762
			2	Phacee filius Manahẽ ab an. 50. Oziæ		760

Regnavit uſque ad annum mundi		Regnavit in totū Reg. Ju.	Reg. Iſ.		Regnavit uſque ad annū ante æram vulgarem Reg Jud.	Re. Iſ.
			20	Phacee filius Romeliæ ab anno 52. Oziæ.		740
3262	Joathan	16	9	Hoſea regnare cœperat anno quarto Achaz ſeu vigeſimo ex quo Joathan regnare cœperat ut ha-	742	
3277	Achaz	16		hetûr. 4. Reg. 15. Sed ſeditionibus & turbis regnum per annos novem ad quandam Anarchiã redactũ eſt, quibus expletis regnavit ab anno 12. Achaz annis novem quouſq; Samariâ poſt triennem obſi-	727	
3306	Ezechias anno ultimo Achaz in Regni conſortiũ aſſumptus	29	9	dionem à Salmanaſar Aſſiriorum Rege expugnatâ Iſraëlitæ tranſlati ſunt in Aſſyriã regnumque Iſraël finem accepit poſtquã 254. annis ſtetiſſet à Juda ſejunctum.	698	721

3361	Manasses	55			643
3363	Amon	2			641
3394	Josias	31			610
	Joachaz tribus tantùm mẽsibus regnavit				
3405	Joachim	11			599
	Jechonias tribus tantùm mensibus regnavit & decẽ diebus.				
3416	Sedecias	11			588
	Hujus Regis anno undecimo expleto captâ à Chaldæis Jerosolimâ direptâque civitate ac templo ejus incenso, Rex Sedecias vinctus catenis effossis oculis asportatus est Babilonem ac cum eo omnis Juda, exceptis paucis è populo. Porrò captivitas ista Judæorum contigit anno 425. ab ædificato templo, ab initio Regni Davidis 468. à decem tribuum distractione 388. ab Israëlitici Regni excidio 134. verum anni 78. captivitatis initium ducunt à primâ populi abductione sub Joachim circà an. mundi 3398.				

Summa quintæ mundi ætatis 424. an. 3. mens. 8. die.

DISSERTATIO TRIGESIMA QUINTA

DE SEXTA MUNDI Ætate, à combuſtione primi Templi ad Chriſtum.

CIRCA hanc ultimam veteris populi ætatem, nulla eſt ferè inter Chronologos difficultas. Quamvis enim, necdum inter ſe ita conveniant omnes Interpretes, ut nulla ſuperſit omninò diverſitas; cum tamen in ſummâ annorum vix paucis annis, alii alios ſuperent; tàm leve ſpatium non exigit, ut ſingulorum calculum ad examen revocemus, & annos cum annis conferamus. Quamobrem hic, quemadmodum ferè in ſuperioribus ætatibus, ſolius Uſſerii chronologiæ adhærebimus. Porrò cùm hiſtoriæ ſacræ ſeries in ſeptuaginta captivitatis Babilonicæ annis finiatur: hanc ætatem magis ex hiſtoriis prophanis, quàm ex Scripturis Sacris eruemus.

Itaque urbs Jeroſolima capta eſt anno undecimo Sedeciæ completo, Nabuchodonoſoris verò decimo nono, ut habetur 4. Reg. 25. & Jerem. 32. Hic verò poſt excidium templi vixit adhuc 25. annis, in totum enim regnavit ſolus 43. ut videre eſt apud Euſebium lib. 9. præpar. Evang. capite ultimo: cum patre verò 20. menſibus, ut ex eo conſtat, quòd juxtà Scripturam regnare cœpit ſub finem anni tertii Joachim Regis Juda, ſiquidem expeditionem adversùs Joachim anno 4. regni ejus ſuſcepit, ut diximus ſuprà.

Mortuo Nabuchodonoſor, ſucceſſit ei filius ejus Evilmerodach, qui paulò plus duobus annis regnavit, ut docet Beroſus à Joſepho citatus lib. 1. contrà App. Hunc excepit Nerigliſſar, qui quatuor annis regnavit juxtà eundem Beroſum. Nerigliſſari ſucceſſit filius ejus Laboroſoarchod, qui

novem

novem tantùm mensibus regnavit, ex eodem. Quo ob morum improbitatem ab amicis interfecto, in ejus locum suffectus est Nabonides, quem Scriptura Baltasarum appellat, qui Nabuchodonosoris nepos, & Evilmerodachi filius erat, regnumque tenuit 17. annis teste Beroso lib. 3. hist. Chaldæorum.

Anno 17. Baltasaris, Cyrus, qui jamdiù Babilonem obsidione cingebat, cum ingentibus Medorum, Persarumque copiis, eam tandem debellavit, cùm die festo agerentur convivia per totam urbem; cujus urbis tanta erat magnitudo, ut cum capti jam essent, qui extremas ejus partes incolebant, ii, qui mediam habitabant urbem, id non adverterent: ut narrat Herodotus lib. 2. cap. 191. Baltasaro igitur eâdem nocte interfecto, quâ, in prophano convivio, vasa templi Jerosolimitani prophanarat, Cyaxares seu Darius Medus, Chaldæorum imperium à Cyro patre accepit, illudque duobus annis tenuit; donec eo mortuo, Cyrus ejus gener, in ejus & patris Cambysis regnum succedens, Medorum Persarumque imperium conjunxit, eoque septem annis potitus est. Hic anno primo regni sui, Judæis jam 70. annis, nimirùm ab anno quarto Joachim, Babylonem translatis, revertendi in natale solum potestatem concessit; simul etiam templum reædificandi, ad cujus ministerium, omnia vasa, quæ à Nabuchodonosore deportata fuerant restituit, ex 2. Paral. 36. & Esdræ 1. 5°. & 6°.

Cyro defuncto, Cambyses, filius ejus natu major, imperavit annis septem, & mensibus quinque; ex Herodoto lib. 3. cap. 62. & Jos. lib. 11. antiq. cap. 3. quo mortuo magus, qui se Smerdim Cyri filium esse simulabat, septem mensibus imperavit, ex Herodoto ibidem. Quibus expletis fraude cognitâ interfectus est à Persis, imperiumque Dario Histaspis, pacto inito, quasi fortè contigit. Cum enim regni Primates consensissent ac statuissent eum Regem constituendũ, cujus equus sub solis ortum primus hinnitum edidisset, hoc auspicium Dario, arte ejus Equisonis obtigit, sicque imperio potitus est. Ex Herodoto lib. 3 cap. 80.

Cum Darius 36. annis imperium tenuisset, declarato

Xerce Rege cum in Græciam ire pararet, ſupremum diem obiit. Ex Herodoto lib. 7. cap. 4.

Xerces itaque in hiſtoriâ Græcâ tàm celebris 13. annis Perſarum imperio potitus eſt, quibus expletis, cum ab Artabano, ſatellitum regiorum Principe, noctu in lectulo jugulatus eſſet, ſucceſſit ei Artaxerces filius ejus minor, qui dictus eſt Longimanus, quòd manum dexteram haberet alterâ longiorem. Ex Cteſiâ, Diodoro, & Juſtino lib. 3. cap. 1. Hic 49. annis imperium tenuit. Diodorus ad annum 4. Olymp. 88. ac vigeſimo imperii ſui anno, Nehemiæ pro patriâ ſuâ ſupplicanti unà & præfecturam Judææ, & urbis Jeroſolymorum reædificandæ poteſtatatem conceſſit. 2. Eſd. 2. Hincque hebdomadarum Danielis ſumitur exordium. Dan. 9.

Artaxerce defuncto ſucceſſit ei filius ejus Xerces; ſed ad unum duntaxat annum. Diod. loco citato. Cùm enim in quodam feſto ebrius eſſet, & in regiâ ſuâ dormiret, frater ejus Secundianus & Pharnacias eunuchus ingreſſi, eum interfecerunt. Ex Cteſiâ. Itaque imperare cœpit Secundianus, vel ut aliis placet, Sogdianus; ſed regno non amplius quàm ſeptem menſibus potitus eſt. Cum enim fratrem ſuum Ochum, quem Artaxerces Hircanis præfecerat, ſæpiùs accerſeret, hic magno exercitu ſe munivit; cumque Rex declaratus eſſet, Secundianum fratrem ſuum dolo tentum, & in cinerem conjectum, interfecit: ſicque, Darii nomine accepto, regnare cœpit, ſub finem anni primi Olymp. 89. ex Tucyd. lib. 8. & Diod. lib. 12. Cum autem 19. annis imperaſſet, mortem obiit ſucceſſorem relinquens filium ſuum Artaxercem qui 43. annis regnavit, ex Diod. Sic. ad annum 4. Olymp. 93. Porrò hic Artaxerces, qui, referente Cteſiâ ejus medico, Arſaces anteà vocabatur, ex felicitate memoriæ Mnemonis cognomen obtinuit.

Poſt Artaxercem regnavit Ochus filius ejus 23. annis, qui & ipſe Artaxerces appellari voluit. Hic cum pater ejus mœrore, quem ex morte filii Arſamis, Ocho jubente interfecti, conceperat, extinctus eſſet, Ochus mortem ejus decem menſibus diſſimulavit, donec ab omnibus provinciis, patre ejus edicente, Rex agnoſceretur: cùm autem

crudelissimus in regno suo fuisset, pluresque regni Proceres immaniter trucidasset, cum ægrotantem Bogoas Eunuchus, militum Tribunus, Medici operâ usus, veneno sustulit. Diod. ad annum tertium Olymp. 104. & ad annum secundum Olymp. 111. Ocho autem interfecto Bogoas, Arsen filium ejus natu minimum, omnibus fratribus ejus interfectis, Regem constituit. Diod. ibidem. Sed cum idem Bogoas tertio imperii Arses anno, deprehenderet Regem, scelerum pœnas ab eo velle repetere, ipsum cum omnibus liberis interfecit. Cùmque nullus ex stripe regiâ jam superesset, qui regnare posset, idem Bogoas Darium Arsanis filium, amicum suum, Regem constituit. Ex Diod. lib. 7. ad annum secundum Olymp. 111. & Alexandro apud Curtium lib. 6. cap. 4. Sed cùm hunc quoque Darium interficere idem Bogoas cogitaret, re Dario compertâ, ipsum veneno necavit, ut ibidem refert Diodorus. Itaque Darius, occiso proditore, imperium sex annis tenuit: cùmque ab Alexandro magno pluries victus esset, cumque fugeret, tandem à suis primùm vinctus, & catenis aureis oneratus, postmodum, Alexandro eos propiùs urgente, & Dario fugam, quam illi suadebant, detrectante, ab iis occisus est: sicque finitum est Persarum imperium 200. annis, postquàm à Cyro conditum fuerat. Just. lib. undecimo cap. 15. & Plutarch. in Alexandro.

Alexander post mortem Darii imperavit annis circiter septem, ut docet antiquus Chronographus, qui sub Severo scripsit. Apud Henric. Canisium tom. 2. antiquarum lectionum pag. 600: in totum verò annis duodecim. Ex 1. Mach. 8. Eratosthene, apud Clem. Alex. lib. 1. Strom. Tertull. contrà Judæos, Joseph lib. 12. antiq. cap 2. Oros. l. 3. cap. 23. &c. Quibus completis, cum in convivio apud Medicum, quemdam Macedonem, cum poculo duos congios continente, provocasset, ab hoc vicissim cum eodem poculo provocatus, abundantiam vini ferre non valens; poculo ex manibus demisso, statim in pulvinar decubuit, indèque morbo correptus interiit. Ex Diodoro, Plutarcho, Senecâ Epist. 83. Athenæo lib. 11. & Macrob. lib. 5. Saturn. cap. 21.

Alexandro mortuo post sedatum dissidium, quod inter pedites & equites ortum erat, tandem Aridæo Philippi Macedonis ex scorto filio, rerum summa delata est. ex Just. lib. 13. cap. 2. Sed cùm hic mentis satis compos non esset, Perdicas Orontis filius, cui Alexander moriens annulum suum tradiderat, regni gubernator & procurator designatus est. Refert autem Diodorus Sic. lib. 2. ad annum quartum Olymp. 118. Alexandrum testamentum de toto regno à se confectum in Rhodiorum civitate deposuisse; eoque testamento omnem nationem in successoris unius jura translatam Amm. Marc. lib. 23. innuit. Docet verò Q. Curtius lib. 10. cap. 13. credidisse quosdam, testamento Alexandri distributas esse provincias; sed famam, inquit, hujus rei, quanquam ab authoribus tradita est, vanam fuisse comperimus. Hanc tamen sententiam author 1. Mac. sequutus esse videtur. Quidquid sit de isto testamento, referunt plerique authores, istá Provinciarum dispositionem à Perdiccâ fuisse factam. Ita Diodorus lib. 18. Justinus lib. 13. c. 4. Curtius lib. 10. cap. 13. Arrianus apud Photium cod. 92. &c. Cæterùm plerique isti provinciarum præfecti, paulòpost in Reges evaserunt, & regiam quidem authoritatem ab initio habuerunt: sed regium nomen non assumpserunt, nisi postquam omnes filii Alexandri mortui sunt, ne quemquam justum principis sui hæredem, fraudare viderentur. Ita Just. lib. 15. cap. 2.

Undecim circiter annis post mortem Alexandri nimirùm anno 2°. Olymp. 117. ut refert Diodorus Siculus, Seleucus, valido potitus exercitu, cum Mediam Susianam, & alia loca vicina, ditioni suæ subjugasset, regium nomen assumpsit. Undè ab hoc anno, æram Seleucidarum orditur Eusebius, eamque in suo calculo sequitur author libri Machabæorum. Cum autem Seleucus, qui ob victorias, quas de hostibus retulit, Nicatoris nomen adeptus est, annis 32. regnasset, propè locum *Argos* dictum, circà Lysimachiam à Ptolomæo Ceranno, Ptolomæi Soteris filio, à tergo aggressus & confossus est anno Seleucidarum 32. & ab exitu Alexandri 43. ut docent Justinus lib. 17. cap. 2°. Appianus Syriac. pag. 128. & 129. Seleuco Nicatori, successit Antiochus

Soter, qui regnum Syriæ, annis 19. obtinuit. Ex Porphir. & Sever. Sulp. Dictus est autem Soter eò quòd Græciam, ab irruptione Gallorum in Asiam, servasset. Huic mortuo successit Antiochus ejus filius, quem Milesii ob sublatum eorũ tyrannum primi, θέον cognominaverunt. Huic, Berosum Chaldaicæ historiæ libros dicasse, asserit Tatianus, Orat. adversùs Gentes. Postquàm autem regnavit annis 15. à Laodice uxore veneno interfectus est, eique successit filius ejus Seleucus, qui à victoriis Callinici, à Barbâ verò Pogonis nomen accepit, regnavitque annis 20. Euseb. in chron. Polyb. lib. 2. p. 155. posteà verò equo præcipitatus interiit, duobus filiis Seleuco & Antiocho relictis. Seleucus, qui Ceraunus dictus est, post tres regni annos veneno in Phrygiâ periit. Polyb. ibidem. Just. lib. 29°. cap. 1°. Jeron. in Dan. 11. Antiochus verò, post Ceranni mortem, ab exercitu qui erat in Syriâ, de Babylone evocatus est ad regnum, cum adhuc esset admodum juvenis. Polyb. lib. 4°. p. 271. Just. ibidem. Vixit autem in regno annis 36. & magni cognomen adeptus est. Euseb. & Porphir.

Antiocho propè Elimaïdem interfecto, eò quòd templum Jovis infinitis repletum divitiis spoliasset, successit ei Seleucus, cognomento Philopater, quem Josephus lib. 12. antiq. cap. 3. Soterem appellat; regnavitque annis duodecim. Ad hunc autem Seleucum, spectare videtur quod habetur 2. Macab. 3. Eo verò, insidiis Heliodori sublato, successit Antiochus ejus frater: qui posteà dictus est illustris; regnavitque annis undecim. Anno verò 3°. regni sui Jerosolimam aggressus est, eâque captâ, 40. quidem Judæorum millia intrà triduum peremit, totidem verò captivos vendidit, insuper & templo profanato, vasa ejus omnia diripuit; deincepsque reliquo regni tempore, Judæos mirum in modum afflixit. Ex 2. Macab. 5. & Jos. lib. 1. de bello cap. 1°. necnon lib. 6°. Sed cum gravioribus pœnis eos afficere, penitusque abolere decerneret, immedicabili viscerum dolore correptus, impietatem suam seriùs agnovit, proceribusque regni sui jussit, ut Judæis suo nomine satisfacerent, omnibusque restitutis, à quibus eos spoliaverat,

omni beneficiorum genere afficerent; nec tamen simulata ejus pœnitentia impedire potuit, quominùs tunc moreretur. 2. Mac. 9. & 1. Mac. 6. Anno 149. regni Græcorum Antiocho mortuo successit ei Antiochus filius ejus, qui dictus est Eupator, regnavitque annis duobus, ex Jos. lib. 12. cap. 16. & Euseb. in chron. cumque à Demetrio Seleuci filio esset occisus, hic in ejus locum suffectus est, regnavitque annis 12. ut referunt Polyb. lib. 3. p. 161. Porphir. Euseb. Sever. Sulp. &c.

Post Demetrium Alexander regnum Syriæ suscepit; illud annis circiter 5. id est quatuor & septem mensibus tenuit. Quo mortuo successit ei Demetrius, Demetrii Soteris filius, anno regni Græcorum 167. ex 1. Mac. 11. sed 2°. regni anno, expulsus est à Triphone, qui Antiocho puero, Alexandri Balæ filio, regnum Syriæ restituit. Sed necdum Antiochus Theos duobus annis regnum tenuerat; cum Triphon, medicorum operâ usus, 2°. anno regni eum peremit, regnumque Syriæ invasit, 1. Macab. 13. Liv. lib. 55. Just. lib. 36. cap. 1°. Sed post quatuor regni annos, regno & vitâ privatus est ab Antiocho Sidete, Demetrii fratre, qui devicto Tryphone, novem annis regno potitus est, ab an. 174. regni Græcorum & deinceps, 1. Macab. 16. Porphir. & Euseb. donec post annos novem in prælio à Parthis occisus est. Just. lib. 38. cap. 10. & 39 cap. 1. Josephus lib. 13. cap. 16. Euseb. in chron. &c.

Post mortem Antiochi, Demetrius iterùm regno potitus est quatuor annis, quibus expletis, Syri regni ejus pertæsi, a Ptolomæo Phiscone postularunt, ut Regem ex Seleuci genere eis daret: ad quos Phisco Ægyptium quemdam captivum misit, quem illi susceperunt, à quo Demetrius profugus, paulòpost Tyri, non invitâ ejus uxore Cleopatrâ, occisus est, Just. lib. 39. cap. 1°. Livius lib. 60. &c.

Itaque Alexander Zebinas, (sic enim appellabatur hic Ægyptius) regnum 4. annis tenuit, donec Cleopatra an. 2. Olymp. 164. Seleuco filio, qui post Demetrium, successivè regnum inierat, interfecto, Antiochum Gryphum in ejus locum

ſuffecit. Ex Porphir. in Gry. Euſeb. Scal. p. 227. Ab hoc enim Zebinas captus & interfectus eſt. Juſt. lib. 29. cap. 2. Gryphus verò cum annis octo quietè regnaſſet, ab Antiocho Ciziceno, fratre ejus uterino, Antiochi Sidetæ filio victus, & regno pulſus eſt. An. 1. Olymp. 167. Porphyr. ibidem. Anno tamen ſequenti, Gryphus Syriam recuperavit, fratre ejus Coeleſyriam occupante. Idem ibidem. Porrò poſt 18. annos, Seleucus Gryphi filius, multis coactis copiis, patruo Ciziceno bellum intulit, eum devicit, & interfecit; aut certè ipſe Cyzicenus ſe victum conſpiciens, peremit. Ex Porphir. ibidem. & Joſepho lib. 13. cap. 21. Poſt cujus mortem, Seleucus regno potitus eſt; ſed anno ſequenti ipſe Seleucus, ab Antiocho Euſebe ſeu Pio, Ceziceni filio, prælio victus eſt, & è totâ Syriâ pulſus, ex Joſeph. ibidem, Appian. in Syriac. p. 133. Profugus autem Seleucus apud Mopſueſtiam, cum tributa ab iis exigeret, à Mopſueſtianis, ſimul cum regiâ concrematus eſt. Joſephus ibidem. Antiochus verò Euſebes ab anno 1°. Olymp. 171. regnare cœpit, cumque duobus annis regnum tenuiſſet, occiſus à Parthis, vel potiùs ad Parthos confugiens, regnum duobus Gryphi filiis, Philippo & Demetrio Eucaro, reliquit. Ex Joſeph. ibidem. Poſteà verò redux Antiochus Pius, varia bella cum Philippo & fratribus ejus per octo annos geſſit, donec tot motuum & bellorum pertæſi Syri, ſeipſos Tygrani Armeniæ Regi ſubjecerunt. Juſt. lib. 40. cap. 1°. Tygranes igitur, regno Syriæ ſuſcepto, per annos 18. eo potitus eſt, donec devictus eſt à Pompeio, qui Syriam Romanis ſubjecit. Secundo verò poſt devictum Tygranem anno, idem Pompeius, Antiochum Aſiaticum, Antiochi Pii filium, qui regnum paternum quadriennio ante, Luculli beneficio receperat, eodem regno, & paternâ hereditate privavit. Juſt. lib. 4°. cap. 2°. & Appian. in Syriacis.

Poſt biennium, Pompeius obſeſsâ Jeroſolimâ, eam debellavit, eâque occupatâ, duodecim Judæorum millia peremit. Hoc autem contigit Antonio & M. Tullio Cicerone Coſſ. an. 1°. Olymp. 179. Joſephus lib. 14. cap. 8. &

Euſeb. demonſt. lib. 8. cap. 2. Illud verò memoriâ dignum eſt, quòd vigeſimo octavo menſis Caſleu, qui 20. noſtri Decembris reſpondet, templum à Babyloniis captum, eodem die à Pompeio poſt 543.. annos captū ſit, ac denique, eodē etiam à Soſio, cum Judæi Idumæis ſervire cœperunt. Hic porrò annus eſt 79. ab anno regni Græcorum 170.. quo 1. Mach. 13 dicitur jugum Gentium ab Iſraële ſublatum fuiſſe.

Pompeius captâ Jeroſolimâ, ſummum Sacerdotium, ſeu Pontificatum Hircano reddidit, eoque Hircanus per annos 24. potitus eſt. Joſep. lib. 20. cap. 8. Ab hoc autem anno, uſque ad Auguſti primum conſulatum, à quo initium imperii ejus numeratur, 20. anni elapſi eſſe reperiuntur. Anno autem Auguſti ab hoc Conſulatu 39. Herodis 33. Auguſto 12^{m}. & Corn. Syllâ Coſſ. 4. integris annis ante æram vulgarem Salvator noſter juxtà eruditorum calculum in Bethleem Judæ naſcitur. Sed hæc omnia ex infrà poſitis tabulis meliùs intelligentur. Interim nonnulla de 70. hebdomadibus Danielis hic adjicienda ſunt.

Itaque convenit hodie inter eruditos, initium iſtarum hebdomadarum, ab anno vigeſimo Artaxercis Longimani, eſſe deſumendum. Hocque patet ex ipsâ Danielis prophetiâ, quæ initium iſtarum hebdomadarum deſumit; *ab initio ſermonis ut iterùm ædificetur Jeruſalem.* Atqui initium illud contigit anno Artaxercis 20. ſiquidem ante eum nullus de urbe reædificandâ edictum conceſſerat. Ab hoc autem anno 20. Artaxercis, uſque ad an. 33um. æræ vulgaris, quo mortuū eſſe Salvatorem, refert etiam probata ſententia, reperiuntur 486. anni, qui efficiunt 69. hebdomadas cum dimidiâ, in quâ occiſo Chriſto defecit hoſtia & libamen, Lege veteri abrogatâ, & novâ inſtitutâ. Ex quo manifeſtum eſt in Chriſti Domini morte impletam eſſe celebrem illam Danielis prophetiam; ſicque Judæos negare ampliùs non poſſe, quin jure meritò ipſum pro vero meſſiâ habeamus. Sed de veteri hiſtoriâ hactenùs.

Schema Chronologicum sextæ mundi ætatis.

Vixit usque ad annũ mundi	Regnavit annis	REGES BABILONIS	Vixit usque ad annũ ante æra vulgarem.
3442	25	Nabuchodonosor cœpit Jerusalem anno regni sui 19. vixitque post excidium templi annis 25.	562
3444	2	Evilmerodach annis paulò plus duobus.	560
3448	4	Neriglissar annis quatuor.	556
		Laboro soarchod novem tantùm mensibus.	
3466	17	Nabonides qui & Baltasar annis 17.	538
		REGES PERSARUM AC MEDORUM	
3468	2	Darius Medus an. 2.	536
3475	7	Cyrus an. 7. hujus anno 1°. finem acceperunt 70. captivitatis anni.	529
3482	7	Cambyses an. 7.	522
3519	36	Darius Hystaspis an. 36.	485
3532	13	Xerces an. 13.	473
3579	49	Artaxerces Longimanus an. 49.	425
3580	1	Xerces II. anno uno.	424
		Secundinus mensibus septem.	
3600	19	Ochus seu Darius an. 19.	404
3643	43	Artaxerces II. dictus Mnemon an. 43.	361

Schema Chronologicum sextæ mundi ætatis.

Vixit usque ad annum mundi.	Regnavit annis	REGES PERSARUM ATQUE MEDORUM	Vixit ad annum ante æram vulgarem.
3666	23	Ochus qui & Artaxerces dictus est an. 23.	338
3668	3	Arses an. tribus aut circiter.	336
3674	6	Darius an. sex.	330
		REGES MACEDONUM ATQUE SYRORUM.	
3681	7	Alexander Magnus Dario mortuo an. 7.	323
3692	11	Aridæus & post eum plerique Provinciarum præfecti an. 11.	311
3724	32	Seleucus annis 32.	280
3743	19	Antiochus Soter annis 19.	261
3758	15	Antiochus cognominatus θεὸς à Milesiis annis 15.	246
3778	20	Selecus dictus Callinicus & Pogon an. 20.	226
3781	3	Seleucus Ceraunus annis 3.	224
3817	39	Antiochus Magnus annis 39.	186

nibus recesserim, ut cuique legenti patebit. Post absolutas de quibus tractat Waltonus quæstiones, in Dissertatione de Canone Scripturarum, eos libros Ecclesiæ asserui, quos ob Canonem Hebræorum, Reformati rejiciunt, satisque clarè, ni fallor, ostendi immeritò eos in hoc, cum à suæ sectæ principiis, tùm à præcipuâ & primævâ antiquitate recedere; nec aliud dari Criterium infallibile, præter Ecclesiæ vocem, quo libri divinitus inspirati discernantur à non inspiratis. In sequenti Dissertatione, ea breviter elucidare & statuere curavi, quæ ad diversos Scripturæ sensus agnoscendos & eruendos pertinent, easque regulas ad id tradidi quæ cum sint, maximâ ex parte, à Sanctis Patribus desumptæ, plurimum conferre possunt ad intelligentiam Scripturarum.

His universalioribus absolutis, ad specialiora transitum feci, ac Pentateucho priùs Moysi adversùs quosdam Neotericos vindicato, præcipuas quæ circà Genesim moveri solent quæstiones agitavi, & paucis eas absolvere studui. Deindè ut aliis Pentateuchi libris lucem aliquam afferrem, statum Reipublicæ Judæorum tàm quoad Civilia quàm quoad Sacra exposui. Circà libros Josue & Judicum quæ de eorum authoribus à diversis proferuntur retuli; remississque ad Dissertationes Chronologicas diversis, quæ librum Judicum attingunt, quæstionibus, in libro Josuæ miraculum stationis Solis adversùs cujusdam temerarii scriptoris calumnias defendi. Circà libros Regum præter quæstiones Chronologicas, quas suis locis tractavi, celeberrimam tàm apud veteres, quàm recentiores Theologos quæstionem, de Pythonissâ seu Ventriloquâ, & Samuëlis apparitione, satis fusè agitavi. Quoad cæteros demùm Scripturæ libros historicos, ut sunt libri Tobiæ, Judith, Esther, Job & Machabæorum, nec non circà morales, quales sunt libri Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastes, Cantici, Sapientiæ & Ecclesiastici, eas quæstiones non prætermisi, quæ circà illos moveri consueverunt.

Quibus difficultatibus superatis, eas omnes quæ Chronolo-

giam Sacram ſpectant elucidandas ſuſcepi. Et in iis quidem Jacobum Uſſerium ducem ſecutus ſum, ejuſque calculo in omnibus adhæſi. Sed cum, ut ſuprà dicebam, nuper vir doctus adversùs Hebraici textus Chronologiam, quam ſequitur Uſſerius, novas intendiſſet machinas novoque eam argumentorum apparatu impugnaſſet; manus cum eo, pro tuendâ veritate Hebraicâ conſerere, neceſſe habui. Id autem officium eâ ſedulitate implere ſtudui, ut ſperandum habeam, neminem deinceps adversùs Hebraici textus calculum, viri eruditi objectionibus movendum, aut pro ſententiâ oppoſitâ manus daturum. Faxit Deus ut quod ad veritatis elucidationem ſuſcepi & ut aliis prodeſſe poſſet edidi, hoc ſecundùm votum meum eveniat.



PRÆFATIO.

NON erat animi mei, cum has Dissertationes primùm scripsi, eas publici juris facere. Scripseram eas ut religiosis, quorum studia mihi fuerant concredita, post absolutum Theologiæ scholasticæ cursum, aliquam traderem Scripturarum Divinarum notionem, eosque imbuerem iis cognitionibus, quæ ad earum intelligentiam, necessariæ videbantur. Evolveram priùs cum iis, plerosque Criticorum & Interpretum libros, qui de quæstionibus Scripturæ Prolegomenis, aut rebus Chronologicis hoc sæculo scripserant, Joannis Morini, Waltoni, Simonii, Capelli, Muisii, Usserii, Pererii, Masii, Tornielli & aliorum. Visum est ex iis omnibus quod utilius & magis solidum videbatur decerpere, & in unum colligere. Hoc præstiti anno 1687. eo ipso tempore quo R. P. Pezeronus librum edidit, in quo calculum septuaginta Interpretum, adversùs receptam textus Hebraici Chronologiam, asserere conatus est. Hæc mihi fuit occasio ejus librum peculiariùs discutiendi, & rationes ejus in Dissertationibus meis ita expendendi, ut nullam alicujus momenti sine responsione, ut mihi videbatur, satis firmâ, prætermitterem. Quin etiam totum systema Pezeroni mihi videbar non contemnendis impetivisse argumentis: ita ut iis perpensis, restitutam ab eo temporum antiquitatem, non invitam corruere, facilè quisque perspiceret. Nec defuissem, prout viro docto ante editum ejus librum promiseram, quin aliquid circà disputationem istam in lucem proferrem, nisi paulò post alii hanc in se Provinciam suscepissent, & textus Hebraici Chronologiam vindicassent. Sed cum post aliquot annos Dissertationes meæ, pluribus, qui eas legerant, clariores viderentur, nec minùs forsan accuratæ, variis hâc de re lucubrationibus, quas fusiori stylo, diversi scriptores nuper ediderant; authores mihi fuerunt, qui eas legerant, ut eas publici juris facerem, asserentes fore multis gratum & utile, ea omnia compendiosè, & ad scholæ methodum tractata, in mediocris magnitu-

dinis volumine reperire, quæ aut apud diversos authores in grandioribus operibus sparsa, aut ab aliquibus in multis voluminibus paulò fortassis obscuriùs essent congesta. Rem contuli cum viris doctis, qui consilium istud non improbarunt. Jamque eo deveneram, ut diplomate Regio munitus, eas propediem daturus essem in lucem, cum ob rationes quasdam animum mutavi, præcipuè quòd accepissem ab amicis D. Ludovicum Pinium simile opus moliri quod brevi dare decrevisset. Cum enim vix primùm, nec nisi reluctante animo, consiliis amicorum, de Dissertationibus meis edendis, acquievissem, hanc mentem eò faciliùs deposui, quo etiam non dubitarem fore ut Doctor ille rem meliùs exequeretur. Neque de iis edendis deinceps cogitassem ampliùs, nisi qui priùs consilium probaverant, cum multis annis jam elapsis, nihil vir doctus proferret in lucem, me ad paratum opus tradendum iterùm incitassent. Parui monitis eorum & votis satisfeci. Sed cum maxima pars hujus libri typis jam esset edita, accepi eo ipso tempore, D. Pinium primum volumen meditati operis tradidisse. Statim illud mihi comparandum curavi, eoque pervoluto deprehendi nos, in plerisque quæstionibus, quæ nobis communes sunt, convenire, paucis exceptis, in quibus à præjudicatis olim opinionibus vir eruditus non recessit. Nihilominùs, cum & meditatum ab eo opus compendiosius executus sim, & uno volumine, nec magnæ molis, satis clarè ni fallor, comprehenderim pleraque eorum, quæ multis & amplis voluminibus, tradenda disponit, spero hunc librum, saltèm Theticæ Theologiæ tyronibus, non ingratum fore nec inutile.

Ut autem, sicut editionis, sic & editi operis aliquam rationem reddam, notatum velim me in primis Dissertationibus eas quæstiones tractasse, quæ generaliores sunt, vulgòque Prolegomenorum nomine nuncupantur. In iis Waltonum præcipuè secutus sum: ita tamen ut & multa de meo & ex aliis addiderim; nec semel ab ejus opinio-

Schema Chronologicum sextæ mundi ætatis.

Vixit usque ad annum mundi	Regnavit annis.	REGES SYRORUM.	Vixit usque ad annũ ante æram vulgarem
3829	12	Seleucus dictus Philopater an. 12.	175
3840	11	Antiochus Epiphanes seu Illustris annis undecim.	164
3842	2	Antiochus Eupator annis 2.	162
3854	12	Demetrius dictus Soter an. 12.	150
3859	5	Alexander Balas an. 5. aut circiter.	146
3860	2	Demetrius Soteris filius qui dictus est Nicator an. circiter duobus.	144
3861	2	Antiochus Alexandri Balæ filius an. 2. aut circiter.	143
3865	5	Tryphon an. 5.	139
3874	9	Antiochus Sidetes frater Demetrii Soteris an. 9.	130
3878	4	Demetrius Nicator à Parthis primùm captivus factus, ab iisdem posteà restitutus in regnum.	126
3882	4	Alexander dictus Zebina an. 4.	122
3892	8	Antiochus Gryphus Demetrii filius an.	112

Schema Chronologicum sextæ mundi ætatis.

Vixit usque ad annum mundi.	Regnavit annis	REGES SYRORUM.	Vixit usque ad annum ante æram vulgarem.
3910	18	Antiochus dictus Sizicenus an. 18.	95
3911	1	Seleucus an. 1.	93
3912	2	Antiochus dictus Eusebes seu Pius an. 2.	92
3921	8	Philippus & Demetrius dictus Eucares an. 8.	83
3938	18	Tigranes Rex Armeniæ postulatus à Syris an. 18.	66
		Pompeius regnum Syriæ Romanis subditum reddit	
3941		Urbem Jerosolymorum obsessã simul cum templo capit	63
3961		Octavianus Cæs. Augustus primum init Consulatum 19. mensis Augusti die.	43
4000		Anno 39. ab hoc primo Consulatu Christus Dominus in Bethleem Judæ nascitur 25. Decembris. Herod. Reg. an. 33. Augusto duodecimùm & Cornelio Syllâ Consulibus.	4

FINIS.

INDEX

D

K

L

R

Synedrium

FINIS.





